





1528 Januario

¶ Hippocratis Aphorismi, cum Galeni commẽtariis, Nicolao Leoniceno interprete.

¶ Hippocratis Prædictiones, cum Galeni commẽtariis, Laurentio Laurentiano interprete.


Parisiis, in ædibus Claudii Cheuallonii, sub Sole aureo, in via ad diuum Iacobum.

1526





¶ Antonius Albus Petro Albo Theologo & Episcopo. S.P.D.

SAepe me a medicinæ studio ob id, opinor, dehortat⁹ es patrue mihi merito semp obseruãde, quod medendi facultaté ab imperitis quibusdã, iisdem'que versutis impostorib⁹ fœdatã, vilé'que, ac pene circulatoriam quãdam arté factã esse diceres. Enivero, sicuti negare nõ possum⁹ nobilissimã antiquissimã'ꝗ eam disciplinã a circulatorib⁹ quibusdam circũforaneisꝗ theriacopolis, nõ modo in ordiné coactam, sed turpiter etiã prostitutã esse, ac pene ꝑditam: sic iure mihi videor affirmare posse, nullam aliã fidelius restitutã hoc seculo, nullã fortius e barbarorũ faucib⁹ esse ereptã ac vĩdicatã. Quare laus prima ac pręcipua, aliorum pace dixerim, Parisiensis hui⁹ academię medicis, medicinę'que ꝓfessorib⁹ debetur: qui relictis, abiectis'ꝗ ex intima barbarie scriptorib⁹, vteres illos doctissimos eloquẽtissimos'ꝗ medicos Galenũ & Hippocratem cotidie nobis fœliciter restituunt, atꝗ in lucé lectioné'ꝗ reuocãt, magno Europę toti⁹ plausu, & fructu certe nõ mediocri. Dehortari igitur desine. Emicat enĩ nostrorum labore ac industria, ars pulcherrima atꝗ vtilissima, & veteri situ, veteri'ꝗ rubigine, ac squallore deterso, enitescit in dies magis magis'ꝗ. Eius rei fidem faciet liber hic nuper Claudii Cheuallonii industria excusus: cui⁹ recognitionem tuo nomini dedico. Vale.



¶ Quod ad hunc indicem spectat, studiose lector, hoc te præmonitũ volumus, primũ numerũ, chartã significare: secũdũ, faciem: vt ita legas: Abscessus cõsiderãd9 ccxxxviij. ij. hoc est, Abscessus considerandus. charta ccxxxviij. facie. ij. & ita in reliquis.





Caloris vn: 795: 70 a:6:

Thorixis 32: b

Vari. 137:b:

FINIS.

Antonii Albi Crauſinenſis ad doctiſſimum virum iuriſperitum Dionyſium Berlandum Epigramma.

Maxima Ciuilis cui parta eſt gloria iuris
  Berlande hæc famuli munera ſume tui.
Te petit iſte liber tractantem munera iuris,
  Pandere qui medicas omnibus optat opes.
Sit licet hic medicus, tractes ciuilia iura,
  Sunt medica a curis non aliena tuis.
Non rem, ſed mētem dātis perpēdere phas eſt.
  Dona darem, poſſent ſi meliora dari.

Antonij Fauentinij Hippocratis aphoriſ latinis versibus reddidit circa annum Dni 1497 . 47.

GALENI IN Aphorismos Hippocratis, Liber Primus, interprete Nicolao Leoniceno Vicentino.

I



ITA BREVIS, ARS vero longa, occasio autē præceps, experimētum periculosum, iudicium difficile. Nec solū seipsum pæstare oportet opportuna faciētem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora.



ANC ORATIONEM, siue vnus sit aphorismus, siue plures, esse procœmium totius operis, pro confesso habetur apud omnes ferè ei9 expositores. Quid vero sibi Hippocrates volens, tali vtendum procœmio censuerit: non parum sententiæ ambigūt. Forte vero idipsum inueniemus si singulas orationis partes prius diligentius cōsiderauerimus. Quòd quidem igitur vitam dixerit breuē artis cōparatione, omnibus libri expositoribus est manifestum. Artem vero ipsam hac ratione arbitror longam existimare, quoniam omnium ferè operationum occasionem habeat momentaneam, & ob id difficulter comprahēsibile: vt nemo eam possit agnoscere, nisi qui diu in hoc fuerit exercitat9. Et quum duo sint instrumēta ad artes inueniendas necessaria: alterum, scilicet experimentum, periculosum est: alterum vero, ex ratione iudiciū, haudquaq̄ facile existit, immo, sicuti aliquod aliud, maximam habet difficultatē. Est igitur occasio præceps, quia materia cir-

ca quam versatur ars, continue fluit. Corpus siquidem nostrum mutationibus obnoxium est: neque à causis extrinsecis tantum, sed etiam ab intrinsecis faciliter alteratur. Experimentum vero periculosum, propter materiæ dignitatem, non propter transmutationis facilitatem. hæc enim in momentanea occasione continetur. Iudicium vero si quis (vt ego assero) pro ratione audiat, liquet ipsam esse difficillimam, cum ad hoc vsque æui ambigua permanserit. Si vero (vt nonnulli qui se ab experientia empiricos nominant, opinantur) per iudicium intelligat eorum quæ ex experientia eueniunt, diiudicationem: sic quoque non est obscura eius rectitudinis difficultas. Sed authorem libri esse dogmaticum, in tota ostenditur commentatione. Prima itaque procemij particula, ad hunc vsque locum terminatur. Secundam autem scribit, non pronuncianti similis, sed consulenti: Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora. Quorum verborum vis talis existit, si debes exquirere, & eorum quæ in hoc libro scribuntur, examinare veritatem: Non modo teipsum medicum oportet omnia que conuenit, agere: sed & ægrum, atque ministros: & præterea exteriora omnia in nullo delinquere. Prima itaque pars orationis hoc vnum caput complectitur: Vita breuis, ars vero longa. Nam reliqua quæ sequuntur, artem esse longam demonstrant. Post hanc secunda pars, quoddam veluti cõsilium affert vel pactum ad eos qui librum lecturi sunt, ac diiudicaturi. Sed quidnam sibi vult statim in libri principio hoc scribẽs, breuem esse vitam si ad artis magnitudinem conferatur? Nam & hoc ipsum indagare, ab initio proposueramus. Sunt ergo nonnulli qui volũt id egisse Hippocratem, exhortãdi homines gratia ad artẽ gnauiter exercendã. Nonnulli contra, dehortandi causa. Quidã vero ad hũc finẽ, vt experiretur atque discerneret eos qui gnauiter, & eos qui secus, artem essent exercitaturi. Alij autẽ & in hoc volunt ipsum causam attulisse ob quam oportuit scribere cõmentationes. Quidam adijciũt, aphoristi-

tas. Quidam vero & hoc sermone volunt ipsum causas assignasse propter quas hæc ars sit coniecturalis. Alij autem ex quot causis contingat medicos suo fine frustrari. Hi igitur, vt à postremis incipiam, mihi omnino videtur nihil consonum dicere. Qui enim hoc esset sapiens inuentum, aut dignum Hippocratis sententia, statim circa initia operis docere vel quòd ars quædã cõiecturalis sit medicina, vel quòd eius frustramur fine, siue hoc fiat ex nobisipsis, siue ex magnitudine artis? Sed & verba illa: Nec solum oportet præstare seipsum opportuna facietem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora: contrarium omnino demõstrant. Hæc enĩ omnia illi magis scribere conuenit, qui profiteatur omnia quę in libro cõtinentur, esse vera: quàm qui fateatur ob plurimas causas non sortiri finẽ. Neque enĩ dixisset, Oportet autẽ: sed post illa verba, Vita breuis, ars vero longa, occasio præceps, experimẽtum vero periculosum, iudicium autem difficile: hæc alia subiunxisset: Et medicus ipse etiam delinquit, & ægri, & eorum ministri. Sed neque illi qui aiunt voluisse ipsum auertere à studio medicinæ, cum dicat vitam esse breuem, artem vero longam: videtur mihi conueniẽtia dicere. Nam extrema foret demẽtia, simul scribere cõmentationes, & tradere posteritati ad vitę vtilitatẽ, & simul ab initio non solũ à legendo atque discendo ea quæ scripseris, dehortari: sed ab arte vniuersa cuius doctrinã profitearis, abalienare. Qui vero aiunt voluisse ipsum homines ad artẽ impensiori studio capessendã excitare: (neque enĩ aliter potest tota tempore breui, cum sit longa, perdisci) ij etsi aliquid veri dicunt, non tamen mihi videntur vel viri sententia dignum, vel ijs quæ in libro scribuntur, proœmiũ congruens satis ostendere: sicuti neque quicũque arbitrantur hoc genus sermonis fuisse ab Hippocrate vsurpatum tentandi gratia illos qui ad artem accedunt. Verum enim est, quod etiam à Platone dicitur, hac maxime via periculum fieri illorũ animi qui quãuis artem sunt perceptu ri, si magnã atq; difficilem esse eius perceptione ostendamus. At hoc haudquaq̃ per librũ, sed per mutuos sermo-

nes agitur. Neque mihi congruens videtur pręsenti commemorationi: siquidem procemium oportet ijs quę sunt in libro scribenda, cohęrere. Nisi forte quis sentiat, omniũ librorum primos esse legendos aphorismos, atq; ideo in procemio commentationis cõmunem fecisse de vniuersa arte sermonem, per hunc volentem ostendere, non posse vnumquenq; pro suo arbitrio artem discere medicinalẽ, quę longa sit, sed illos tantum quibus suppetat tempus ad discendum, & sit natura ad hoc aptior. Quòd si omnino probabile appareat, hanc totius artis cõmunem esse pręfationẽ: neq; illi sunt repręhẽdendi, qui aiunt Hippocratẽ causam assignasse, ob quã cõmentationes scribere oporteat. Fecit autẽ & in libro qui κατ᾽ ἰατρεῖον inscribitur, omnium lectionum cõmune procemiũ, queadmodum in eiusdẽ libri expositione fuit à nobis ostẽsum. Quicũq; igitur vel doctrinę modi, vel omnino cõmẽtationum necessitatis volũt causam in procemio assignari, mihi videtur eorũ sentẽtia pręferenda. Nam forma doctrinę aphoristica, quæ omnes rei proprietates quàm breuissimis verbis circũscribit, est illis vtilissima, qui volunt breui tempore artem docere longam. Atq; hoc omnino, videlicet scribere cõmentationes ob id quòd vita sit breuis si ad artis magnitudinem conferatur, summam habet pręomnibus alijs rationem. Nemo enim nostrũ sufficiat ad artem simul & constituendam, & absoluendam: sed satis videri debet, si quæ multorum annorum spatio priores inuenerint, posteri accipientes, atq; his addentes aliquid, illam aliquando compleant atq; perficiant. Vel enim propter istorum alterum, vel propter vtrunq;, mihi videtur tali esse vsus procemio, ac si ita scripsisset: Quoniã artis magnitudo vitam excedit hominis, adeò quòd ab homine quantũuis diligenti ac laborioso non possit & inchoari, & ad finem vsq; perduci: propterea operępreciũ est, quæ quisq; cognouit, ea mandare literis, & tradere posteritati cõmentationes, quæ rerum docendarum naturam omnẽ diligenter ac cito, & sermone dilucido interpretẽtur. Quòd vero ars longa sit, verba hęc quæ subsequũtur, ostendunt:

Occasio pręceps, experimentum vero periculosum, iudicium autem difficile. Quasi ita dixerit: Vita breuis, ars vero longa: quoniam occasio pręceps, & experimentum periculosum, & iudicium difficile. Propter hoc enim & ars longa, quoniam occasio agendorum in ipsa est admodum pręceps, hoc est angustissima, & fere momentanea. Et prӕterea quum sint duo instrumẽta per quӕ remedia inueniuntur, ratio scilicet, & experientia: hęc quidem est periculosa, ratio vero difficilis, hoc est non facilior altera cognitu. Vera autem esse quę dicuntur, non est difficile paucis ostendere. Occasio enim pręceps est propter materiӕ fluxum. dico autem corpus, quod continue fluit, & momento temporis transmutatur. Experimẽtum autẽ & ipsum periculosum, materiӕ ratione. Neq; enim lateres, lutum, ligna, lapides, tegulę, & coria, ita artis medicinalis, sicuti aliarũ, materia sunt: in quibus, multis modis impune licet experiri, & circa materiam exercitari, & in omni theorematum meditatione versari: quod in lignis fabri lignarĳ faciunt, in corĳs coriarĳ. Ligna enim & corium si male tractando destruxeris, nullum exinde periculum. In corpore autem humano illa experiri quӕ non sunt experientia comprobata, non est citra periculũ, cum mala experiẽtia ad totius animalis interitum terminetur. Et quidem iudicium, (est autem ratio ipsa iudiciũ, quoniam per eam, quę sunt facienda, iudicantur) difficile est; & verum iudicium seu vera ratio non facile inuenitur: quod multitudo hęreseon in arte ostendunt medicinali. Neq; enim si veritas esset inuentu facilis, tot ac tanti viri qui illam perquisierunt, vnquã fuissent in tam contrarias sectas dispartiti. Empiricis vero non videtur ratio dici iudicium, sed ea quę fit illorum quę per experientiam inuẽta fuere, auxiliorũ diiudicatio. Nam vt verum fateamur, & hęc difficilis est, & non facilis exploratu, quando multa remedia adhibita fuerunt ӕgrotãti, & aliquod illorum in causa fuisse dicatur vt ӕger vel melius se habeat, vel deterius: quem si forte contigerit vel dormisse, deinde vnctum fuisse, & postea emplastrum adhibuisse, dein-

de clysterem, vel spontaneam habuisse ventris deiectionem, & deinde comedisse, & tales assumpsisse cibos, & post hæc omnia sensisse iuuamen vel detrimentum: non facile dictu est, quidnã eorũ quæ circa ipsum facta sunt, aut iuuerit, aut nocuerit. His igitur ex causis omnibus, iudicium perdifficile est. Iam enim sermonẽ totũ vno capite colligamus. Ars quidem longa fit, si eam vnius hominis vita metiamur. Expedit autẽ relinquere posteris commentationes, pręsertim compendiosas, atq; aphoristicas. Nam talis doctrinę modus, & ad primã disciplinã, & ad illa quę didicerimus, memoria retinenda, vel si forte obliuio interciderit, ad memoriam reuocãda, vtilissimus est. Cõsonant autẽ his & verba sequẽtia. Nam (vt qui procemium fecerit ad cõmẽtationem, & ad ea quę in ipsa scribenda erant) conuenienter subinferens, hæc protulit verba: Nõ solum oportet pręstare seipsum opportuna facientem, sed & ęgrum, & assidentes, & exteriora. Si quis (inquit) aliquãdo diiudicatur9 est, quę in hoc libro scribunt, quãtum habeant veritatis: non solũ seipsum præstare debet opportuna facientem, & nihil quod ęgro possit cõducere, pręterimittentẽ: sed & ipse ęger parere medico, & in nullo proprię indulgere voluptati: ministri etiam idonei assideant, oportet: & vt exteriora omnia adsint apparata. Nam propter illa plerũq; vel pręcognitionẽ, vel curationem interrũpi contingit. Exteriora autem sunt habitationes idoneę, vel turbarum plenę, vel omni turba vacãtes, & pręterea quę nunciantur aut aguntur, quę iram, tristitiam, aut aliquẽ alium affectum infligũt ęgrotanti; sicuti & illa quæ soporem nocturnum abrumpunt aliquando: quę milia super milia possunt cõtingere. Si igitur (inquit) hæc omnia bene & recte se habuerint: nihil eorum quæ in hoc libro scribuntur, falsum esse inuenietur.

II



IN perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si talia purgẽtur, quæ & talia purgari oportet: cõfert, & leuiter fe-

runt:sin minus,contra. Sic & vasorum inanitio si talis fiat,qualis fieri debet:confert,& bene tolerant:sin minus,contra. Inspicere itaq; oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat,aut non.

NOn de quātitate eorum quę euacuantur,sermo ipsi est:(vt nōnulli sunt arbitrati)sed de qualitate tantum,vt manifestant duo verba,qualia scilicet,& qualis. Nam in ijs quæ sponte fiunt euacuationibus,ita dixit:Si qualia oportet purgari, purgentur: confert,& leuiter ferunt. In alijs vero quæ à medico: Si qualis fieri debet,ita fiat. Atqui potuisset dicere, Si quātū purgari oportet,purgetur. & rursus, Si tāta fiat, quāta debet fieri. Hoc idē ostenditur & ex verbo purgari. Neq; enim simpliciter dixit, Si qualia oportet euacuari:sed, Si qualia oportet purgari. Est autem purgatio,humorū qui sua qualitate molestāt,euacuatio. In his itaq; multi delinquūt expositores,qui neq; verba,neq; hominis mētē recte pcipiūt. Adhuc autem magis peccant cum vasorum inanitionem alij pro inedia accipiunt, alij pro venæ sectione. Hippocrates siquidem euacuationem solet ab euentu nominare vasorum inanitionem: quoniam in omnibus euacuationibus contingit vasa inaniri. Sermo quidem nunc ipsi est de qualitate eorum quæ euacuantur. Sicuti autē semper adhortatur vt quæ recte à natura fiūt,etiam in artis operibus medicus imitetur:sic & nūc idem agit, à spōtinis euacuationibus suam exorsus orationē:in quibus si qualia oportet purgari,purgentur: (hoc est ea quæ corpus infestant)confert,& leuiter ferunt. Quòd si aliorum fiat euacuatio,& non eorū quæ corpora nostra molestant,contrarium euenit.neq; enim confert, & grauiter ferunt ęgrotantes.Eodem pariter modo, si medicus moliatur aliquam facere euacuationem,eorum esto quę corpora nostra molestant: quemadmodum & in alijs locis humorem noxium pręcipit euacuari, neq; alterum illi in

purgatio qd.

euacuatione pręferri. Si igitur pituita superabundet, hanc omnino oportet euacuari. flaua autem bile vel atra infestante, abstinendum est a pituita, & bilem infestantē euacuandum. Sic & si humor sanguineus in corpore modū excesserit, sanguinem euacuari oportet, sicuti & serosam eius partem, si hæc fuerit superabundans. Humorem autem superabūdantem, ex colore debemus coniectari, nisi aliqui forte in profundum recesserint. Color enim similis efflorescit humoribus, si non regurgitauerint. In ijs ergo præcipue qui retrocesserunt, & non sunt æqua portione per totum corpus diffusi, oportet inspicere regionem, & anni tempus, & ætatem, & morbos in quib9 conueniat aut non, hoc est in quibus cōueniat aut non, talis vel talis humoris facere euacuationem. Habet em̄ & vnusquisq; humor in corpore superexcedens indicia propria, de quibus deinceps plenius dicemus. Perfectę tamen gratia cognitionis, inspicere oportet tēpus anni quod præsens est, & regionem in qua degunt ęgrotātes, & eorum ætatem, & speciem ægritudinis. Sint enim, si ita contigerit, flauę bilis in corpore abundantis indicia. simul cum ipsis inspiciendum erit, si tempus æstiuum, & si æger in ætatis vigore consistit. Eodem modo & in pituita considerādum, si adsit hyems, si regio frigida, si homo senex. Et pręter hęc omnia ipsam morbi speciem inspicere oportet: veluti q; tertiana (si ita contigerit) fit à flaua bile modum exceden te, quartana ab atra, cotidiana à pituita, cancer ab atra bile, erysipelas à flaua, atq; singulę alię morborū species. Si enim hæc omnia distinxerimus, firmius atq; stabilius ad noxij humoris euacuationē peruenie m9. Illi aūt expositores pręaliis (veluti absurda dicētes) repudiādi, qui putant ipsum de sola inedia quę adhibetur in febribus, sermonem habere: cū tamen febres non nominauerit, & sermo fiat de oībus quę sunt præter naturam, quorum nos docet intentiones: ad quas respicientes nos oportet inuenire non quantitatem, sed qualitatem euacuationis. Nam de quantitate sequens differit aphorismus. Quo autē morbi tempore aggredi oporteat euacuationē, & quo modo

ipsa sit facienda, in aliis deinceps dicet aphorismis. quare neque nunc mihi de his dicere est necessarium. Sic enim nostra doctrina non foret sapientior, & nostræ commētationes ad immodicam & minime necessariam prolixitatē peruenirent.

III



Abitus exercitatorū qui ad summum bonitatis attingunt: periculosi, si in extremo cōstiterint. Neque enī possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cum vero non quiescāt: neque possunt proficere in melius. Reliquum est igitur vt decidant in deterius. His de causis, bonum habitum statim solue re expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones, ad extremum ducēdæ: (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere cōuenit. Sic & euacuationes quę ad extremum deducūt, periculosę. Et rursus refectiones, cum extremæ fuerint, periculosę.



Llum qui antecedit sermonē esse de eorū quæ euacuantur qualitate, docuimus. In hoc autem & sequentibus vult de quantitate docere: & ab immoderata repletione atque euacuatione initium sumit, in hoc quoque aphorismo proposito, sicuti in alio præcedente, quoddam exemplum supponens, & ad hoc, vt cōsueuit, suum sermonem dirigens. Exemplum autem ipsi est exercitatorum bonus habitus. Vocat autem bonum habitum exercitatorum: illorum scilicet quorum hoc est totius vitę institutum, assidue operam dare exercitationibus, vt alios deijciant, more athletarum. Qui enim simpliciter bonus habitus nominatur, quem plurimi agricolæ habent, in fodienda terra, metendis segetibus, & aliis

turalibus laborib9 occupati, ad immodicam repletionem non attingit. Athletarum autem bonus habitus, non mediocrem hanc culpā habet, quòd student tumoris molem corpori adijcere, & (vt liquere potest) humorum multitudinem. Hi eñ apparatus quidam sunt totius corporis nutritionis: et nisi ipsi pręsto sint, fieri non potest vt corpora ad tumorem immodicum perducantur. Quare necessarium est huiuscemodi dispositionem esse periculosam. Cum eñ vasa cibis ac potibus fuerint supra modum repleta, periculum est ne dirumpantur, aut calor natiuus stranguletur aut extinguatur: sicuti & nonnulli athletæ qui ad immodicam venerunt repletionem, eadem ex causa subita morte interierunt. Qui autem ad naturæ opera vtilis est bonus corporis habitus, nulli tali periculo obnoxius est, quia nunquam ad extremam peruenit repletionem: quare neq; ipm soluere oportet, sicuti alterum athletarum, cum ad extremum peruenit. Hunc enim soluere oportet, haudquaquam morantes, sed anticipantes solutione periculum. Causam vero ob quā soluere oporteat, talem ipse subiecit dicens: Neq; enim possunt in eodem permanere, neq; quiescere. Nam cum semper natura coctionem, alimēti distributionem, sanguinis generationē, adiectionem, agglutinationem, atq; assimilationem operetur: quando nihil adijci solidis corporis partibus potest, neq; venę amplius habent conceptaculum in quod alimētum distributum recipiatur, tūc periculum imminet aut diruptionis, aut mortis repentinæ. Vt igitur corpus rursus habeat locum quo nutriatur, bonum habitum oportet sine mora soluere. Eius autem solutio est euacuatio, vt liquet. Et hanc quoq; oportet non vltra modum facere: cum sit immodica euacuatio non minus immoderata repletione periculosa. Intētio autem quantitatis euacuationis, non solum humorem respicit superabundantem, sed & vires hominis qui debet euacuari. Alij eñ minus, alij magis perferūt euacuationes. Hęc quidem ab ipso de bono habitu athletarum dicta fuere: quæ ipsa per seipsa possunt conducere ijs qui tale vitę institutū elegerūt: & sunt

medicis veluti exemplum sermonis postea subiungendi. Inquit enim sic: Et euacuationes quæ ad extremum dedu cunt, periculosę. Et rursus refectiones cũ extremę fuerint, periculosę. In quo sermone toto summa sententię hæc est, quòd neq; euacuare, neq; replere supra modũ oporteat: cuius rei documẽto esse potest bonꝰ habitus athletarum, qui alioqui inculpabilis existens (vt qui & bonis abundet humoribus, & vires habeat robustas) hoc solum malum ꝑmaximum gerit, quòd ad extremam venit repletionẽ: quapropter statim eum soluere oportet. Et sicuti rursus qui sunt tali natura prediti, non sunt ad extremam euacuationem perducendi: sic & qui alia quauis egent euacuatione, non sunt supra modum euacuandi. Nam vt in vniuersum dixerimꝰ, in omni euacuatione vires ęgroti oportet attendere: & donec tolerat, & nondum laborat, tentãdum est humorem exuperãtem educere. cum vero dissoluuntur, etiam si restet, superfluitates: cauere oportet carũ euacuationem. Quod autem ait, Et rursus refectiones si in extremo constiterint, periculosæ: si quis debeat sermonem hũc ad exemplum retribuere: ne sit decurtatus, in vltima dictus repletione videbitur, quam iubeat caueri, & non vsq; adeò refici corpora, vt ad extremam veniant repletionem. Si vero sermonis figuram attenderis, vt nõnulli expositores fecere: de eadem re bis ipsum dicere, sed aliter atq; aliter, cogitabis. Cum igitur ita dixerit, Sic & euacuationes quæ ad extremum perducunt, periculosæ: hoc solum putabis præcipere, fugiendas esse immodicas euacuationes, quoniam sint admodum periculosę. Cum vero subiungens dixerit, Et rursus refectiones cum in extremo constiterint, periculosę: ob hoc vetare immodicas euacuationes, quoniam & refectiones in ipis, haudquaquam securæ existunt, cũ sit natura iam facta imbecillis, & neque iam possit sufficienter coquere neque distribuere alimentum, neque assimilare. Verum si quis ita sermonem acceperit: altera doctrinę pars de sup̃flua repletione, relinquetur, & frustra exemplum de bono exercitatorum habitu erit allatum. Quid? ꝙ & hoc ipsum verbũ, rursum, in to-

ta adiectum oratione, sententiam quam diximus, videtur manifestare, cum ita dicat: Et rursus refectiones, cum in extremo constiterint, periculosę. Vt enim qui de altera re sermonem faciat, ita verbum rursus apposuit.

IIII



Ictus tenuis atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis vero, in quibus non cōuenit, periculosus. Et rursus qui ad extremū deuenit tenuitatis, grauis est. Nam & repletiones quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.



Vm in superiori aphorismo de qualibet immodica repletione atq; euacuatione locutus fuerit: in hoc de ægrotantium victu sermonem habet, præcipiens nobis, in morbis longis semper victum cauere tenuem, in acutis vero non semper. Plurimi enim horum victum tenuem exigere videntur: quidam vero eorum & illū qui ad extremum tenuitatis deuenit. Esset autem victus tenuis in extremo, qui per solam inediam vel melicratum, vsq; ad crisin siue iudicationem procedit. Tenuis vero, qui per pauca, aut parum nutrientia edulia, quale est ptissanæ succus. Eius autem terminus est, virium exolutio, quarum gratia nutrimus. In sanis quidem corporibus semper oportet robur seruare naturę, vel augere alimentis, nō demoliri. Et est quidem augere potens alimētum, quod plenum vocatur: conseruās vero, quod modicum existit: quod vero comminuit, tenue. Hunc igitur semper fugere oportet: aliis vero, vt pręsentia exigūt, vti. In ęgrotantibus autem raro accidit vt robur corporis maius reddere quàm acceperimus, studeamus. Magna vero ex parte properamus in longis quidem morbis fouere vires, in acutis vero parum debilitatas conseruare. Nam si eas tales, quales accepimus, properemus in istis seruare, vel etiam augere: semper addemus ad morbum. Qui vero sint morbi acuti qui victum exigant tenuissimum in

extremo, & qui tenuissimum quidē, non tamen in extremo, qui etiā tenuem, in libro de victu acutorum (qui de ptissana à nonnullis inscribitur) plenius Hippocrates docuit: et nos in nostris in eūdem librum expositionibus, totum sermonem absoluimus. Nunc vero tantum dixisse sufficiat, ꝙ in omnibus morbis quibus maximus vigor & iudicatio primis quatuor diebus futura sit, modo natura sit fortior, integram inediam seruare debemus. In quibus vero non vltra primam septimanam protrahātur, forti existēte natura, solo vtēdum est melicrato. Solus autem & hic ipse victus tenuissimus esset, non tamē in extremo. Quòd si naturę robori nō satis fidamus, ptissanę vtemur succo. Rationabiliter autem huiuscemodi victus tenuis diceretur: sicuti qui per ptissanam hordeaceam, non est quidem tenuis exquisite, nisi omnino pauca assumpta fuerit: non tamē propterea plenus, qualis qui fit per oua, & alicam, & pisces, atq; alia huiuscemodi. Quod igitur adiectum est sermoni de acutis, in quibus non conuenit, haud quaquā dicitur ꝑpter peracutos. de his enim ipse inquiet. Vbi igitur morb9 peracutus est statim, & extremos labores habet, victu etiā in extremo tenuissimo vtendum est.

V

IN tenui victu ęgri delinquunt: quo fit vt magis lędantur. Quicunq; enim error cōmittitur magnus, maior in hoc fit, quam in paulo pleniori victu. Propterea etiā sanis periculosus existit valde exquisitus victus & constitutus, quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus atq; admodum exquisitus, eo qui fit paulo plenior, magis periculosus.

HVius initium aphorismi etiam aliter scriptū inuenitur, hoc modo scilicet: In tenui victu magna ex parte duo peccant qui ęgrotant: quo fit

vt magis lœdantur. Et hanc scripturam plerique magis altera probant, hoc putantes Hippocratem voluisse dicere, quòd in tenui victu bifariam ægri delinquentes magis lœdūtur. Nam in sciis medicis ob hocipsum coguntur cibari, quoniam tenui victu ab ipsis reguntur: & hinc maius detrimentum suscipiunt, quàm si victu tenuiore nō regerentur. Adhuc autem delinquunt, scilicet & iam natura existente imbecilli, vt quæ antea alimenti inopia laborauerit. Mihi autem videtur prior scriptura melior, vt quę hanc quoq; complectitur, & sermonem facit generaliorem, cū de omni delicto doceat, siue volentibus, siue inuitis ęgrotantibus accidat: adeò vt talis sit sermo: Quicūq; error accidit ęgrotantibus qui tenui victu reguntur, hic maximum affert periculum, & quia natura à tali victu debilitatur, & quia ad eum transitus est insuetus. Confirmant antedictam scripturam ea quę de sanis dicuntur, in quibus tenuem ait victum esse periculosum, quòniā errores grauius ferunt, nō quia propter victus tenuitatem cogantur delinquere. Quæ vero de aphorismo sequuntur, sunt manifesta.

VI


Xtremis morbis, extrema exquisite remedia optima sunt.


Xtremos morbos nominauit Hippocrates summos, vltra quos nō sunt alij. Quare pręcipit in ipsis fieri exquisitissimam curationem, & victum pariter adhiberi tenuissimum. Essent autem omnino morbi huiuscemodi peracuti. Vnde sequentem subiungens aphorismum, ait:

VII


Bi morbus peracutus est, statim extremos habet labores: & extreme tenuissimo victu vtendum est. Vbi vero nō, sed pleniorem victum contingit adhibere: tantum ubi indulgendum est, quanto mor

bus extremis est mollior.

SIcuti extremos morbos, summos nominauit: ita & nũc extremos labores, summos appellat: labores autẽ, vel accessiones, vel simpliciter casus vniuersos. Etenim accessiões, atq; omnes simpliciter casus maximos possidet morbus peracutus statim in primis morbi diebus. nã in ipsos statim morbi incidit vigor: qui nihil aliud est, quàm morbi in casib9 summũ. Et quidem morb9 ille est peracutus, qui statim in summo vigore cõsistit. Statim autẽ est intelligẽdum, circa primos quatuor dies, vel paulo vlterius. Idcirco autẽ extreme tenuiter victũ adhibere conuenit, quoniã victus tenuissimus morbis iam consistentibus est necessarius: queadmodum docuit in libro de victu acutorũ, & in hoc ipso aphorismo. Consistit autẽ morbus peracutus statim in primis diebus. Quòd autẽ sit rationi consonum, in morbi vigore tenuissimo vti victu, alibi est à nobis plenius ostensum. Nũc id tantum dixisse sat erit, quòd si quis propter inflammationes, vel febres (quæ à morbis acutis sunt inseparabiles) quispiam veretur effatu dignum afferre alimentum: hoc ipsum morbo in suo vigore consistente magis verebitur facere. Tunc eñ phlegmasię maxime existunt, vt ipse inquit in libro de victu acutorũ: siue quis per phlegmasias velit intelligere illas quæ proprie dicuntur inflãmationes, siue etiã libeat febres vnà complecti, secũdum antiquam vocabuli acceptionem. Accedit ad hęc, quòd meli9 est naturam permittere vacare circa morbi coctionem, morbo in suo vigore cõsistẽte, neq; distrahere ipsam ad cibos recenter assumptos conficiẽdos. Hac quidem ratione cum morbus cõsistit, victu tenuissimo oportet vti. Hoc ergo supposito, in aliis morbis qui suũ vigorem sunt posterius accepturi, non licet afferre statim ab initio tenuissimum victum. Nam prius homo morietur, quàm morbus in vigore cõsistat. In quibus verò morbi vigor statim futurus est, hoc est in primis quatuor dieb9, in iis possumus victu extreme tenuissimo vti. Cum vero etiã vires tolerent inediam oĩmodam, & solius melicrati exhibitionem, & ptis

ſanæ ſuccum, paucum omnino, licet adhibere: talis quidem eſt tenuiſſimus victus. Qui vero hoc minus tenuis exiſtit, quem etiam pleniorem nominauit, illis conuenit morbis qui poſterius in ſuo debet vigore cōſiſtere: in quibus pręcipit tantum à victus tenuitate declinare, quãtum morb9 ab extremis recedit, hoc eſt à vigore ſummo. Hoc enim proximo exiſtente, paulo pleniorem victum afferemus: longius vero diſtante, plus: & quãto tardiorem fore ſummum morbi vigorem expectabimus, tantum victus figuram commutabimus.

VIII

QVando morbus in ſuo vigore conſtiterit, tunc victu tenuiſſimo vtendum eſt.

HIc pariter ſermo pars quædam eſt artis quæ docet victum conuenientem adhibere, qui à nonnullis ſeorſum ſcribitur per verba nuper dicta: ab alĳs vero antecedenti annectitur aphoriſmo, eo modo quo antea ſcriptus eſt. Docet autem nos, vtcunque ſcribatur, vnam & eandem victus rationem, antiquo magiſtro præcipiẽte: Vbi morbus in ſuo vigore conſiſtit, victu tenuiſſimo vtendum eſt, tum propter caſuũ magnitudinẽ, tum propter morbi coctionẽ. Neque enĩ diſtrahere oportet naturam ad alteram nouam coctionem, cum eo tempore vni humorum noxiorum coctioni fortiter vacet, & haud ita multo poſt ipſos ſit euictura. Sic enĩ oſtendimus & in tractatione de Criſibus. Nunc vero de ĳs tantũ morbis ſermo tranſigitur, in quibus omnino & curationem & victus intendimus rationẽ. Ii vero ſunt in quibus poſt vigorem ſequitur declinatio. Nam quorum ſummum vigorẽ excipit mors, in his parte artis vtimur quæ prognoſtica nominatur, id quod futurum ſit prænunciantes, ne euentus rerum noſtro adſcribatur errori. Hæc igitur tibi ſit vna indicatio, ſumpta ex morbi temporibus ad victus rationẽ, altera vero à viribus ægrotantis, quam in ſequenti docet aphoriſmo.

IX

Coniectari autem oportet, an ęger cum victu sufficiat perdurare donec morb⁹ consistat: & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare: vel morbus antea deficiat, atq; hebetescat.

Quia in superiori aphorismo tãtum iussit ab eo qui extreme tenuis vict⁹ nominatur, declinare, quanto morbus mollior extiterit quàm sit eius vigor: nunc in hoc loco alterã adijcit intentionem, vt quantitatem declinationis exquisite noscamus. Est autem hęc intentio, vis ipsa ęgrotantis: cui⁹ gratia nutrimus. neque enim morbi causa. Cum enĩ vis ita robusta fuerit, vt speremus ipsam posse perdurare totum tempus intermedium vsque ad summum morbi vigorem, cum tali victus forma: tunc exquisitam habebimus declinationis, quam diximus, quantitatem. Quòd si imbecillior extiterit, adijciendum aliquid victui, & plenior est adhibendus, tantum scilicet, quantum natura imbecillior expostulat. Quocirca aliquando in ipso morbi vigore, vbi casus aliquis interuenerit robur naturę dissoluens, nutrire cogimur. Esset autem hic sermo pars totius offerendi alimenti rationis. Vnde si quis & hunc, & priorem, atque sequẽtem aphorismum, vnum fecerit, non aberrabit. Ego vero in partes secans expono, quoad fieri potest, doctrinæ gratia clarioris.

X

Quibus igitur statim morbus consistit, iis statim tenuis victus adhibendus est. quibus vero posterius debet consistere, iis & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud, cibus subtrahendus: prius vero vberius agendum, vt æger sufficiat.

HIc pariter sermo eandem sentẽtiam habet cum priore, nisi quòd est vniuersalior. Prius enim in peracutis morbis dicebat quòd statim in ipsis tenuissimo victu vti oporteret. Hic vero simpliciter de omnibus morbis pronunciat, quibus statim consistendi tempus futurum est, hoc est, non multo post primam accessionem: iubens ob id tenuem adhibere victũ. Quæ vero sequuntur, manifesta: cum eidem hęreant sententiæ.

XI

IN accessionib⁹ abstinere oportet: nam cibum dare, nocuum est: & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

TOtius quidem victus rationem in vnoquoque morbo à duabus intentionibus iussit assumere, ex summo totius morbi vigore, & ex viribus ægrotantis. Quomodo vero quispiam particulatim cibũ offerat conuenienter, in hoc docet sermone, caueri iubens morborũ accessiones. Ipse vero manifestius in libro de victu acutorum dixit quòd neque cum iam adsunt, neque haud ita multopost affuturæ sunt accessiones, cibus dandus est, sed cum declinant aut cessant.

XII

ACcessiones vero, & cõstitutiones morbi, indicabunt, & anni tẽpora, & circuitũ successiua incremẽta, siue cotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed ex iis quæ mox apparent, indicia sumuntur: quemadmodum in morbo laterali si circa initia statim sputũ appareat, morbum breuiat: si vero postea appareat, producit. Et vrinæ, & alui excrementa, & sudores, quæcũ-

quæ apparuerint, vel bonam morborum indicationem vel malam, vel breues aut longos fore morbos ostendunt.

SI quæ prius dicta fuerunt ab eo de victus ratione, ad memoram reuocemus: eorum quę nunc dicuntur, vtilitas fiet nobis manifestior. Quæ autem prius dicta fuerũt, hæc sunt: Totius victus figuram ad duas respiciẽs intentiones faciebat, quarum altera erat vis ægrotantis, altera constitutio morbi. Nã si morbus sit acutus, vel peracutus, vel longus, & quãdo maxime in vigore consistet: nihil aliud est nisi morbi constitutionẽ considerare. Particulares autem ciborum oblationes, ex accessionibus coniecturabatur. Cum igitur tres essent intentiones ad perfectam & indeficientem victus rationẽ: prima quidẽ sumpta est ex virib9 ęgrotãtis, secũda ex morbi cõstitutione, & tertia pręter has ex particularibus accessionibus. Vires quidẽ sub primo statim ingressu cõprænhendere medicus potest, ex pulsibus scilicet & aliis quæ ipse in libro prognostico lati9 scriptitauit: quãuis forte quis dixerit viriũ magnitudinem esse incõpręhẽsibilem. At si non possum9 earum quãtitatem exquisite cognoscere, posse tamẽ nos artificiosa quadã coniectura ad veritatẽ ꝓxime accedere, nemo inficiabit. Sed morbi constitutionẽ, qualisnam sit, & ꝑticulares accessiones, multi medici existimarũt nõ posse dignosci: non tñ idem sensit Hippo. sed & in hac ꝑte, sicuti & i aliis, sępe quidẽ exquisite, & vt quispiã dixerit, perite atq; sciẽter, sępe vero cõiecturaliter, non tñ inartificiose, neq; longe à veritate, sed prope atq; proximius ꝑueniemus ad cognoscẽdum futurũ consistendi tẽpus, & accessionum successiuas reciprocationes. Verum hęc oĩa latius & in libris qui Prognostica, & in alteris qui Epidemię inscribuntur, Hippocrates docuit: & nos iuxta antiqui magistri sentẽtiam, ipsius verba cum decenti expositione apposuimus in libro primo de Crisibus: in quo ostẽdimus quomodo quispiã futurũ morbi vigorẽ possit pręcognoscere. Nunc vero oĩa sunt ab Hippo. per capita

tradita. At nos quàm breuiſſime fieri poterit, ipſa dilucidabimus. Quibus vero curę eſt omnē de his diſciplinam diligēter perdiſcere, ad librum de criſibus à nobis ſcriptū, legēdum accedant. Ipſi quoq; morbi & acceſſionū ſimiles proportiones, & ſuas etiam conſtitutiones nihilominus oſtendent: veluti in intermittētibus, quòd tertiana cito terminatur, cotidiana vero longa eſt, quartana autem etiam hac lōgior exiſtit. In cōtinuis vero, incendētes quidem acutę ſunt: quę vero typhodes, id eſt ſuccēdentes nominantur, longiores: medię vero inter has, ſemitertianę. Quomodo vero quiſpiam has omnes febres ſtatim inuadentes dignoſcat, ſecūdo libro de criſibus plenius edocuimus: quare non oportet ad hunc transferre ſermonē quęcunq; bene dicere in aliis anticipauimus: neq; ſæpius eadem in pluribus libris ſunt repetēda, ſed ſolum ad memoriam reuocandū, ſi poſſibile fuerit tertianam inuadentem ſtatim ab initio cognoſcere, ex ea cōpræhēdere quimus, quòd cito terminabitur, & quòd per tertiū diem fient acceſſiones. & hoc eſt quod ab Hippocrate dicitur: Acceſſiones autem, & cōſtitutiones morbi indicabunt &c. Nos quidē cum ſtatim prima die febriū quartanarū initia ſępe cognouiſſemus: nō expectata ſecūda acceſſione, formam victus ab initio conſtituimus, tanquā ad morbū qui longo poſt tēpore ad ſuū vigorem foret peruēturus. Sic in quotidiana & tertiana fecimus, tēpus futuri vigoris in vtriſq; ſecūdum propriū terminū metientes. Sicuti autem in febribus, itidem in aliis morbis eſt faciendum. Morbus enim lateralis, & qui peripneumonia & phrenitis à græcis nominantur, morbi acuti ſunt. Angina autē, iuxtangina, & cholera, & diſtentio neruorum, peracuti. Aqua intercutē, atra bilis, & ſuppuratio, & tabes, diutini. Et morbo quidē laterali, & phrenitidi, magna ex parte per tertiū acceſſiones fiūt: ſuppurationibus autē quę vētri eueniūt, aut hepati, & tabi, cotidie, & magis ad noctem: qui vero ex liene laborant, & omnino ex atra bile, per quartum. Quod autē ſubinde dicitur de anni tēporibus, ad ea quę antea dicta ſunt, habet relationē. Nā & morbi cōſti-

Morbos æstate breuiari / hyeme prolongari

tutiones, & accessiones possunt ab anni temporibus vnà cũ morbo indicari. Neq; enim sufficit hoc tãtum sciisse, quòd quartana inuasit hoc die, vt ab initio præcognoscamus instituendam esse victus rationem, vt ad morbũ futurum diutinum: sed etiam si hyeme, aut vere, vel ęstate, vel autumno suum fecit initium, prospicere oportet: id cognoscentes, quòd ęstate quartanę magna ex parte breues sunt, autumnales longę, & quæ magis hyemẽ attingunt. Nam hæc eadẽ ipse nos in sequẽtibus edocebit. Et quidẽ tertiana febris, cum alioqui cito terminetur, citius tamen æstate, quàm hyeme. & aliis pariter singulis morbis æstas addit celeritatem, hyems vero tarditatẽ. Sed & accessiones, per tertium quidem magna ex parte æstate fiunt, per quartum vero autumno, singulis vero diebus aut noctibus hyeme. Sicuti autẽ in anni temporibus, sic & in temperaturis ex proportione se habet: de quibus & ipse Hippocrates sæpe disseruit, non tamen hic quidquã dixit, vt qui ex vno alia nobis ad memoriam reuocanda reliquerit. Quæ enim tẽporis ęstiui, eadem & ægri temperatura, si fuerit calidior & siccior: & ætas si in suo vigore constiterit, & locus si calidus & siccus, vnà indicabunt. Liquet autem, quòd & industria vitę, & assuetudo eodem modo se habẽs, & pręsens aeris nos ambientis cõstitutio: de quibus postea docebit. Sic & quęcũq; de tempore autumnali ad morbi constitutionẽ, & accessionũ reciprocationem assumebantur: hæc eadẽ & de ætate ęgrotantis atq; natura, & vitę industria, & assuetudinibus, & regione in qua ęgrotat, & aeris ambientis quę tunc vagatur temperatura, assumere licet. Ex his quidẽ iam constare potest quòd & morbi constitutionẽ, & accessiones cognoscemus. Constitutionẽ quidem, si morbus fuerit peracutus, vel diutinus: quod ad consistendi tempus agnoscẽdum est necessarium. Accessiones vero, an per tertiũ, vel per quartũ, vel singulis diebus, siue qua hora diei aut noctis sint inuasurę. Quod vero circa finem aphorismi scribit, deinceps videamus si ad eorum quæ nos diximus, faciat declarationem. Sic enim Hippocrates inquit: Et cir-

cuituum successiua incrementa, siue cotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Clarum est autē ipsum intelligere per circuituum incrementa, accessionū augmenta quæ in ipsis eueniunt: ex quibus ostēdi & morbi augmentum, & futuri vigoris tēpus præfinitum, hinc discere possis. Secundę accessionis ad primam accrementum, in hisce tribus conspicitur, in hora qua fit accessio, in longitudine accessionis, & in magnitudine. Nihil autem differt si etiam in vehemētia dixeris: quia hæc duo nomina sunt apud medicos vsitata, & sæpius ea de re eadem pronunciantur, cum aliquando dicunt maiorem fuisse febrem ea quę pręcessit, aliquando vehemētiorem. Contingit autem hanc febrem vehemētem vel ęquales horas cū præcedente obtinere, vel pauciores, vel plures: quod ad magnitudinem nō pertinet siue vehemētiam accessionis, sed prolixitatem. Per accessionem autem te oportet intelligere deterius tempus totius circuitus, quod est à primo insultu vsq; ad tempus consistendi: sicuti reliquū tempus declinationis est melius. Cum itaq; accessio, siue per tertium, siue per quartum, siue cotidie fiat, similē anticipauerit proportionem, atq; ita anticipando ad longius extēditur tempus, atq; insuper vehementius afflixerit: tūc manifestum est morbi augmētum. Quātum autem augeatur, vnum ex dictis sua quantitate monstrabit. siquidem accessio pluri tempore anticipans, & longius atq; etiam vehementius affligens, effatu dignum indicabit augmentum, & velocem esse morbi motum, atq; haud ita multo post in suo vigore futurum. Neq; enim fieri potest vt magna incrementa suscipientibus accessionibus, non proxima sit morbi consistentia. Contraria autem accessio, quæ scilicet parua faciat incrementa omnium eorum quæ diximus: quantum ad hoc attinet, longius distare futurum morbi vigorem ostendit. Hoc igitur ipsum per circuituū incrementa discemus. Coniectura scilicet assequi potest quantum tempus morbus in suo vigore consistet, ac præterea horam præfinitam qua accessio inuasura sit. Conducit autem prima cognitio ad formam totius victus con-

stituendam: secunda vero ad temporum particulariũ cognitionem, in quibus cibus est dandus: quorum intentiones ipse ab initio docere proposuit. Quòd autem circuitum vocet similem ad idem reditum, neminem puto dubitare. Sed & ex ijs quę mox apparent, ait coniecturandum esse de accessione, & totius morbi constitutione. Siue autem casus, siue signa, velit quispiam illa quæ mox apparent, nominare: nihil retulerit. Illud autem de omnibus casibus signis've est cognoscendum, quòd nonnulla quidem eorum significant passionem, aliqua assident, aliqua decernunt àc iudicant: aliqua coctionem, aliqua cruditatem, aliqua salutem, aliqua perniciem ostẽdunt. Passionis significatiua sunt quæ vnà cum morbo inuadunt. Quæ vero assident: aliquando simul inuadunt, aliquando superueniunt, nonnunquam vero neq; omnino veniunt. Neq; enim sunt à morbo inseparabilia, neq; eorum substantiam constituunt, sed proprias faciunt differẽtias. Quæ vero ab Hippocrate decernentia siue iudicantia vocantur: cum primo exquisite morborum principio non sunt apta natura inuadere: cum duobus alijs autem apta natura sunt: de quibus paulo postea dicemus. Aliquando vero neq; in his, sed cum morbi augentur, aut iam consistunt, apparent. Signa vero coctionis inuadunt quidem, & ista nunquam in primo statim morbi principio: terminant autem illud principium quod est pars totius morbi. Signa vero cruditatis, cum primo morbi principio statim inuadunt, & nonnunquã posterius apparent, sicuti & mortis signa. Nam & horum generatio morbi principium subsequitur. Morbi autem principium intelligi volumus (vt in commentarijs de Crisibus manifestauimus) & primum eius insultum, quod nullam habere latitudinem dicitur, & id quod est sicuti pars totius morbi, quando in principium diuiditur, augmentum, & tempus consistẽdi, & declinationem, & aliud quod vsq; ad tertium extenditur diem. Sed & in eadem tractatione docuimus omniũ casuum potestates: & simul quę expositione indigere videbantur verba Hippocratis ad hoc

pertinentia,exposuimus. Sed & nunc per modum compendij de ipsis à nobis dicetur. Qui vero voluerit totam Hippocratis artem circa ista perdiscere, ad illam vadat tractationem. Ex apparentibus igitur totam iubet morbi cōstitutionem cōiectari: deinde quādam morbi speciem in medium adducens,ita inquit, Veluti in laterali morbo si circa initia statim sputum appareat, morbum inchoantem breuiat:si vero postea appareat,producit. Quod autem scribit,possis discere manifeste,si tibi apposuerim ex tertio libro Epidemiarum, quæ ipse de Anaxione scribit, morbum lateralem patiente: quem etiam ægrotum ego in primo libro de Crisibus,mea expositiōe patefeci. Verba autē Hippocratis hæc sunt:In Abderis Anaxiona qui iuxta portas Thracias habitabat,febris acuta inuasit,lateris dextri dolor continuus, tussis sicca: neque primis diebus expuebat aliquid:sitibundus,peruigil:vrinæ bene coloratæ,multę,tenues. Sexto die delyrauit:neque calefaciētia aliquid pficiebant. Septimo die magis laborabat,quia febris intēdebatur, neque dolores cōminuebantur,& tusses infestabāt,& difficulter spirabat. Octauo venam in cubito secui.sanguis plurim9 fluxit, & qualem oportuit.dolores aliqua ex parte cessarunt, verum tusses siccę subsequebātur. Vndecimo die febres decreuerunt:parum circa caput sudauit:tusses,& quę à pulmone, humidiora. Die decimoseptimo cœpit paucum quid coctū expuere. Vigesimo die sudauit, & desijt febricitare. Post crisin leuatus est,& siti premebatur: & quæ ex pulmone purgationes,non erant admodum bonæ. Vigesimoseptimo die febris redijt, tussijt,multa concocta educebat: vrinis plurimum sedimen album:sitis cessauit,& bene spirabat. Trigesimoquarto die sudauit totus, & post crisin omnino ex febre cōualuit. Hic igitur Anaxion ab initio morbum lateralem patiebatur, non tamen ab initio expuebat,sed & octauo die adhuc tusses siccę subsequebātur,vt inquit Hippocrates. Quare rationabiliter totius morbi solutio ad trigesimumquartum diem extēta est,cum tamen magna ex parte lateralis morbus terminum suę iudicationis

habeat quartumdecimum: & si non hunc, saltem omnino vigesimum. Quòd si ante tertium diem expuisset, vel circa septimum, vel nonum, vel vndecimum diem, iudicatio esset subsequuta: & si in ipso die tertio spuere cœpisset, quartumdecimum diem non transcẽdisset. Hoc em̃ accidit in omnibus inflammationibus quę non teguntur operculo densiore, vti in ijs quę exteriorem occupant cutem, quandam saniem resudare, ab initio tenuem, postea vero si coctionem accipiant, & ad melius proficiant, crassiorem, & ex hac ipsa crassiore aliquam esse magis concoctam, aliquam vero minus. Hoc idem in omnibus inflammationibus quæ vel os vel oculos infestant, licet intueri: nec minus in quacunque alia corporis parte, quando pars aliqua interior simul cum cutis diuisione patitur inflammationem. Nam ex huiuscemodi vlceribus sanies profluit talis, qualem ego dixi. Quando igitur aliqua fuerit inflammatio cum tanta meatuum angustatione, vt nihil extra effundatur, necesse est illam esse & coctu difficilem, & lõgo tempore perdurare. Hac igitur ratione & in morbo laterali (qui & ipse est ex genere inflãmationum) attendere oportet signa coctionis. Nam crudissimus morbus est, in quo nihil omnino expuitur: secũdum ordinem obtinet ille in quo sanies tenuis est: tertiũ in quo crassior: & quartum in quo perfectam habet coctionem. Verum si hęc circa tertium vel quartum diem apparuerit, non cõtingit morbum transcendere septimum diem. In alijs vero singulis necesse est vt pro coctionis modo, mensura tẽporis consequatur. Sicuti igitur sputum, perfectę coctionis signum est, quãdo album fuerit, & lene, & ęquale cõsistentia, neque nimis humidum, neque nimis crassum: eodem modo integrã cruditatẽ ostẽdit quod nullo modo expuitur. Quod si expuatur, & tenue adhuc fuerit, debilis coctionis est signum. Quod si impermixtum fuerit, vel flauum, vel ruffum: haudquaquam bonum. Quod si liuidum fuerit, aut ęrugini simile, aut nigrum: perniciosissimum existit. Cum itaque à nobis distincta sint signa coctionis & cruditatis, et pręterea tertium genus exitia-

lium: illud ſcire oportet, quòd ſigna coctionis ſemper ſunt bona, vt quæ morbi ſolutionem haud ita multopoſt futuram oſtendunt: ſicuti & genus ſignorum exitialium mortem ægri citam pręnunciãt. At vero ſigna cruditatis diutinum quidẽ ex neceſſitate morbum ſignificant: ſed quãtum in ipſis eſt, neque moriturum, neq; euaſurum e morbo hominem oſtendunt. Tibi vero prius ratiocinanti, & ęgroti vires expendẽti, etiam ex his licet præcognoſcere. Aliud eſt ſignorum genus quæ criſima, id eſt iudicatoria ab ipſo nominãtur: ſunt autem hęc, ſudores, ſanguinis fluxus, & rigores, multum alui profluuium, & ſimilis vomitus, dolor capitis repẽte inuadens, difficultas ſpirãdi præter rationem & vehemẽs, vel cordis morſus, ilia citra dolorem extẽta, vigilię plurimę, delyrium, & nox abſq; ratione moleſta, & acceſſio anticipans, & lachrymę inuoluntariæ nihil patientibus oculis neque ex triſtitia prouenientes, rubor faciei, & labrum inferius agitatum, lucida vel obſcura & tenebroſa quędam ante oculos obuerſantia, & hallucinationes quędam, & malæ vel naſus repẽte rubeſcentes, parotides, aut omnino materiæ alicuius in articulum decũbentis generatio. Hæc igitur omnia, & pręter hæc alia multa huiuſcemodi ſecundum propriam eorum ſubſtantiam caſus nominata, quatenus vero ſubitam mutationem oſtendũt, ſigna criſima, id eſt iudicatoria appellata, duplicem tibi preſtabũt pręcognitionem. Si quidem morbo iam cocto ſuperuenerint, futuram ſtatim ſanitatem denunciant. Si vero crudo adhuc morbo: iudicationem non bonam, quæ ſcilicet aut ad perniciem agat, aut in longum tempus morbum producat. Quòd vero alia ſit natura horum ſignorum quæ criſima, id eſt iudicatoria nominantur, alia vero eorum quę coctionem ſignificant, hinc diſcere poſſis. In primo libro Epidemiarum inquit Hippocrates: Coctiones, iudicationis celeritatem, ſecuritatem ſalubrem ſignificant. Cruda vero & incocta, et quæ in abſceſſus malos conuertuntur, iudicationum carẽtias, dolores, vel tempora, vel mortes, vel recidiuas oſtẽdunt. Siquidem in vniuerſum collaudauit morbi coctio-

nem. In libro autem qui Prognostica inscribitur, particulatim in hunc modum simul docẽs ipsius indicia: Vrina autem optima, quando sedimẽtum album, leue & ęquale fuerit in tempus omne donec morbus terminetur. Significat enim salubrem securitatem, & morbum pauco tempore duraturum. Sic rursus laudauit vrinã monstrantem coctionem in venoso genere. Rursus autem cum dicit alui excrementum optimum esse, quod molle, consistens, & hora excretum qua solet cum sanitas adest: indicia coctionũ ventris simul collaudat & docet. Sic & eam quæ fit in mẽbris respirationi seruientibus coctionem simul collaudans ac docens, in hunc modum scribit: Sputum oportet in omnibus doloribus qui pulmonem & costas infestãt, celeriter ac facile expui, flauitiem fortiter sputo cõmixtam apparere. Coctionis igitur signa semper bona sunt, iudicationis vero signa non semper. Sic ergo inquit, Signa crisima, id est iudicatoria, non iudicantia, aliqua mortem, aliqua difficilem iudicationẽ portendũt. Et quidem cum ait, quæ ad melius iudicant, non confestim apparere: per hęc verba eandem profert sentẽtiam. Nam coctionis signa quo tempore apparẽt, bona sunt. sempet enim eorum vniuersum genus optimum existit. Non ergo repugnat illud quod nunc dictum est, in morbo laterali sputum statim apparere: illi alteri quod dicitur, signa iudicantia ad melius, non statim apparere. Nam signa iudicatoria nõnunquam mala fiunt: signum vero coctionis nullum vnquam prauum fuit, sed omnia optima sempt & tanto citius ægrum sanitatem recuperaturum ostendunt, quanto citius apparuerint. Hæc dixisse sufficiat per modum compendij, quantum ad præsentem attinet locum. Totam vero de istis antiqui magistri sententiam, in libro de Crisibus exposuimus. Vt vero ex me sermo quem nuper dixi secundum diuisionem, perfectus habeatur: quomodo a dictis differant & quæ passionis significatiua, & quæ assidentia dicuntur signa, iam volo transigere, vnam in medio adducens pro exemplo passionem, hanc ipsam videlicet quam Hippo-

crates nominauit. In morbo igitur laterali, acuta quidem febris, vnà cum spirandi difficultate, & tussi, & dolore lateris pungenti simili, signa passionis significatiua nominantur. Quòd autem dolor aut ad ilia, aut ad clauim perueniat, assidentia dicuntur: sicuti quòd facilius in latus patiens, quàm in alterum decũbat æger, ad idem genus assidẽtium attinet. Scripsit autẽ & Nicandro Praxagoras duo volumina de assidentibus signis: de ijs autem quæ superueniũt, alterum, sicuti si de mox apparẽtib9 inscriberetur. Hęc igitur mox apparentia inquit Hippocrates & bonam morbi iudicationem & malam, morbũq́ue vel longum vel breuem futurum ostendere. Meminit autem non solum sputorum, sed & vrinarum, & excrementorum alui, & sudorũ: ea scilicet quę sunt in libro prognostico scripta, nobis exemplo subijciens. quæ ad hunc locũ transferre sit superuacuũ: nam de his in libro de crisibus diximus, & in cõmentarijs in prognostica: in quibus adhuc magis magistri antiqui sententiam explanauimus.

XIII





Enes facillime ieiunium ferunt, secundo loco qui ętatem consistẽtem habẽt, minus adolescentes, omnium minime pueri, pręsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.



Ifferentia etiam ętatũ confert aliquid ad capiendam victus rationẽ. Senes siquidẽ facile ferunt inediam, pueri difficulter. Est autẽ facilitas in non appetendo, & nihil inde mali sustinendo. Difficultas autem ex cõtrarijs oritur. Etenim pueri magis appetũt, & plus offenduntur in longis inedijs. Mediæ vero ætates inter senes & pueros, quãto alteri ipsorum proximiores existunt, tanto minus aut magis molestantur atq; offenduntur ex longis inedijs. Huius autẽ aphorismi causam ipse in sequente docet, qui ita incipit: Quę augentur corpora, plurimũ caloris innati habent. Ita quòd si quis velit

ipſum priori adiungere, & cum, enim, coniunctione proferre, tunc ſermo vnus fieret, & manifeſtus, in hunc modum ſe habens: Senes facillime ieiunium ferunt, ſecundo loco qui ætatem conſiſtentem habent, minus adoleſcentes, minime vero pueri. Quę enim augētur corpora, plurimum caloris innati habent. Dicit autem ætatem habentes conſiſtentem, eos qui mediam ætatem habent inter iuuenes ac ſenes, ita quòd ab ætate vigēte recedunt, nōdum tamen ſenſum habēt ſenectę manifeſtum. Sic & Thucydides dixit quoſdam in ætate conſiſtente eſſe. Verum inter hanc ætatem, & adoleſcētium, altera quædam eſt, quę ſicuti medium ætatum obtinēt ordinem, ita etiam facilitatis & difficultatis: ita quòd neque ita facile ferre inediā poteſt ſicuti qui in ætate ſunt conſiſtente, atque ſenili: neque difficulter ſicuti adoleſcentes & pueri. Eius tamen non meminit Hippocrates: vt quam poſſit vnuſquiſque ex illis quas dixit, intelligere. Nam cū inquit, Pręſertim qui ſunt inter ipſos viuidiores, naturarum differentias manifeſtat. Qui enim pueri calorem innatum plurimum habent, promptiores ſunt ad cibos aſſumēdos, & ipſos magis poſſunt concoquere: & ſi non aſſumpſerint, plus offendūtur. Talis eſt ſermo Hippocraticus. Indiget & quadam parua additione ad perfectionem. In ĳs quidem qui ſunt in principio ſenilis ętatis, recte dictum eſt: Senes facillime ieiunium ferunt. In ĳs vero qui ad extremam peruenerūt, non recte: quia neque hi poſſunt tolerare lōgas inedias. Vel igitꝰ addere oportet aphoriſmo breue aliquid, & hoc modo ipſum pronūciare: Senes facillime ieiunium ferūt, præter eos qui ad extremam ſenectam peruenerūt: ſecundo loco, qui ætatem conſiſtentem habent. Vel verbum, ieiunium, in paucos cibos tranſponēdum, atque ita dicendum: Senes ciborum tolerant paucitatem: ſecundo loco, qui ętatem conſiſtētem habēt. Nam & qui ad extremam ſenectam attingunt: inuenientur, etſi non poſſint longam inediam tolerare, paucis tamen cibis indigere. Tale enim quid patiuntur, quale lucernis penè extinctis accidit: quæ continuam exigunt olei ſuffectionem, mul-

tam autē, & subitam simul, nequeunt sustinere. Sic & his exhibere oportet vniuersam multitudinem paucam, & hancipsam cibi paucitatem in multas partiri portiones: neque vna illis longa inedia est iniungenda.

XIIII

QVi crescunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: alioqui corpus absumitur. Senibus vero parū calidi innati inest: paucis propterea fomitibus egēt, quia a multis extinguuntur. Hanc etiā ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt. frigidum enim eorum corpus.

DIctum est à nobis plenius etiam in commentarijs de temperaturis, quomodo nonnullis medicis visum est eos qui in iuuentæ vigore consistunt, nonnullis vero pueros esse calidiores. Habent enim hi quidē calorem acutiorem, hi vero abundātiorem. Nūc vero etiam necessarium est dicere quātum ad præsentem locū conducit, sermones quoad fieri potest in pauca conijcientes. Hoc igitur verbū ipm, calidum, aliquando transferimus ad qualitatem cuius proprium nomen est caliditas: aliquando vero denominatiue totum corpus dicimus calidum, à caliditate: cuius modi loquendi vel plurimus in omni vita vsus est: qui etiam fuit apud antiquos, veluti Theophrastus ostendit in eo libro qui de calido & frigido inscribit. Nam quū substātia corporea contrarias qualitates, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatē, vicissim recipiat, secundum substantiam quidem recipiētem: cum corpus calidum nominamus, multum vel paucum dicimus esse calidum, ad quantitatem substantię referētes. Et hoc dupliciter facim9: vno quidē modo in substantijs impermixtis, alio autē in mixtis. In impermixtis quidem, veluti si duo haberent aquam æqualiter calidam in duobus inęqualibus labris contentam: alterum diceremus plus habere calidi, qui maius labrum possideret: alte

rum vero minus. In mixtis vero, veluti si essent ęqualia labra, sed inęquali mensura ex vino & aqua temperata: alterum ipsorum plus vini continere, alterū vero plus aquæ diceremus. Cui modo etiam ille esset persimilis, si duo labra inęqualia supponeremus ęqua proportione tēperari. Nonnunquam vero non ad substantię multitudinem sermonem referentes, sed ad qualitatem solam: huic quidem alicui dicimus plus calidi inesse, huic vero minus: sicuti si ex duobus labris parem habētibus ad vnguem magnitudinem, alterum quidem calidius, plus habere calidi diceremus: frigidius vero, minus: non tamen proprie verbo plus, vtētes in hoc loco, cum melius sit dicere, vel magis, vel minus, vel vehementius, atque debilius, & similia vocabula, quæ nos solem9 qualitatib9 accommodare. Nam paucum & multum, in sola decet substantię quātitate servare. Verum non in hoc tātum huiusmodi fiūt nominum abusiones, sed in pluribus aliis, quę per vitā sermone vsurpamus: quod maxime fit in ipsa arte medicinali. Omnes siquidem morbos, magnos aut paruos nominant, quāuis substantiæ non sint: febrem magnam, febrem paruam: apoplexiam magnam, apoplexiam paruam: sic & pleuritidem, phrenitidem, peripneumoniam, & omnes itidem alios morbos. Aduertere igitur oportet ęquiuocationes, & considerare quid sibi velit semper vnaquęque dictio dicentis. Si enim in altero significato nomen protulerit, nos vero in alio accipientes, sermonem redarguim9: non illum qui protulit, (si verum fateri velimus) sed nostram potius existimationem redarguimus. Quod nonnulli videlicet agunt hoc loco, qui Hippocrati student cōtradicere. Nam ad qualitatem, nomen calidi transferentes, conantur ostendere hanc esse vehementiorem iis qui in ætatis vigore consistunt. Verum Hippocrates non ad hanc scilicet qualitatem, sed ad substantiam in præsenti sermone refert id nomen. Nam substantia innati caloris aerea est & aquea, sicuti ex semine licet coniectari, quod paucam omnino terrenam substantiam participat, plurimum autem aeris calidi humidi'que in seipso continet,

quemadmodū in commentarijs nostris de semine, ostendimus. Et quidem alterum nostræ generationis principium, sanguis menstruus videlicet, humidum natura est. Cū igitur magis terrestre efficitur animalis corpus, (tale autem cotidie efficitur, dum augetur) tunc licet valde vehemēter calidum existat & igneum: substantiam tamen innati caloris paucissimam habet: alioqui febricitantes diceremus plurimum habere calorem innatum: qui nedum plus, neque priori habent æqualem. Bene enim temperata est caloris innati substantia: ignea autem, aduentitij. Et qui caloris aduentitij sunt per totum corpus effluxus: fumei, fuliginosi, aridi'que, & acres. Cōtra suaues, & bene temperati, caloris natiui. Et tu hęc potes tactu discernere. Nam sanorum calor vaporosus est atque suauis, & tactu conueniens, nihil triste, nihil asperum, nihil mordax præ se ferēs. Eorum vero qui febricitant, & præcipue hecticas febres, aut eas quæ ex putredine humorum ortum habent, acris est & insuauis, ac mordax, & nostrum corrodens tactum. Salubris vero eius qualitas in pueris exquisita habetur: sicuti plures eorum qui in ætatis vigore consistunt, inuenire contingit calorem habentes mordacem, & nō amplius humidum ac vaporosum, neque aereum. Neque mirum videri debet. Oportet enim similē esse defluxum subiectæ substantiæ: vt quādo humida atque aerea substātia existit, tunc quod ab ea defluit, vaporosum est atque suaue. Cum vero terrestris atque arida: tunc & quod effluit, fuliginosum est & acre: quod & in exterioribus euenit. Nā quæ ex aqua dulci & calida euaporant, optima sunt & vaporosa: quæ vero ex aliquo corpore solido exusto, fumea sunt & acria. Cum igitur duæ substantiæ sint, & hæc quidem suauem habeat caliditatē, hæc vero tristem: alteram quidem plurimam habent pueri, alteram vero ij qui in ætatis vigore consistunt, vt ad totius videlicet corporis proportionē. Vt autem sermo sit naturalior, totum ad elementa transferens, in hunc modū transigam: Cū quatuor sint elemēta, ex quibus omnia corpora sunt tēperata: puerile quidē corpus, multū in seipso

continet aereæ atque aquosæ substantiæ, minimum terrestris: contra vero eorum qui in ætatis vigore consistunt, à terrestri siccitate obtinetur, deficit autem aquosa atque aerea substantia: adeò vt si quartum in vtrisque elementum, ignē scilicet, pari portione posuerimus, atque æqualiter calida corpora esse voluerimus: non tamen similem substantiam calidam in ipsis esse dixerimus: cum puerorum quidem substantia humida sit: eorū vero qui in ætatis vigore cōsistunt, sicca. Humida siquidem est maxime innati caloris affinis: qa ex humido nostra est generatio: sicca vero, aduentitij caloris est propria. Sic quidē infantes recenter nati, substantiam calidam aquosam plurimā participantes, plurimum dicerentur habere calorem innatum. Qui vero ætate vigent, & iam declinant: quantum istę deficiunt, terrestris vero superabundat, tantum habere minorem substantiam natiui caloris & ipsi putarētur. Quòd vero ex aquosa & aerea substātia plus defluere sit necessarium, quàm terrestri, etiam si ambę sint æqualiter calidę secundum qualitatem: neminem arbitror dubitare. Hoc tibi etiam in exterioribus liquido licet intueri. Nam ex corporibus quæ ad similem perueniunt caliditatē, non æqua portio videtur defluere, sed ex siccis quidem minimum, ex humidis vero plurimum. Statim igitur aqua & oleo mediocriter calefactis, plurimū defluit atque dissoluitur: ex ferro vero & ære atque lapidibus, minimum: adeò quòd si tibi libuerit exponere ad solem ardentem aquam, (si ita contigerit) & ferrum æqua mensura, deinde transacto die ambo perpendere: aquam quidem inuenies multo seipsa minorem effectam, ferrum vero æquale. Sic & si velis oleum æri & ferro & lapidi comparare: illud quidem absumptum inuenies, hęc vero æqualē substantiæ molē retinentia. Hinc vero ad ceram & picem bitumen'que & resinam transcēdens, & quæcūque alia plurimam substantiā humidam obtinent: videbis & hæc sub sole calente multo magis absumi atque defluere, quàm lapidem, æs, & ferrū, & alia admodum sicca. Quare si necessarium est alimētum, vt quod effluxit ex corpore, sup-

pleatur: ex humidioribus vero, & plus aeris participantibus, multo plus effluit: fit vt huiusmodi corpora pluri egeant alimento. Puerorum vero corpus tale existit, plus humidæ & aereæ substantiæ obtinens: non sicuti iuuenum & declinantium ac senum, siccę atque terrestris. Hippocrates igitur cũ hoc in libro proposuisset compendiosam atque aphoristicam doctrinam facere: non ita sermonem ampliauit quemadmodum ego nunc, sed loco illorũ verborum, Quæ augentur corpora, etsi æqualẽ habeant substantiam calidam atque igneam cum ĳs qui in ętatis vigore cõsistunt, aquosæ tamen atque aereę substantię plus habent quæ augentur, dixit: Plurimum habent innatũ calorem. simul memoriæ subĳciẽs ipsorum substantiam, & simul etiam propositum demonstrans. Quia enim humidam & calidam habent substantiam quæ augentur, idcirco plurimum ab ipsis defluere fit necessariũ. plurimo autem egent alimento: alioqui corpus inquit absumi: & recte inquit. Vbi enim id quod defluit, plurimum est: quod vero influit, paucum: hic necesse est subiectam corrumpi substantiam. Senibus vero paucum inest calidũ, siue quis ad qualitatem sermonem referat, siue ad substantiã. Nam & qualitas debilis, & substantia minima est, si quidem eorum meminimus quę supra diximꝰ. Ob hoc igitur inquit quòd paucis fomentis indigent. Nam fomenta, alimenta nominauit, suo & aliorum nobilissimorum philosophorum dogmati cõsentanee, qui eorũ quę aĩalia constituunt elemẽtorum, ignem maxime vitæ esse causam existimarũt. Sicuti enim lucernarũ flammæ, quarum tñ oleum est alimentũ, si quis id totum simul superinfundat, extinguũtur potius quàm nutriãtur: eodẽ modo & in senibus calidum sui fomentũ quidẽ habet alimenta: si vero multis & totis simul opprimatur, ac quodãmodo strangulet, periculum est ne extinguatur: sicuti & si paruæ scintillæ ignis, lignorũ multitudinẽ superacerues. Quod autem subinfertur, Et propterea febres senibus nõ similiter acutæ sunt: signum est & hocipsum quòd corpora senũ frigida sunt, & quòd ob innati caloris maxime conuersionẽ ad ignea

naturā, accēditur febris. Verū tantam euenire senibus cō-uersionē, vt æqua sit ei quę iunioribus accidit, vix fieri potest. Multum enī calidum prōpte in immēsum attollitur, paucum vero non facile, sed maximā exigit causam quæ cogat ad hoc. Ob hāc igitur causam neque senes magna ex parte febricitant acutas febres, sicuti iuniores: & siquādo rarenter talis his accidit febris qualis iuuenibus, omnino hæc ad interitū ægrotantis terminatur. Indicio enī est immensam quandā esse causæ febrē facientis magnitudinem. Hęc sufficere possunt ij̄s qui secundū naturam se habent ad intellectionē & fidem eorū quæ scripsit Hippocrates. Ad eos vero qui p calūniam Hippocratē repræhēderunt, è quorū numero vnus fuit Lycus, nos vnum integrum volumen scripsimus aduersus ea quæ contra aphorismum perperā obij̄ciuntur. Huic autē talem titulū fecimus, Ad Lycum, quòd nihil erratum sit in aphorismo cui principium, Quæ augentur, plurimum habent innatum calorem. Datus autem est mihi Lyci liber post scriptos à me commentarios: vnde ego postmodum his hæc verba subiunxi, quæ non sunt in ij̄s quæ prius edideram. Seorsum autem in alio volumine defendi Hippocratem in ij̄s in quibus fuerat à Lyco repræhensus.

XV

VEntres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tēpora alimenta copiosiora sunt exhibēda. Etenim tūc calor innatus, plurimus est: vnde & pluribus egent alimentis. indicio sunt ætates, & athletæ.

NOn parum etiam tēpora anni conducunt ad victus rationem inueniendā. Nam hyberno tempore plus appetunt hoīes, & cibū facilius cōcoquunt: contra in æstate: cuius rei causam ipse Hippocrates reddidit, inquiens ventres hyeme & vere calidissimos esse. Quid autē sit quod natura dicitur, & quòd non fru-

ſtra id verbū adiecerit in hoc aphoriſmo, ipſe paulopoſt explanauit inquiens: Etenim calor innatus,multus:plurimo igitur indiget alimento. Ventres itaqꝫ hyeme & vere calidiſſimi ſunt,non ſimpliciter,ſed calido naturali:cuius ſubſtantiam antea oſtẽdi. Cauſam vero ob quam hic idem calor hyeme augeatur,etiam Ariſtoteles dixit. Refugit enim propter circūſtantem extrinſecus frigiditatẽ: ſicuti rurſus æſtate ad ſibi affinem protẽditur. Atqꝫ ita cõtingit diſſolui quidem ac diſſipari eius ſubſtantiam tempore ęſtiuo:contineri ac cohiberi & in profundū ſecedere hyemali. Ob hoc igitur & coctiones,& ſanguificatiões, & nutritiones, hiſce tẽporibus ſunt meliores. Addidit autem & aliud ipſis contingẽs,quòd videlicet ſomni longiſſimi fiunt, ob noctium videlicet lõgitudinem:quod neqꝫ ipſum parum cõfert ad naturę opera. Quod vero in fine adĳcitur, Indicio ſunt ætates & athletę, pro argumẽto ponitur quòd plurimū alimentum ſit neceſſarium vbi calidum ſuperabundat. Pueri ſiquidẽ quia calidum plurimū habẽt,idcirco & pluribus indigent, & plura concoquũt. Athletę vero quia exercitĳs augent calorem natiuum,ob id multis frui poſſunt alimẽtis. Quæ igitur ꝑ aphoriſmū dicũtur,ſufficienter expoſuimus. Si quis vero de ipſis veritatem diligentius examinet:non ad omnia animalia ſermonem extendat,ſed ea excipiat quę in latibulis degunt. Hæc enim cum ſe recondunt,non egent plurimo alimento: ſiquidem & ſine cibo poſſunt perdurare. Et ſi ſuppoſuerimus ea tanto vti cibo,quanto antequã reconderetur: male ipſum concoqueret. Quod enim hominibus contingit aqua frigida lotis, id etiam animalibus accidit hyeme. Contingit autẽ hominibus qui aqua frigida perluuntur:ſi debile corpus habuerint,refrigerari,atqꝫ offendi. Si vero robuſtum: primū quidem innatum calorem ad interiora refugere,& ſeipſum colligere:poſtea vero ad exteriora remeantem,multo quàm prius erat,fieri fortiorem. Sic & aĩaliū quæcunqꝫ ſunt natura frigidiora,ĳs calor innatus à frigore hyberno ſuperatur,adeò vt ferè extinguatur:quare plurima ipſorum ſimilia mortuis apparẽt,cum

ſine ſenſu ac motu in latibulis iacent:quędam vero omnino & in hocipſo affectu moriuntur. Quæ autē plurimo ſanguine abundant atq; calore: tale quid hyeme patiuntur, quale accidit corporibus fortibus aqua frigida lotis. Nā calor eorū ad interiora ſe colligit, nō(per Iouem)carnibus ad hæc, prima ſede derelicta, refugientibus, ſed ſpiritu vnà cum ſanguine. Tria autē erant corpora quæ primę noſtrę naturę ſubſtantiam compleuerunt, ſpiritus, ſanguis, & aerea humiditas, ex qua in primo ortu, veluti in libris de ſemine diximus, fiunt partes animalis ſolidiores, mox vero augmentum in iſtis perficitur. Quòd igitur melius hyeme cibū concoquimus, ſanguine ac ſpiritu ad profundum corporis retrocedentibus: vnicuiq; eſt manifeſtum. Non modo igitur hocipſum dicit Hippocrates, ſed quòd plura accipere confert. Hiſce enim temporibus inquit, hoc eſt hyeme & vere, plures cibi dandi ſunt. Atqui ſi parum defluit ac difflat hyberno tempore ad exteriora, plurimū alimētum non eſt corporibus neceſſariū: ſiquidē nutritio eſt eius quod euacuatur, repletio. Oportet igitur alimenti quātitatem eſſe eius quod difflat quātitati proportionalem. Verum igitur eſſe quòd quidam hyeme non modo melius concoquunt cibum, ſed etiam quòd pauca aſſumentes refrigerantur, atq; ideo offendūtur: ſi vero plura aſſumpſerint, in nullos plethoricos incidunt morbos: ipſe euentus oſtendit manifeſte: cauſę vero inquiſitio, in commune proponatur. Neq; enim adeò Hippocratem, quantum omnes alios, huiuſmodi inquiſitio fatigat. Nemo itaq; eſt qui non conſentiat difflari corpora animalium ea quæ fit per ſenſui occulta foramina difflatione. Idcirco enim ad hoc deueniunt vt egeant alimento, quoniam euacuantur. Quòd ſi nihil à corporibus noſtris efflueret, ſed ſemper ęqua moles ſubſtantię ſeruaretur: nulla foret alimēti neceſſitas. Tu vero animaduerte ſi hac in parte aliīs quidē omnibus ratio eſt inexplicabilis, ſoli vero Hippocrati atq; eius ſectatoribus eſt explicabilis. Neq; enim aliud quicquā animal ab initio afformauit, ſicuti neq; rurſus adauxit, aut vſq; ad mortē enu-

triuit, præterquam iste calor innatus, de quo nūc habetur sermo. Hic enim est omnium operum naturalium causa. Quia vero plurimus est hyberno tēpore, idcirco cibi appetentiam intēdit, coctiones auget, & plus sanguinis cumulat, & crassius efficit corpus, & vt superfluitates excernantur, prouidentiam habet. At calor circūfusus non modo superfluitates, sed omnia euacuat æqualiter: materiam inutilem, & ea etiam quę in corpore secūdum naturam continentur, vnà dissoluens per eam quę à medicis occulta difflatio nominatur, quā calor innatus operatur. Neq; enim aliud quicquā est natura animalium, præter hoc calidum, secūdum Hippocratis opinionē. Ostensum autem à nobis est in cōmentarijs de viribus naturalibus, non solum appetens atq; conficiens agglutinansq; singulis partibus proprium natura alimētum, sed & huius dissoluens superfluitates. Et quanto fortius extiterit calidum innatum, tanto magis difflatio effugit sensum. Et ob hāc causam Diocles inquit sudores esse pręter naturam: quoniam omnibus quę ad corpus attinent, recte administratis, & alimento à natura subacto, nunquam sensibilis humor per per cutem excerneretur. Quęcunq; enim in balneis, vel vehementibus exercitijs, vel propter æstiuum calorem exudant homines: ex causis violentis originem habent. Bene igitur omnia tempore hyberno in corpore animalis administrantur, quando hyems mediocritatem seruauerit. Nam immoderatas intemperaturas & ipse Hippocrates in sequentibus damnat. Quòd autem omnia bene hyberno tempore in corpore animalis administrētur, indicio sunt naturę opera fortiora. Nam cibi in ventriculo concoquuntur, quoniam calor innatus plurimus est: & in somnis longioribus superfluitates expurgātur. Quę quidem exquisite extenuantur, per cutem. Quæ vero in vapores conuertuntur, per expirationē. Quæ vero sufficientem habēt crassitudinem, per vrinas. In his enim plus est sedimenti, quàm per æstatem, pręter id quòd etiam tota vrinarū multitudo hyeme sufficienter augetur. Et quidē nutriuntur, & secūdum carnem augētur corpora hyeme

magis, & plꝰ optimi sanguinis cumulãt, nisi malo omnino vtantur victu. Nam si cõsideraueris quòd corpora nostra paucum habentia sanguinẽ autumni tẽpore, atq; extenuata, suscipiẽs hyems bonis implet humoribꝰ, & crassiora efficit: hinc (vt puto) percipies nos gubernãtis robur facultatis, quę est calor innatus. Verum nisi hic abũdans habeat, quo fruatur, alimẽtum: primus ipse à circũstante frigore superabitur, tã ab eo qui extrinsecꝰ ingruit, quàm ab illo qui per inspirationem attrahitur: cum ipso vero & coctio ciborũ debilitabitur, & optimi sanguinis generatio, & partium animalis enutritio, & superfluitatũ expulsio. Si vero tantũ habuerit alimẽtum, quãtum potest peruincere: hoc copiose perfruetur, & ipse magis augebitur, atq; omnia quę antea diximus, circa corpus animalis pficiet. Verũ quod ex plurimo alimẽto oblato, quod nõ solũ bene in vẽtriculo cõficiatur, sed etiam in venis & toto animalis corpore, vnũquodq; animal carnosius reddatur, & plus sanguine abundet: habẽt homines satis ipsa experiẽtia cõpertum, nõ in seipsis tãtum, sed etiã in iumẽtis. Nã ante æstatis initium, circa vltimã veris partẽ, & sibi & illis sanguinẽ detrahũt, quoniam ad memoriã reuocãt quibus capiantur morbis quando repente calor æstiuus superuenerit. Hic enim amplius sanguinẽ extendit atq; diffundit, & quodãmodo efferuere facit, adeò vt quod hactenus modicum fuerat, nõ possit amplius in venis contineri, sed vel dirumpat ipsas, vel exedat: & quando impetũ fecerit ad aliquam corporis partem aliis debiliorẽ, in ipsa vel inflãmationem, vel erysipelas, vel aliquod aliud morbi genus operetur. Nam multo plures ac grauiores morbi quibus plenitudo dedit occasionem, ex humorum fiũt fusione. Hæc igitur omnia aliis adstipulantur quæcunq; in præsenti aphorismo Hippocrates docuit: & hoc quoq; probant, nõ solum posse per id tempus multos coquere cibos, sed etiam multis indigere. Sẽper enim oportet alimenta esse innati caloris multitudini proportionalia, nisi forte aliquando ex aeris ambientis qualitate fusio adueniens (vt dixi) cogat subtrahere. Quare cũ de vere Hip-

pocrates ſermonē fecerit indiſtinctum, ego diſtinguam: Primum, quòd ſuum habeat initium hyemi ſimile, magis quàm æſtati: & finem contra. Deinde quòd nonnūquam talem habeat frigiditatem, qualem tēpus hybernum: aliquando talem qualem tēpus æſtiuum caliditatem. In primis igitur partibus eius, & ſiquando frigidum fuerit, hybernę ſimilem rationem victus adhibebimus: in poſterioribus autem, & ſiquando fuerit calidius, æſtiuę ſimilem. Quòd ſi mediam ſeruauerit tēperaturam, illi victū proportionalem inſtituemus. Hæc quidem omnia de victus ratione quam ſanis oportet adhibere, dicuntur: deinceps autem de illa quę ægrotis conuenit, ſermonem faciemus.

XVI



Ictus humidus febricitātibus omnib⁹ confert, maxime vero pueris, & aliis qui tali victu vti conſueuerunt.



N præcedentibus aphoriſmis de victus quantitate doctrinam nobis tradidit: nūc vero de qualitate tranſigit, multa ſanè quæ in arte cōducūt, breuiſſimo ſermone docens: Primum quidem qualis ſit adhibendus victus febricitātibus. Deinde quòd victuum ſanorum indicationes in ĳs quidem quæ præter naturam ſunt, contrarias: in ĳs autem quæ ſunt ſecūdum naturam, ſimiles facere oporteat. Febri enī, quoniam calida & ſicca paſſio eſt, (eſt enī cōuerſio natiuę caliditatis ad ignea) victum humidum conſulit. Humidioribus vero naturis, ſiue propter ætatem, ſiue propter conſuetudinem: non cōtrariam, ſed magis affinem ſeruandam ſtatuit: Oportet enim naturam eorum fouere per humida, nō eodem quo morbos modo demoliri. Qui vero aquam intercutem cui febris adiungitur, in medium adducentes, ſermonem Hippocratis ſtudent per cauillum repręhēdere, quoniam hic morbus non humidum exigit victum, ſed magis ſiccum: ignorant ĳ artis curatiuæ caput in primis neceſſarium, quod nos vberius in illa tractatione tranſegimus, quòd vnaquęque ſimplex ægritudo, ſimplici eget cura.

Febris.

tione: si vero inuicem copulentur, tantum habebunt commnnem curationis indicationem, quãtum copulabũtur: nobis scilicet ad id quod magis vrget, obuiantibus, non tamen alterius cura omnino posthabita, cum etiã aliquãdo omnibus pari studio auxiliemur. Quod autẽ de aqua intercutem & simul febre laborãtibus meminere, non est absimile morbo laterali in quo sanguis expuitur. Nam & in his contrarias exigunt morbi curationes, eductio sanguĩnis, & passio lateralis: quę vbi cuipiam simul contigere, ad id quod magis vrget, obuiare oportet, non omnino posthabita etiam alterius curatione. Sic itaque si quis simul febricitauerit, & ea laboret dispositione quæ aqua intercutem nominatur: ad ambos affectus respicientes, qui contrariam exigunt curationem, vtrique eorum probe resistimus, sicuti & alĳs omnibus pari modo copulatis. Neque igitur ipsi tale quicquam dixerimus, neque alterum talia dicẽtem admiserimus: verum si quid per verba sua Hippocrates in aphorismo non dixit, quod tamen idem habeat iudicium cum ĳs quæ ab ipso dicuntur: hoc quoque fuisse dictum potentia, debemus existimare. Nã & ætatis meminit, & consuetudinis: tu vero & naturalis temperaturę, & temporis anni, & regionis, non absq; ratione memineris, quæ & ipse Hippocrates adĳcit aliquãdo. Nonnũquam vero vnius aut duorum mẽtione facta, reliqua quæ sunt eiusdem naturę atque ordinis, prętermittit. Fiunt autem & ab his indicationes, queadmodum supra & ab ætate, & à morbo fieri diximus, seruantib9 nobis quæcunque probari merẽtur, per similem victum tẽperaturæ: quæcunque vero improbanda sunt, per contraria corrigẽtibus. Diximus autem plenius de omnibus indicationibus in libris quibus ars curatiua docetur.

De indicatione curandi si diversi morbi copulantur.

XVII

ET quibus semel, aut bis, & quib9 plura ne, an pauciora particulatim oporteat afferre, cõsiderãdum. Cõdonãdum aũt aliquid tẽpori, ætati, & consuetudini.

QVoniam de quantitate & qualitate eorum quę offeruntur, sermonem habuit: mox docere proponit modum eorũdem. Neque em̃ sufficit hoc solum cognoscere, quòd huic plus vel minus sit offerendum, vel quòd victu exiccante vel humectante vtendum sit: sed nũquid semel, aut sępius qualibet nocte, vel die cibum offerre oporteat, necessarium est considerare: & ad hęc ipsa à tẽpore, ab ætate, à consuetudine, sumere indicationem: sicuti in qualitate & quãtitate sumebatur. Nam & ad hęc primę erant intentiones, & morbi ipsi, & vires ægrotãtis, & pręterea ætas, & tempus, & consuetudo, & quęcũque his sunt ꝓportionalia. & propterea ipse Hippocrates illud adiũxit: Condonãdum autem aliquid liquido ostendens per verbum condonandum, quòd neque totũ, neq; maximum à talib9 accipit. Nam si sępius, aut raro, siue oino nutrire oporteat, ab ægritudine & viribus primum maxime accipitur: post hoc autẽ & ab anni tẽpore, & ab ætate, & talibus. Si em̃ vires laborantis debiles fuerint, & ea quę in corpore est dispositio, fit ex corruptione humorũ vel defectu: parum alimẽti, & sępi9 talibus afferemus. Parum quidem, quia virium imbecillitas non potest totam simul multitudinem alimẽti sustinere. Sępius autẽ, quoniam multis indiget dispositio. Defectus siquidẽ exigit adiectionem, corruptio vero contemperamentum. Si vero cum virium debilitate neque defectus aliquis affuerit, neque corruptio, humores autem naturales se modice habuerint, vel etiam superabundauerint: his raro, & pauca afferemus. & multo magis istud agemus, si cum naturæ robore humores superabũdauerint. Si vero cum humorum defectu vel corruptiõe, vires validæ fuerint: tũc multos cibos, atque multoties ĳs qui ita laborauerint, dabimus: vtpote multos exigẽte dispositione, & natura robusta potente illos concoquere. Si vero accessiones non permiserint, neque multi alimẽti offerendi occasiones pręstiterint: raro plura exhibebimus. At si vires validę fuerint cum plethorica dispositione, raro pauca afferemus. Nam etsi id quod cibum debet concoquere, robustum habea-

mus:quia tamen dispositio multis non indiget, rationabile est vt pauca afferamus. Sic quidem oportet & à morbo, & à viribus ægrotantis ad ea quæ proposuimus, sumere indicationes. A tẽpore autem, & ætate, & aliis quę his sunt proportionalia, hoc modo: Aestiuo quidem tempore, quantum ad temporis rationem attinet, sæpius pauca danda sunt: quoniam & pluri egent adiectione, vt qui sunt dissoluti, & vires habeant imbecilles. Hyberno vero tempore multa quidem propter robur virium, sed raro: quia non valde multa indigent adiectione laborantes, vt quibus non multa fiat euacuatio. Nam sanos quidem antea ostendimus sufficienter hyeme euacuari, quoniã plus habeant innati caloris. Vere autem adhuc medio existente, atq; adhuc magis æstati proximo, paucis, & ex longo interuallo nutriemus. Nam tẽpus id periclitatur ne proxime accedat ad plethoricam dispositionem, propter humorum qui hyberno temporis frigore concreuere, fusionem. Quemadmodum ergo in plethoricis dispositionibus, si vires validę fuerint, paucum cibum, & ex longo temporis interuallo damus: sic & vere faciendum, pręsertim in febricitantibus, de quibus nunc sermo habetur ab Hippocrate. Sanorum enim victum antea docuit. Autumnus vero morbis qui ex corruptione fiunt, assimilatur. Quapropter qui eo febricitant tempore, continua optimi indigent adiectione: & si vires validæ fuerint, sępe, & multa: si vero imbecilles, pauca, & sæpius afferimus. Simili modo quispiam & ab ætatibus, & à consuetudine, & à regionibus sumeret indicationes, ad duas primas redigẽns intẽtiones. Singula enim quæ diximus: aut fortes, aut debiles vires efficiunt, & corpus reddunt aut superabũdans bonis humoribus, aut sufficientibus carẽs, aut vitio humorum deprauatum.

XVIII

AEstate & autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime: secundum locum ver habet.

NOn bis, vt forte quispiam existimauerit, de eisdem disseruit Hippocrates. Nam cũ superius illum scripsisset aphorismũ cuius principiũ est, Ventres hyeme & vere calidissimi sunt natura: nunc autem rursus quòd æstate & autumno cibos difficillime ferũt, hyeme facillime, & ver secundum habet locum: verũ quoniã & ad quantitatẽ victus, & ad vsus ciborum tam in sanis quàm in ægris modũ, quandã accipit à tẽporibus indicationem: nõ absq; ratione eorum in vtrisq; cõmeminit, illic quidem ostendens cibos plures sanis dari hyeme oportere, quoniam plus inest innati caloris, quem nutriri oportet: nunc autẽ quòd si semel etiam multum illis ciborum attuleris, haudquaquã nocebis. Facile enim omnes ferunt ciborum multitudinẽ hyeme, difficulter vero æstate. Quapropter hyeme quidẽ raro, & plurimũ cibi afferri concedẽdum: æstate vero, quia cibos ferunt difficulter, (siquidem is cui eos coquẽdi ac conficiendi officium natura tribuit, calor innatus scilicet, exiguus est) cauendum omnino est ne totum simul cibũ exhibeamus: sed studere oportet vt frequentius pauca afferamus. Nam corporis dispositio similis ijs qui ex humorum defectu morbis cõsistunt, exigit adiectionem. Hyems quidem atq; æstas talem naturam habent: reliqua vero duo tẽpora, autumnus quidem æstatem subsequitur, ver autem hyemẽ. Et causa aperta est. Nam refrigerari, & cogi in vnum, atq; densari corpora autumno: laxari vero, & rara fieri verno tempore incipiunt. Ob hanc igitur rationem, non idem bis de temporibus enunciauit: vel ob illam etiam, quia in altero aphorismo de sanis sermo habebatur.

XIX

IIs qui per circuitũ accessiones habẽt, nihil dare oportet, neq; cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

QVum tria sint capita quibus victus ratio cõprehenditur, & quod attinet ad quãtitatem, & quod ad qualitatem, & tertium quod ad vsus modũ:

ad duo quidem priora capita ex acceſſionibus nullam habemus vtilitatem, ad tertium vero ex illis aliquid proficere poſſumus. Quare non temere Hippocrates earum in tertio capite meminit. Nam tempora cõmoda ciborum particularium, pręcipue docent acceſſiones, in morbis tamen in quibus ordinatim obueniũt, hoc eſt per circuitus: atque ideo Hippocrates inquit: Iis qui per circuitus acceſſiones habẽt, nihil dare oportet. vt qui non ignoraret alios eſſe quib9 fierẽt in morbis acceſſiones, non tamen per circuitus, hoc eſt non ordinatim. In hiſce igitur ratio exquiſita inueniẽdi temporis quo cibus offeratur, haberi nequit. In quibus vero acceſſionum ordo ſeruatur: principia earũ oportet obſeruare, hoc eſt ne eis iam factis, vel non multo poſt futuris, nutriamus. Quod autẽ dicitur, Ante iudicationes: vel ante acceſſiones quaſcũque ſimpliciter, vel ante morbi vigores, vel ante illas quæ proprie iudicationes nominantur, eſt intelligendum. Nam hic triplex intellectus, verus eſt. Primus autem magis videtur ad propoſitum pertinere, ſi videlicet ante acceſſiones intelligamus. Nam de morbi vigore conſiſtentis, retro dictum eſt: & ſi de hoc intelligatur, etiã de iudicatione intelligetur: quoniam magna ex parte morbo in ſuo vigore conſiſtente fiunt iudicationes.

XX

QVæ iudicantur, & iudicata ſunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere.

IAm perfecto de victus ratione ſermone, ad alterum caput tranſcendit: in quo docet quando ſit totum ipſi naturæ permittẽdum quod ad regimen pertinet ægrotãtis, nihil aliud nobis agẽtibus, niſi victum coueniẽtem inſtituẽtibus: quãdo etiam non ſit totũ naturę permittẽdum, ſed & aliquid nos oportet operari. Vbi igitur (inquit) vel integra iudicatio facta eſt, vel adhuc fit, totũ naturę permittere, & nihil nos nouare opor-

tet. vbi vero nō integre iudicatur: id quod deficit, supplere nos cōuenit. Hoc aūt & ipse dicebat in libro de humoribus, per hęc verba: Quę perfecte iudicātur, non mouere: neq; medicamentis, neq; aliter irritando, nouare quicquam. Nam quod in aphorismis ἀρτίως, id est integre dixit, hoc in illo libro ἀπαρτὶ, id est perfecte nominauit. Est autem huius nominis ἀπαρτὶ apud antiquos significatum pro perfecte & cumulate, atq; sufficiēter: quę oīa etiam hoc loco per ἀρτίως, id est integre, debemus accipere. Neq; eīm per id verbum dies pares oportet intelligere. Est enim in propatulo falsum, si quis in diebus paribus vel iudicatus est, vel iudicatur, nihil in his nouādum esse. Neq; etiam hęc dictio ἀρτίως hoc in loco significat nuper: quod maxime ostendunt verba sequētia. Neque eīm simpliciter dixit nuper iudicata, sed quę iudicantur, & iudicata sunt: quorum alteri, scilicet iudicata, aduerbium nuper, possit conuenire; alteri vero, iudicantur, nullo modo. Sed & hoc ipsa rerum euidētia demonstrat. Neq; eīm si quid paulo antea sit iudicatum, hoc nouari non debet: sed si perfecte & indeficiēter & integre, tūc verum quod dicitur. Si vero quicquam deficiat: id quod deficit, oportet adiūgere. Nam quę post iudicationem relinquuntur, faciunt recidiuas. Quęnam igitur est perfecta & indeficiens iudicatio? an quę scilicet per omnia bene fit, & cui nullus numerus deficit iudicatorius? Primum enim melior est iudicatio quę fit per euacuationē inferiorē, quàm quę per abscessum; deinde per quā humor noxius, quàm per quam alter euacuatur: tertio loco quæ recto fit tramite: & post has, quæ facile toleratur; deinde quæ cum coctione, & in decretorio die. Hæc omnia adesse conuenit perfectæ iudicationi: cui si quid desit, vel plura; neque exquisita, neque integra fuerit iudicatio.

XXI



Vę ducere oportet, quo maxīe natura vergit per loca cōferētia, eo ducere.

QVænam vnquam illa fuerint quæ ducere oporteat, quę videlicet neq; iudicentur, neq; integre sunt iudicata: hęc igitur per quā partem sint euacuanda, docet, duplicem nobis dans intentionem, & ipsam partis naturam, & humoris motum. Ad quem enim locum ex conferentibus vergit, eo ducere conuenit. Sunt autem euacuationibus conferentia loca, intestina, vēter, atque vesica, vterus, & cutis vniuersa: ad hęc, & palatum, & nares, quando videlicet vel cerebrum expurgamus, vel per profluuium sanguinis fit excretio: præcipue vero si recto tramite, hoc est per directum ad locum patientem. Nam quæ contra fiunt profluuia sanguinis, mala. Motus vero humoris noxij ad loca inutilia sunt, siquando videlicet hęc ipsa loca aliquem habuerint suapte natura principatum, & maius ex ipsis damnum est subsequuturū, quàm morbus qui iudicatur, expostulet: vel nullam habeant effluxionem. Exempli gratia, vbi hepar humores infestant, quos oporteat euacuari, duæ sunt commodę ipsorum motiones: prima per ventrem: & ex hac ipsa, illa quæ fit per aluum inferiorem, altera quæ fit per vomitum, melior existit: secunda per renes atque vesicam: non tamen qui ad pulmonem atque thoracem & cor motus, est bonus. Oportet itaque medicum naturę motum animaduertere: & si quidem idone9 fuerit, ei cōuenit adminiculari. si vero cōtrari9 & noxius, hunc prohibere, transferre, atque diuertere oportet.

XXII

COncocta medicari, atque mouere, non cruda, modo non turgeant. plurima vero non turgent.

COnsueuit Hippocrates dicere, medicari, pro vti medicamēto purgante. Verbum autē, turgere, translatum est ab animalib9 ad humores. Nam sicuti illa stare loco non possunt, quodammodo titillantia atque impulsa cōcitata'q; à passione: sic & humores plęrūq; in motu vehementiore, atq; transfluxu ab vna parte

ad aliam, in morbi principio hominem infestant, mouentes, fastidientes, titillantes, & quiescere non permittentes, cum & ipsi pariter moueantur & transfluant, & tanto motu de loco ad locum, ęgrum molestent. Tales itaq; humores euacuare cõuenit, hoc est q agitãtur, et de loco ad locum mouentur ac transfluunt. eos vero qui sunt in aliqua corporis parte firmati: neque alio auxilio mouere oportet, neque medicari ante coctionem. Tunc enim naturam ipsam habemus euacuationi adminiculantem. Videtur siquidem & ipsa post coctiones, humores discernere, & superfluitates expellere: quo in tempore fiunt iudicationes. Sed cũ perfecte ipsa mouetur, medicamento opus nõ est. Si vero mediocri⁹ atque imbecillius agat, id quod deficit, oportet supplere: vt ex vtroque noxij humoris fiat euacuatio, natura quidem expellente, medicamẽto vero attrahente. Ostensum enim est à nobis in commẽtarijs de potentijs naturalibus, naturam vniuscuiusque particulæ quatuor vti potentijs, & attractiua proprij alimenti, & eiusdem retẽtiua, & præterea concoctiua, & quarta alienorum expulsiua. Singula vero medicamenta proprium sibi attrahũt humorem. Bene autem sermoni addidit: Plurima vero non turgent. Et discere oportet hoc ab experientia, quòd videlicet humorum transfluxus ab vna parte ad aliam, raro contingunt, sed frequentius quietem habent, & in vna aliqua parte consistunt: in qua etiam concoquũtur toto morbi tempore vsque ad eius solutionem. Scire autem oportet quòd in quibusdam exẽplaribus hic aphorismus scriptus non est: in libro autem de humorib⁹ passim scriptus inuenitur.

XXIII



Eiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciãtur qualia cõueniunt, & ægri facile tolerant. Atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.

Siue à natura, siue à nobis euacuatio fiat, omnino metiri oportet quātum sit euacuandum. Sicuti enim qualitatem eligimus, humorem noxium atque molestum euacuantes: ita quātitatem oportet eiusdem humoris noxij multitudini facere congruentem. Sed qualitatis quidem indicia superius diximus, vbi illum aphorismum exposuimus, cuius principium est, In perturbationibus ventris. Quantitatis vero nullum habemus indicium. Ob hāc igitur causam nobis dedit Hippocrates de eadem quātitate iudicandi viam, ex facilitate tolerantiæ. Nam si humor superexcedens euacuetur, tunc ipsum seipso ægrotum fieri leuiorem, & melius tolerare est necessarium: quòd si aliquod etiam ex ijs quæ natura constant, excernatur: dissolui ac debilitari ægri vires, & quādam sentire afflictionem. Quare non promptam eorum quæ euacuantur quātitatis phantasiam oportet attēdere, sed duas quæ dictæ sunt significationes, si qualia oportet euacuantur, & si facile tolerant. Quod autē postea ab ipso subiungitur, Atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere: recte quidem ab ipso dictū est, sed adijcere oportet vsus significationes. Quia vero ipse prætermisit, nos ex quibus ipsa experientia & ratione videmur inuenisse dispositiones in quibus expedit vsq; ad animi defectionē euacuare, dicem⁹. Et primū vsq; ad quam animi defectionē dictum ab ipso fuerit, distinguere oportet. Neque enim tales dicit animi defectus, qui & expauescentibus aliquando ægris venæ sectionem vel tale auxilium aliquod, solent accidere: neque vero quū in ore vētriculi humores mordaces aliquando fuerint, vel prius in ipso coaceruati, vel qui in ipso remedij vsu ad ipsum defluxerint, qui causam dederint animæ defectionis. Solent enim & hoc tēpore pati animi defectionem: non tamen huiusmodi animi defectio est sufficiēs mēsura euacuationis, quæ nonnunquā citra necessitatem contingit: sicuti febricitantes plerique, vel inter surgendum, vel residēdum, animo defecerunt: ob quam causam accumbentibus ipsis secamus venam. Ea igitur quæ fit animi defectio ratione

De animi defectu.

euacuationis, nunc ab Hippocrate dicta est esse mensura euacuationis & in maximis inflammationibus, & in adurentibus febribus, & vehementissimis doloribus. Oportet autem (sicuti & ipse inquit) viribus integris atque valentibus, tantam moliri euacuationem. & nos sępius huiuscemodi euacuationes prodesse plurimum, experientia didicimus. Nam & in ardentissimis febribus si vsque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant, & quidam eorum ex his sanitati sunt restituti: alij adiuti plurimum, vehementiam ægritudinis absciderunt. In maximis vero doloribus nullum maius inueni remedium, quàm vsque ad animi defectionem euacuare, adhibita distinctione, an mittere sanguinem, an purgare oporteat vsque ad animi defectionem, quemadmodum in libro de venæ sectione mõstrauimus.

XXIIII

IN acutis passionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciẽdum.

PAulo antea dictum erat, Cõcocta medicari, & mouere, nõ cruda, neq; in princip ijs, si nõ turgeant. plurima vero non turgẽt. Nunc autẽ, quòd circa principia acutarum ægritudinum tantum contingit purgare vtiliter, nos docet Hippocrates. Nam in longis morbis semper oportet expectare coctionem, in acutis vero, cum turgent, etiam ab initio possumus vti medicamẽtis purgantibus, & hoc ipsum cum multa cautione & præmeditatione facere. Vnde mihi videtur Hippocrates recte adiecisse, Et cum præmeditatione facere. Siue enim per hoc verbum diligentem intelligat examinationem, siue ægroti pręparamentum, siue recti iudicij expectationem, siue horum aliquid, siue omnia vnius vocabuli significatione comprę hendantur: quantum huiuscemodi vereatur purgationes, manifestat. Neque enim periculum

minimum, in morbo acuto vti purgante medicamento, cum omnia id generis sint potẽtia calida, febris vero, quatenus febris est, & sui ratione, nõ calefaciẽtibus atque exsiccantibus, sed potius contrariis, hoc est humectãtibus & refrigerãtibus egeat. Non igitur ob igneam febris caliditatem, purgationem adhibemus (hãc enim scimus sui ratione nocituram) sed propter humores illam efficientes. Quare maiorem oportet ex noxiorum humorũ euacuatione fieri vtilitatem, quàm (id quòd necessario consequitur ex purgantibus medicamẽtis) detrimentum. Vt vero hoc fiat, primo oportet considerare nunquid æger idonee se habeat ad huiusmodi purgationem. Nam quicunque multa cruditate laborant, vel qui tenaces ac crassos cibos assumpserunt, quibus itidem ilia extenta atque inflata sunt, aut supra modum calida atque ignea existũt, & hoc ipso in loco aliqua est viscerum inflammatio: omnes ii haudquaquam sunt apti ad purgationes. Hæc itaq; abesse oportet, humores autẽ quàm maxime fieri potest, esse fluxui paratos, hoc est tenues, & nullum lentorem participãtes, & aperta esse foramina per quę debet purgatio fieri, & nullã habere obstructionẽ. Nam & nos ista antea paramus, cũ quępiam sumus purgaturi. Et hoc est quod ab ipso Hippocrate dicitur in illo aphorismo, Corpora vbi quis purgare velit, oportet fluida facere. Verum in acutis morbis, circa principia statim, circa primum videlicet diẽ, vel non vltra secundum, si sumus vsuri purgantibus medicamentis, quando turgent, non datur facultas ista præparandi, nisi quis forte arripiat occasionem propinandi melicratum: in quo decoctum sit aliquid hyssopi, vel origani, vel tragorigani, vel thymi, vel pulegii, siue quid huiusmodi vim habens humores extenuandi. Quare non sine ratione dixit raro circa principia morborum acutorum nobis venire in vsum purgationes, quoniam non sæpius turgeant humores in principiis: neque, si quid istorum adsit, ægro satis ad purgationem parato, neque dante morbo nobis temporis occasionem, quo possimus ex imparato paratum facere.

XXV

SI qualia oportet purgari, purgentur: confert, & facile ferunt: si contra, difficulter.

NOn est dubium hunc aphorismũ in illo contineri, in quo dicebatur: In perturbationibus vẽtris, & vomitibus spontinis, si qualia oportet purgari, purgentur: confert, & facile tolerant: si vero non, cõtra. Verum quia in hac libri parte de purgationibus à medico factis loquebatur, & omnes fere necessarias distinctiones cõmemorauit, nõ piguit ipsum hunc quoq; adiungere aphorismũ, in quo nihil magis nouum edocetur, sed ad memoriã reuocantur ea quæ prius in alia libri parte enũciauerat de spõtinis euacuationibus, vt hoc etiam in loco totus sermo de purgationibus esset absolutus.

GALENI IN Hippocratis Aphorismos Liber secundus, interprete Nicolao Leoniceno.

I

IN QVO morbo somnus laborem facit, mortale. Si vero iuuat, non mortale.


QVOD quidem labor apud ipsum nũc læsionem significat, clarum est ex eo quod opponitur. Inquit enim: Si vero iuuerit, nõ mortale. Cum vero duplex sit ea q̃ ex somno fit læsio, altera cõmunis, quę in principijs fit accessionũ, quas annotationes vocãt:

altera propria, vt in quibusdam morbis: quādo in aliquo alio tēpore somnus nocet, de hac ipsum dicere est existimandum. Altera enim neq; mortem, neq; aliquod aliud graue significat, cum naturam temporis consequatur. In principijs siquidem accessionū, & calor naturalis totus, & humores in profundum corporis vergunt, (quemadmodum ipse docuit) & pręcipue in quibus horror vel rigor, vel fortis partium exteriorum refrigeratio cōtingit. Et propterea, si in principijs dormierint, casus illis protenduntur, & vix febres ad consistentiam perueniunt. Siqua vero inflammatio fit circa viscera, rationabile fit ipsam adaugeri: & si humores aliqui ad ventrem confluant, nō æque atq; in alijs somnis concoquuntur, sed plures fiunt incocti permanentes. Ob hanc scilicet causam, ægrotis vigilias præcipimus tēpore illo, quo fit vt ex ipsis, spiritus, sanguinis've, atq; caloris habitātis in eis, ad exteriora motionem, voluerit opponere tanquam maximū auxilium aduersus illam quæ fit in accessionum principijs, sanguinis, spiritus, & caloris naturalis ad interiora retractionē. Quare nō sine ratiōe dixerit quispiā huiuscemodi lœsiones hoc tempore accidere ex natura accessionis, & ex vigilia prohiberi. Cum vero hac priuati fuerint ægrotantes, tunc damnum sentiunt manifestius, non quia altera lœsio accedat ex somno, sed quia deest illa quæ ex vigilia habetur vtilitas. Hic quidē sermo ostēdit nullā fieri in accessionum principijs ex somno lœsionem, sed hocipsum tantūmodo, carentiam vtilitatis. Est vero & alter sermo concedens ex somnis fieri hoc tempore lœsionem. & vult nunc Hippocrates docere de ijs qui in alijs temporibus dormiunt, in quibus in totū manifesta vtilitas ex somno consequitur, pręsertim vbi morbo declināte adhibeatur. Nā & aliquādo morbo iam cōsistente adhibitus manifestam affert vtilitatē, & quandoq; in extremis partibus augmē ti quæ ad consistentiam copulantur. Sed manifestissima omnium vtilitas in declinationibus fit. & quidem cum somni nocent, minus quidem exitiales sunt iam consistē te atq; increscēte accessione: pręcipue vero in declinatio

nibus perniciosi. Nam quo tẽpore aliquod est vtilissimũ; si prӕter id quòd nihil prodest, etiã nocet, mortẽ non sine ratione significat. Ex somno autem lӕsiones cõtrariӕ sunt vtilitatibus, quòd videlicet febres ex ipsis nõ dissoluũtur, sed etiam excitantur, & quòd dolores intendũtur, & fluxiones multiplicantur, & crescunt inflãmationes. Quidã vero ex ipsis inter dormiẽdũ delyra loquũtur: & vbi expergefacti fuerint, multo tẽpore in delyrio perseuerant. Quosdã somnus grauissimus dormiẽtes occupat, & vix cum pungũtur, excitantur. Hæc vero omnia contingunt propter humorũ prauitatẽ: quos, vbi calor innatus fortior extiterit, per somnos cõcoquit. Quãdo vero debilior, succũbit, & ab illis viscera aggrauantur, & dictis affectibus homo corripitur. Ipse etenim Hippocrates vult hominẽ vigilantẽ extrinsecus esse calidiorẽ, dormiẽtem vero contrario modo se habere: id nos edocẽs (quòd etiã quibusdã alijs rerum naturaliũ studiosis visum est) somnũ atq; vigilias fieri secundũ innati caloris motiones. Non absq; ratione igitur euenit, vt cũ in viscerib9 iste collectus, causas morbificas nequeat euincere, perniciem significet. Si tamẽ euicerit, nõ propterea certe salutis est signũ, nisi quòd quispiam, quantũ ad talem affectũ attinet, ægrotũ dixerit nõ periclitaturũ, qui tamẽ ex alio possit interire. Nã si qua inflãmatio aliquã ex partibus principalibus prӕoccupauerit, solui difficilis: cõtingit ӕgrum qui ita se habeat, interire. Quare securius pronunciandũ est, vbi ex somno lӕsio aliqua aduenit, lethalem esse notam: cũ vero prodest, nõ lethalẽ. Quòd vero ex somnis aliquӕ accidant lӕsiones, ipse in libris quos Epidemiã inscripsit, ostẽdit, his verbis: Inter hos multi erant graui oppressi somno, & delyrãtes: nonnulli vero ex somno tales fiebant.


II


Bi somnus delyrium sedat, bonum.


I ambos dixerimus aphorismos, & hũc scilicet & antecedẽtem, inuicem iungi, totus sermo talis vtiq; fiet: In quo somno morbus laborem fa-

cit,mortale.si vero iuuat,non mortale.vbi igitur somnus delyrium sedat, bonum. vt quoddam veluti exemplum particulare subiungat sermoni antecedenti vniuersaliter dicto:tanquam si ita dixisset: Vbi dolorem somnus sedat, bonum. Vbi igitur febrem somnus sedat,bonū. Vbi igitur inflāmationem sedat somnus,bonum. Sed satis fuit ei tantum periculosiorem morbū nominare. Nam veritas sermonum vniuersalium, ex huiuscemodi exemplis magis dilucet.

III



Somnus, atq; vigilia, vtraq; si modū excesserint,malum.



Nonnulli ex medicinę professoribus existimarūt vigiliam modum excedentem, malum esse & signum,& causam: non tamen somnum:hunc enim semper bonum esse & signum,& causam:& nunquam fieri somnum modum excedentem: plurimos vero decipi,arbitrantes somnolētas & graues dispositiones incipientes,somnum esse longū. Verum hi à nobis discentes quòd nondum somnus grauis nominatur, nisi difficilem habuerit expergefactionem, concedant recte somnū longum nominari,quando solum tempore excesserit modum naturę conuenientem,& nondum habuerit difficilem expergefactionem. Fit autem huiuscemodi somnus refrigerato primo sensitiuo,hoc est cerebro ipso.quæ refrigeratio cum fortis fuerit, mixta quidē humiditati, facit lethargicas passiones:cū siccitate vero, eas quę gręco vocabulo καταλήψιας,id est depręhēsiones nominant. Sic & vigiliæ fiunt quidē propter calorē primę partis sensitiuę, sed vel ex sola intemperatura,vel ex humoris biliosi abūdantia. Horum vero talium omnium demōstrationes in nostris sunt scriptæ tractatibus: nunc autem sufficiat sola corū capita tetigisse. Sicuti autem quidā fuere qui solū somnū semper fieri cum modo existimarūt,& nunquam extra modū:sic nonnulli rursus aiunt vigiliā nunquā esse

moderatam,ſed hoc nomen ſolam immoderãtiam ſignificare, obliti eius quæ in vſu vitę ſeruatur conſuetudinis, quoniam & mala nonnunquam mediocria dicimus magnorum cõparatione. Sic igitur audire oportet vigiliam mediocrem,ac ſi ſignificet paruam.

IIII




On ſatietas, non fames, neque aliud quicquam quod modum naturæ exceſſerit,bonum.



Vrſus hic aphoriſmus, ſicut & alter qui antecedit, quod in vna materia, idem vult intelligi in omnibus. Nam cum ſanitas moderantia quædam ſit,neceſſe eſt omnes immoderãtias quæ plurimum à modo receſſerunt, iam ægritudines eſſe:quæ vero nondum id quod plurimum obtinent, ægritudinum generationem oſtendere.

V




Pontaneæ laſſitudines morbos prænunciant.




On eius quæ fit ex motionibus immoderantiæ nomen eſt laſſitudo,ſed eius quæ aduenit in corporibus animalium diſpoſitionis. Neque enim laſſitudinum meminit, quæ ex talibus accidunt motionibus,ſed quę ſponte contingũt. Cum igitur abſq; motu huiuſmodi euenerit diſpoſitio: non ſimpliciter laſſitudo,ſed laſſitudo ſpontanea nominatur. Sed cum tres ſint laſſitudines, quemadmodum in ſalubribus declarauimus, prima quæ vlcerum,ſecunda quæ tentionis,tertia quæ inflãmationis ſenſum habet, quæ ex illis componitur: prima quidem ex vitiatis humoribus ortum habet, ſecunda ex plenitudine,tertia ex vtriſque ſimul coniunctis. Sic enim à nobis eſt demonſtratum in ea quæ de ſalubribus inſcribitur tractatione. Quare non temere dictum eſt ſpontaneas laſſitudines morbos nunciare.

VI



Viamque dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.



Olores solet nominare nonnūquam dispositiones ipsas in quib9 dolemus: in quem sensum dicebat in libro Epidemiarum, quòd in cranone antiqui dolores frigidi, noui autem calidi: haudquaquam dolores calidos frigidos've, sed dispositiones ex quibus fiant, ita nominans. Et hoc in loco igitur eodem modo dolores ipsas dispositiones nominauit, quæcunque cum dolore fieri sunt natura aptæ, quemadmodum erysipelas, inflammationem, & vulnus, & fractionem, atque rupturam, & conuulsionem, & quodcūque tale aliquid: quod si adsit, & ab ægroto non sentiat, mentē indicat ęgrotare. Siue aūt mētē, siue animū dixerit, nihil ad pręsētia refert.

VII



Væ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet: quæ vero breui, breuiter.



Væ enī pauco tempore extenuata sunt corpora: ob humorum & spirituū euacuationem, non ex solidorum colliquatione id perpessa sunt. quę vero longo tempore extenuātur, ījs carnes contabescunt, graciles etiam reddūtur aliæ partes per quas concoctio in animalibus, & distributio, & sanguificatio atq; nutritio perficitur: quare tātum non poterit cōcoqui alimētū, quāto indiget corpus. Quā ob causam talia corpora longiori tempore reficere oportet, atque tenuiter. quod lente nominauit. In quib9 autem soli humores & spirit9 sunt euacuati, in ījs celeriter ac plenius cōtingit reficere, cum fiduciam nobis pręstet solidarum partium robur. In fine autem aphorismi duplex scriptura inuenitur, & idem vtraq; significat, siue breui casu ablatiuo, siue breuiter aduerbialiter scriptum sit.

VIII

SI a morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimẽto corpus vti significatur. quod si non assumẽte cibũ hoc accidat, scire oportet quod ĩdiget euacuatiõe.

PRopter breuiloquium, & vsum quẽdam dictionis, qui etiam est apud nos in multis ciuitatibus Asiæ, hic aphorismus habuit obscuritatem. Consuetum eñ est nobis dicere non assumere cibum, illos qui sine appetitu: assumere autem, appetentes, ac pastos vsque ad satietatem. Quicunque igitur appetentes, & abundãs alimentum accipientes, non possunt salubres vires recuperare, magis ex eo grauantur, & non nutriũtur. Qui vero neque quod satis sit, possunt assumere, vitiosos humores habẽt: quos nisi euacuauerint, fieri non potest vt robur recuperẽt sanitatis. Hippocrates vero non hic tãtum, sed & in alijs suis commentarijs, quando inuicem proportione seruata humores omnes augentur, missione sanguinis auxiliatur. Vbi vero vnus aliquis ex ipsis superabundat, illi purgatorium dat medicamen. Vt igitur ista cognoscens, & qui sępius in suis commentarijs eadem tradiderit, recte duos sequentes aphorismos subiungit, in quibus de eadem docet dispositione, de qua etiam in hoc antecedente docuit aphorismo, inquiens: Si vero non assumente ęgro hoc fiat, scire oportet quòd indiget euacuatiõe. Et ordinem quidem duorum sequentium aphorismorum puto esse deprauatum in multis alijs exemplaribus: illa vero rectius se habent, in quibus alter scribitur prior, ille videlicet: Non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lœdes. vt totus sermo talis existat: Si vero non assumente hoc accidat, scire oportet quòd indiget euacuatione. non pura enim corpora quanto magis nutries, magis lœdes. Nos vero illum sequẽtes ordinem, quem in pluribus exemplaribus scriptum inuenimus, sic eorum fecimus expositionem.

IX

COrpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere.

MVlti quidem volũt corpora fluida fieri, vbi per medicamẽta vomitoria euacuatio est facienda, cũ ĩjs quę ad vomendum irritant: vbi vero per deijcientia, continuo aluũ subducẽdo. Et ideo totã dispositionem vtriusq;, his quidẽ ad alui subductionẽ, his vero ad vomitum, faciunt habiliorẽ. Ego vero Hippocratem puto non minimũ id, sed aliquid maius hoc in loco nos docere voluisse, qđ nos longa experiẽtia didicimus ita se habere. Si q̃s enim extenuet atq; incidat crassos atq; tenaces humores qui in corpore sunt, & meatus aperiat per quos isti transmittũtur atq; trahuntur à medicamẽtis quæ vim purgatoriã habẽt, tunc purgatio in omnibus recte procedit. Qui vero istud neglexerint, & vomit9, atq; alui subductionẽ procurauerint, ĩjs difficiles veniũt purgationes, nõ sine tormínib9, & quadã vertigine, fastidio'q; multo, & malo pulsu, ac dissolutione, & difficultate. Nos vero extenuãte vtimur victu, (de quo integrũ scripsim9 librũ) & nihil horũ cõtingere cõsueuit: sed eorũ quę in corpore præter naturã continentur, sine vlla molestia ac celerrime fiũt euacuatiões. Idcirco Hippocratẽ dicimus suo adiecisse sermoni: Vbi q̃s voluerit purgare corpora, oportet fluida facere. ac si ita dixisset: Siue p̃ vomitus, siue p̃ alui subductionẽ purgare velis, fluidũ totum corpus efficiens, sic purgabis optime. Erit autẽ fluidũ, vt dixim9, oĩbus meatib9 reseratis, humorib9 vero ĩcisis, abstersis, atq; extenuatis, si quis fuerit humor in corpore crassus ac glutinosus.

X

NOn pura corpora quãto plus nutries, tanto magis lœdes.

COrrumpitur enim adueniens alimẽtum corpori malos humores habẽti, ita quòd ipsius quidẽ quantitas augetur, qualitas vero seruatur. Hoc

vero præcipue fit quãdo vẽtriculus quibusdã humoribus vitiosis plenus extiterit, ex quib9 paulo antea dictus reualescẽtibus accidit casus, nõ posse videlicet cibũ assumere.

XI



Acilius est impleri potu, quam cibis.



Vm sermo ipsi de ĳs qui indigent corporis refectione, antea sit habitus: propterea nunc scripsit materierum diuersitates ex quibus nutriuntur. Scriptum autẽ est ab ipso & in libro de alimẽto sic: Q uicunq; indigent citissima adiectione, humidũ remedium ad recuperandas vires optimũ est. Vbi autem adhuc citius, per odoratũ. Oportet autem nõ simpliciter intelligere in vtroq; libro, vel in illo humidũ, vel hic potũ, sed humida & potus quę suapte natura apta sunt nutrire corp9. Nam si nõ ita nutriũt sicuti solidiora, superant tamen nutriendo celeritate: sicuti vina crassiora. Nã aquosa (sic autem nominant alba & tenuia) sicuti aquę similẽ formam habent, ita etiam vim: quare vrinam cient, & minime nutriũt. quę vero & crassa sunt, & colore rubea, plus alimẽti habẽt quàm reliqua vina. Inest autẽ eis & citissime implere corpora euacuata, & ob hoc indigentia adiectione. Q uòd vero humidũ alimentum, & pręcipue natura calidum, facilius nutriat, manifestum ĳs qui norunt quomodo & coctio & distributio fiant.

XII



Væ relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt.



Ic etiã aphorismus antecedẽtibus iungitur. Nã cũ Hippocrates dixerit: Si à morbo cibũ assumens quis nõ corroboratur, pluri alimento corpus vti significatur. qđ si nõ assumente cibũ hoc accidat, scire oportet quòd indiget euacuatiõe. & ob hãc causam cũ deinceps de euacuatiõib9 sermonẽ habuisset, nũc causam assignat ob quã oporteat euacuare eos qui post mor

bum non appetũt: ac si totus sermo ita ab ipso transfigeretur: Quòd si non assumẽte cibum hoc accidat, scire oportet quòd indiget euacuatione. Quę enim relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuere. NB
Per ea quæ relinquuntur in morbis, malorum humorum reliquias intelliges: quas necessarium est tẽpore putrescẽtes, febres accendere. siquidẽ omnis humor alienus à natura corporis in quo cõtinetur, neque aptus natura est ad eius nutritionem: quare relinquitur vt necessario ad putredinem cõuertatur. Cum vero & locus calidus erit in quo fuerit collectus, tunc celerrime putridus fit.

XIII


Q Vibuscũque crisis, id est iudicatio fit, iis nox grauis ante accessionem: quæ vero subsequitur, magna ex parte leuior existit.


I Vdicatio est subita in morbo, vel ad sanitatem, vel ad mortem mutatio. Fit aũt natura separãte à bonis mala, & ad excernendum preparante. Non temere igitur in tali turbatione grauiter se habent. & grauitas hęc noctu fit manifestior. nam hoc tẽpore dormire cõsueuimus. Sõnis ergo à turbatione interruptis, clarius grauitas illa percipitur: licet similis fiat interdiu quãdoꝗ turbatio, quãdo nocte sequente est iudicatio futura. Quod autem in fine aphorismi scribitur, Quę vero subsequitur, magna ex parte leuior existit: in multis exẽplaribus non habetur. Vult aũt docere nos, quòd subsequens magna ex pte post iudicationẽ facilior existat, qm̃ plures iudicationes bene terminãtur. Nouimus enim plures esse ex ęgrotis sanatos, q̃ mortuos, nisi sit pestilẽs constitutio.

XIIII


I N profluuiis alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.

MVtationes excrementorum quæ multis formis variantur, exquisitius corpus expurgāt, nisi adsint signa colliquationis aut putredinis: de quibus in Prognosticis dixit: vbi & pinguium, & fœtidorū ac male olentium meminit excrementorum.

XV

VBi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. Nam si biliosę fuerint, corpus vna ęgrotat. Si vero similes sanis, tutum est corpus nutrire.

DVos inuicem sermones ex aduerso ponens, in vtroq;, id quod cōsequitur, prętermisit. Quare si vtriq; id quod deest, adiugatur: erit vniuersa oratio huiuscemodi: Vbi fauces ęgrotāt, aut tubercula nascūtur in corpore, inspicere excretiones oportet. Si em̄ biliosę fuerint, corpus vnà ęgrotat, neq; tutum est ipsum nutrire. Si vero similes sanis: neq; corpus vnà ægrotat, & tutum est ipm̄ nutrire. Ex quib9 vero mihi videtur Hippocrates ipse sibiipsi persuadēs, in hūc modū scripsisse, iam dicam: Animalium natura nonnūquam ex principalib9 mēbris humores malos euacuans, alios per vrinas, vel vomitus, vel aluum inferiorem excernit: quosdā vero extra trahit, vt ad cutim: & cum non possit euacuare ꝓpter eorum crassitudinem, ibi reponit: atq; hoc modo tubercula nascūtur in corpore: sępius & fauces ex capite fluētes humores suscipiētes infestātur. Tūc igitur considerādum est ac distinguēdum nūquid natura totam reponat patiētib9 partibus superfluitatem, an adhuc etiā corpus vitiosis humoribus superabūdet. quod excremēta indicabūt. Nam si oīno natura mota est ad expurgandum corpus, biliosa apparebūt: quoniā tubercula sanguine calefacto à bilioso humore fieri, naturam habēt. Et liquet prius esse purganda, non nutriēda huiuscemodi corpora. Non pura enim corpora quāto magis nutries, magis lœdes. Si vero excre


tiones sunt similes sanis, totũ corpus bonos habere humores indicatur: & sine vllo periculo nutriri potest.

XVI

Ubi fames, laborandum non est.

Famescere illos dicimus qui ob ciborũ inopiam ad extremam esuritionem perueniũt. Sic igitur Hippocrates ipse secundo libro Epidemiarum dixit: In oppido Aeno, qui ob famem leguminibꝰ vescebantur, crura debilitata sunt. Et quidem oẽm eximium ciborum defectum, si etiã citra penuriam ex electione vel iussu fiat, famem consueuit appellare, veluti cum ait: Carnes humidas habẽtibus, famem adhibere cõuenit. Fames enim exiccat corpora. Et cum in Prognosticis inquit, Interrogare oportet nũquid vigilauerit homo, vel aluus fortiter exinanita fuerit, vel si fames obsederit: pro defectu ciborum famem accipit. Et hoc etiã in loco sic dixit: Vbi fames, non oportet laborare. ac si ita dixisset: Qui non sunt reficiendi cibo, neque illo die aliquem laborem iniũgere oportet. Hic autem per laborem oportet intelligere vehemẽtem motum, quem exercitium nominauit. In hãc igitur sententiam ipse dicebat: Labores cibum antecedant. Est autem ipsi sermo communis ad ægros & sanos. Sanis enim non sunt pręcipiẽda exercitia simul cum inedia: neque etiam ægris aliquis vehementior motus adhibendus vnà cum cibi abstinentia: neque sanguinem mittere oportet, neque citare vomitum, neque purgare, neq; multa vti frictione, neq; in vniuersum aliquo forti motu, vel corporis alteratione. In talibus siquidẽ motibus omnibus vbi cibus defuturus sit, vires dissoluuntur, siue ægrotent, siue etiã sani sint homines. Vbique vero Hippocrates magnum studium habet seruare fortem eam quæ regit animalia potentiam. Siue igitur numero singulari potẽtiam dixerimus, siue plurali potẽtias, nil refert. Et hoc ipsum in libro de alimento Hippocrates dixit, potẽtia vna, & non vna: genere quidem ostendẽs vnam esse potentiam, species autem plures.

XVII


Bi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit: ostendit autem sanatio.

Quod i altero aphorismo vniuersaliter dixit, hoc nunc in vna specie docet. Vniuersalis enim est hic sermo: Non satietas, nõ fames, neque aliud aliquid, bonum, quod modum naturæ excesserit. verum propositus aphorismus, de vna re, scilicet satietate, pronũciat. Plus enim cibi quàm modo naturæ conueniat, repletio nominatur. Semper igitur id quod plus, ad aliquid dicitur. Verum in nostris corporibus duplex est, vnũ quãtum ad vasorum amplam capacitatem, alterum quantum ad illam quę nos gubernat naturam: de quo nunc Hippocrates docens dixit cibum excedentem esse pręter naturam: ne eos qui ita cibo sunt repleti, vt venter extendatur, omnino ex hoc arbitremur sensuros læsionem: neque eos quibus aliquid deest ad cõceptaculi mensuram, pauca assumpsisse, & omnino illa bene concocturos. Nã priores contingit quę pleno ventriculo continentur, concoquere, si natura fortis extiterit: secundos vero non posse concoquere propter imbecillitatem, tunc pręsertim cũ priores assumpserint cibos concoctu faciles, secundos vero concoctu difficiles. Sic & in distributione alimẽti, potentia sanguifica illi proportionalis quę in ventre cibum concoquit, nonnunquam ex imbecillitate non alterabit humorem ad venas distributum, etiã si modicus esse videatur. Aliquando vero istius multiplicem prõpte in sanguinem transmutabit, & ex sui robore, & ex cibi natura ad coctionem idonea. Eodem modo & tertium alimentum (quod maxime proprium alimentum nominamus, quod scilicet partibus animalis adijcitur) pro natura potentię vel excedere, vel non excedere dicetur, & iuxta hoc vel bene concoquetur, & nutriet, vel ab ipsa obtinebitur, vel non obtentum corrumpetur, & morbum generabit. Vna igitur expositio hæc est, illud quod plus est, quan-


tum ad potentiam à qua animalia reguntur, nobis intelligentibus: altera quantum ad qualitatem pręter naturam, vera & ipsa. Nutritur siquidem pars vnaquęque ex proprio alimento, quod recte diceremus esse illi secundum naturam. Cum igitur aliquando ad ipsam peruenerit aliquis humor qui alteri quidem sit secundum naturam, ipsi vero alienus, & præter naturam: malum quidem hoc existit, non tamen ex necessitate sequetur morbus, vbi exigua portio fuerit. Nam cum neque illa medicamenta quę naturam habent exitialem, sicuti mandragora, papauer, atque cicuta, possint sine quantitate nocere: multo minus huiuscemodi humor, qui præter id quòd non est exitialis, etiam alias partes enuttire potest: alioqui neque alimentum vocaretur, nisi tali esset natura præditus. Sicuti igitur si parum aliquid aeris per gulam ad ventriculum deferretur, aut potæ humiditatis pauxillum ad pulmonem per asperam arteriam dilaberetur, neque ventriculus quo ad hoc ægrotaret, neque pulmo: eodem modo se res habet etiam in aliarum partium alimēto. Et quidem alia est tertia expositio dicta à quibusdam qui nos audire iubēt, pręter naturam, pro valde & exuperanter, ac si ita diceretur, vbi cibus exuperanter intrauerit, hunc facere morbum. Nam cibum paululum mediocritatem excedētem, nondum posse facere morbum, sed adhuc seruare corpus intra latitudinem sanitatis: vera quidem & hæc sententia. Oportet siquidem cibum qui morbum facturus sit, non paruo aliquo excedere exquisitam mediocritatem. Verū non est mos ob hoc sermonem distinguere. Solent enim ipsum tantummodo genus enunciare, vel humorum corruptionem, vel exustionem, vel frigefactionem, vel cruditatem, & quæcunque alia huiuscemodi morbum facere dicentes, quasi nos in singulis horum effatu dignam quātitatem subintelligamus. Eodem igitur modo & cibum excedentem dicunt facere morbum, non adījcientes multo: cum nos non lateat quòd si quintadecima vnius drachmæ parte mediocritatem excesserit, nondū potest morbum efficere: verum si hic excessus multiplicetur, faciet

& ipse aliquando morbum. ex genere enim causarum est maxime quæ morbos committendi vim habent. Secundum hæc igitur tertia expositio etsi quàm maxime vera sit, mihi tamē videtur esse curiosior, quàm deceat veterū consuetudinem, præter id quòd violentius exponit vocis illius, præter naturam, significatum. Verba autem quę in fine aphorismi scribūtur, vbi ait, Ostendit autem sanatio: melius scriberentur cum cōiunctione, &, hoc modo: Ostē dit autem & sanatio. Neque enim sola sanatio ostendit ci bum vbi plus modico ingeritur, facere morbum, sed vt rei natura indicat, attestante simul etiam sanatione. In omnibus siquidē artibus, ĳs quę sunt recte excogitata, accedit etiam ex euentu testimonium. Quodnam igitur illud est in præsenti sermone, ea quæ sequitur ad noxiorū humorum euacuationes sanatio, quam etiam Herophilus in tritemporea significatione vocata comprehendit? Si quis enim plus consueto assumpserit cibi, æquali autem prioribus, aut etiā minori vtatur exercitio, mox aggrauato corpore cū rubore atq; tumore venarū incipiat febricitare: non absque ratione quispiam illum ex multitudine febricitare existimauerit. Si igitur euacuat9 inde iuuatur, statim existimatio de multitudine confirmabitur, & crescet audacia in eisdem simili modo euacuandi, non expectantibus empiricorum obseruationem, quam ipsi aiunt eorum esse quæ sępius in eisdem eodem modo contigerūt. Forte igitur & in aphorismo adiecta erat cōiunctio, &, deinde aliquis tanquam superfluam abstulit. Forte autem & ipse Hippocrates ab initio simpliciter scripsit absque coniunctione, Ostendit autem sanatio: ac si ita dixisset: his enim quæ prius dicta sunt, ita se habētibus vt dictū est, hoc est plurimo cibo præter naturā cōprę hensо in corpore, vbi adhibita euacuatione egrotus leuabitur: argumēto erit morbum aduenisse ex multitudine cibi. Quòd autem euacuationē simpliciter Hippocrates dicere cōsueuerit quando humores omnes æqualiter euacuantur, purgationem autem quando praua affecti qualitate, meminisse oportet, & quòd presens sanatio, non à purgatiōe fa-

cta,sed euacuatione, attestatur illi quæ fuit de multitudine existimationi. Euacuatio autẽ omnium humorũ æqualiter (quæ quidẽ exquisitissima est) fit per venę sectione. Proxima autem huic est quæ per tibiarum scarificationẽ, vt nos facere consueuimus, & quæ per exercitia, & frictiones, & balnea, & præterea ex accidenti per inediam. Dixi autem ex accidenti, quoniam nõ per seipsam inedia euacuat, vt singula antea dicta, verum euacuatio fit modo naturali transpirationis. nullo vero accedente alimẽto in locum eius quod fuit euacuatum, tunc sensu manifeste deprehenditur, quę tamẽ antea latuerat. Hæc igitur sufficiant ad aphorismi expositionẽ. Qui vero vult sermonẽ de multitudine diligentius perlegere, vnum habet volumen integrum à nobis conscriptũ, cui titulus est, De multitudine. Nunc vero hoc tantũ sufficiet adiungere ĳs quę prius à nobis sunt enarrata, quòd incipere quidem potest ea quę ad vires refertur multitudo, absq; corruptione: verum non potest optima permanere. nam omnino necesse est vt secũdum qualitatem transmutetur, & processu tẽporis corrũpatur. Verum & si istud fiat, interim multitudinẽ ipsam nominabimus, donec ex superflui euacuatione residuum optimũ fieri possit. Quod enim in vinis accidit acescentibus, tale quiddã & in sanguinis alteratione cõtingit. Quod autem in vinis accidit, tale est: Vbi ex toto acida facta sunt, non redeunt rursum ad vini naturam. paruo autem in ipsis facto momento, ita quòd acidum quidem habent saporem, nondum tamen acetum sunt, multa sępius ex his pristinam naturam recuperarũt. Hoc idem in sanguine euenit. nam & ipse, vbi magna in eo sit facta corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem. si vero paulatim fiat: vbi id quod superfluũ, fuerit euacuatum: quod residuum existit, ad suam naturam restituitur. Et quidem consuetum est huiuscemodi dispositionem, non corruptionem, sed multitudinem nominare: illa (vt dixi) sola vocata corruptione, quæ tam effatu dignam habet eam quæ ad naturæ contrariũ, euersionem, vt non possit iterum ex naturæ coctione ad pri-

mam humoris redire bonitatem.

XVIII



Orum quę vniuersim, & velociter nu
triunt, veloces quoq; fiũt excretiones.


VElociter quidem nutrire audiendũ est ab ipso dici ea quę paruo post assumptionem tempore statim nutriunt, suæ naturæ ratiõe: quam in ĳs exploramus qui integra sanitate fruuntur. Vniuersim autem, quæ postquam alere cœperunt, exiguo tempore totum ex se pręstant corpori alimẽtum. Talia igitur, quãtum ad hoc solum attinet quòd vniuersim nutriunt, etiam veloces habebũt excretiones. Si vero aliqua adsit acritudo excitans ad excretionem, aut lentor ob quẽ magis retineatur: hęc quidẽ velocius ad excretionem prorumpent, hæc vero tardius. Celerrime igitur & vniuersim maxime vinum alit, tardius autẽ & paulatim caro bubula, & cochleę, & verticilli marini, squillę, cammari, atq; locustę. Et (vt sumatim compręhẽdam) quęcũq; dura carne constant, eandem cum his naturam habent, & casei duri, carnes salitę, lẽtes, ac bulbi, necnõ oua vsquequo indurescãt elixata. Hæc enim omnia multo post assumptionẽ tempore, atq; paulatim nutriunt. Indicium autem tibi sit velocis nutritionis ex assumpto cibo, in pulsibus quidem fortitudo ac magnitudo, in motibus autem volũtarĳs robur nutritis adiectum. Ipsum vero præcipue oportet explorare in illis qui ex euacuatione aliqua sensibili sunt dissoluti vel propter euacuationem aliquam sensu perceptibilem, vel propter laborem superfluum, vel propter inediam. In hisce igitur quę antea diximus omnibus tardę fiunt excretiones, hoc est longo post assumptionem tempore: in cõtrarĳs vero veloces. Maxime autem omnium cõtrarium est vinum, celerrime (vt diximus) nutriens: post ipsum vero per ordinem alia de quibus sermonem faciam, & primum de vinis ipsis percurrens. Etenim aquosa ex eis, exiguum præbent corpori alimentum. Sunt hæc colore quidem alba, tenuia vero substantia. Crassa autem & fusca

multo magis corpus alunt. Tantum vero vincuntur à nigrioribus in nutriendo plurimum, quantum superant in prestando vniuersum & velox alimẽtum. Quecunq; vero vina alba sunt, sed & crassa: minus quidem his alunt, plus autem tenuibus & albis: sed neq; velociter neq; vniuersim alunt. Quantum vero in hisce differũt, tantum & in excretione. Aquosa enim celeriter per vrinam excemũtur, quia celerrime tota ferè anticipant resumi. Ex aliĩs vero omnibus quantũ aliquid ventrem subierit, manifeste proportionalẽ nutritionis tempori habet excretionẽ. Hoc idem in aliĩs omnibus accidit. Nam succus ptissanę non multo post assumptionẽ tempore videtur nutrire, non tamen multum præbere corpori alimentum, id vero breui tẽpore prębere vniuersum. Alica vero neq; paucum, neq; vniuersum affert alimentũ, sed multo tẽpore multum affert alimẽtum. Oportet autem & ea quę inuicem comparantur, esse secũdum substantiam similia, & non esse hoc quidem exquisite humidũ, hoc vero extreme siccum. In ptissana igitur & alica, & huiuscemodi omnib9 quęcũq; parantur ex miliĩs vel fabis vel aliĩs fructibus, eodem modo se habeant quę cõparantur, secũdum substantię qualitatem. In carnibus autẽ propria est vniuscuiusq; consistentia. Comparare igitur ipsa oportet secundũ modum quo parantur, vel vtrisq; assis, vel eodem modo elixatis. Auferre autẽ oportet & dum parantur, mordaces humores, queãdmodum in brassica ac in leguminibus, si certã velis habere experientiã eius quę in ipsis alit substantię. Auferuntur autẽ humores dicti, si dũ elixantur, ab vna aqua ad aliam transferãtur. Si igitur adhibita distinctione, diligẽtem omniũ feceris inquisitionem: inuenies omnia quæ in pauco tempore nutriunt, (hoc autem est vniuersim, & paruo post assumptionem tempore, hoc enim est velociter) etiam velocem habere excretionem quando hominibus eodem modo affectis exhibentur: (nam & hoc in talibus omnibus oportet præfinire) at quæ cõtrariam naturam habent, tarde excerni. Causam horum inuenies ex ĩjs quæ ostensa sunt in cõmentariĩs de potentiĩs naturalibus.

In his vero ostendebatur ventriculus prior proprium sibi ipsi ex cibis alimentū attrahere, & suis apponere tunicis: mox vbi hic fuerit saturatus, tunc ipsos emittere ad excretionem. In hoc autem tempore & hepar ostendebatur ex cibis attrahere, vbi indigeret alimēto. nam si non egeat: illo quod prius aderat, perfrui: eodem autem tēpore trahere rursus ex hepate totum corpus, quo tempore scilicet & hoc indiget alimento. Vnde in quibus totū corpus est vacuū, quispiam maxime possit experiri qui cibi sint vniuersim & velociter nutrientes: quibus & illud inest, celeriter tendere ad excretionem, quātum ad id attinet. Verū nonnulli dixere eam quę fit ex toto corpore euacuationē, ab ipso excretionem nominari, vt idem sit quod nunc docetur, ei qđ dixit in libro de alimēto, vbi inquit: Cibus qui difficulter alterat, difficulter absumitur. qui facile apponitur, facile absumitur. Quod dictū verissimū quidē est, non tamen proprie videtur audiri sub appellatione excretionis. Nā magis proprie dicitur solū de ea quę fit per vētrem: possumus quidē & ipsam audire de ea quę fit ex toto corpore. Differt enim, excretionē, vel subductionē dicere. Subductio igitur solū de ĳs dicitur, quæ p aluū deĳciuntur: cōtingit autē excretionis vocabulum esse cōmune. Carnes itaq; suillę, & quęcūq; lentos ac crassos humores habent, in tēpore faciunt ex toto corpore transpirationem. Olera vero, & pisces saxatiles, & simpliciter quęcūque tenuem habent humorem distribuendum, celeritate quidem distributionis atq; appositionis exuperant, stabilem vero naturam non habent, sed facile difflant.

XIX


Cutorum morborū nō omnino sunt certę pręnunciationes, aut salutis, aut mortis.


Cuti morbi, præter id quòd celeriter iudicātur, statim etiam magnitudinē habēt. Nam febres diarię, quas gręci ephemeras vocāt, licet cito finiantur, non tamen acuti morbi nominātur. Duplex autē

est acutorũ morborũ natura. Vel enim in humoribus calidis solis qui nullũ obsidere locũ, sed ęqualiter in omnibus animalis partib9 apti sunt ex sua natura generari, vel loco aliquo patiẽte fiunt, vt in morbo laterali, pulmonis inflãmatione, angina. & omnino in acutis morbis sunt febres cõtinuę. Rari enim sunt ex ipsis quibus febres nõ adsint, vt morbus attonitus, quẽ gręci apoplexiã vocant. Morbi vero longi, ob crassos, lentos ac frigidos fiunt humores, qui nõ facile cõcoqui possunt, & in patientibus partibus impacti sunt atq; agglutinati, ita quod eorũ dispositiões magis pręduris tumoribus quàm inflãmationibus assimilãtur. Pauci vero ex ipsis fiunt per compassionẽ, & absq; loco patiente: in quibus venę omnes æqualiter habẽt humores putrescẽtes, vel atrę bilis, vel pituitæ naturã pręse ferẽtes. In his omnibus videtur Hippocrates fidere pręcognitionibus, in acutis vero nõ omnibus. Verũ est aliquando quòd & falli pręcognitionẽ cõfitetur. Tale enim quid est quod dicitur, nõ omnino, hoc est nõ in omnib9. q̃d genus sermonis vsurpare cõsueuerũt quãdo paucos ex multis volũt excipere, vt cum dicũt, Nõ omnes homines mali. Qui enim hoc dicit, ostẽdit paucissimos esse bonos. Ita igitur & nunc Hippocrates ostẽdit, inquiens nõ omnino certas esse in morbis acutis prænũciationes, cũ aliquãdo, quãuis raro, cõtingat medicum optimũ aberrare. hoc autem fit propter subitam in iudicatione permutationem, quę naturam humorũ sequitur morbificorũ, & quia nonnunquã humor noxius ex vno loco transfertur ad alterũ.

XX



Vibus iuuenibus adhuc aluus humecta est, iis senescẽtibus exsiccatur. Quibus vero iuuenibus adhuc aluus sicca est, iis senescentibus humectatur.




Vòd quidem hoc ex magna parte fiat, & non semper, ostendit ipse inter sequẽtes hunc scribẽs aphorismũ: Quorum aluus humida est, si iuue-

nes fuerint, melius cõmutant, quàm ĩj quibus est sicca: in senectute vero deterius, nam magna ex parte senescentibus exsiccatur. Oportet autẽ humidas & siccas aluos intelligere nõ simpliciter, sed eadem victus seruata ratione. Si quis enim in iuuentute Alexandrinorũ victu vteretur, salsis vtens cibis, & porris, zythum'q; superbibens, in senectute vero nihil horum assumeret, lentem autem esitaret, & vinum austerum potaret, quo pacto diceremus huius hominis deiectiones ætatis ratione permutari? Sic & qui in iuuentute lentibus vesceretur & mespilis, & vinũ austerum potaret, in senectute autem victu vteretur Alexandrinorũ, atq; ita cum victu excretiones mutaret, non recte ex deiectiõibus iudiciũ fecerimus. Sed cum omnia alia, non solũ quæ ad cibos attinent, paria agentur, & deiectiones cõmutabuntur: tũc rectum fiet iudicium de ĩjs quę ab Hippocrate in hoc aphorismo dicũtur. Variantur autẽ deiectiones ętatum ratione secũdum eas quæ in corpore mutãtur dispositiones, ex quibus aluus siccior humidior've fit. Quęnam vero sint hę dispositiones, vnum est ex ĩjs quæ quęrũtur: atq; adeò longum mihi futurũ super hoc sermonẽ existimo, si proprias studuero adhibere demonstrationes, quòd vnus integer liber erit necessarius. Sed hoc aliâs forte à nobis fiet: nũc breuibus capita expediam, ĩjs vtens quæ in cõmentarĩjs de potentĩjs naturalibus, & de causis accidentium demonstraui. Plusquã modo conueniat, fit aluus humidior, quãdo cibus in chylum cõuersus, in ipsa parcius distribuitur. Siccior vero rursus, omni humore in ipsa contento ad hepar relato. Causa vero ob quam parcius distribuitur, est quia plus cibi aliquãdo assumimus, quàm hepar indigeat. Contingit autem quãdoq; vt citius deĩjciatur. Nam cum cibus modũ excedit, eius superfluum derelinquitur, vbi hepar tãtum ad se attraxerit, quanto indiguerit. Cũ vero properat ad exeundum, nõ pręuenit hepar tãtum attrahere, quãtum ipsi est necessariũ. Citius autẽ festinat ad exitum id quod excernitur, nonnunquã ob multitudinẽ bilis ad aluũ defluentis, quæ irritat ad excretionem, nonnunquã vero ipsa alui po-

tentia retentiua facta debiliori, expulsiua vero eius atq; intestinorum forti existēte. Plura igitur appetimus cū os ventriculi (in hoc enim vis appetendi pręcipue consistit) frigidiorem habuerit tēperaturam. Sic vero & hepar minus attrahit propter frigiditatem. Vim autem retētiuam habet ventriculus imbecilliorem propter humiditatem, sicuti expulsiuam fortiorem propter siccitatem. Senum igitur corpus cum frigidum efficiatur, tantum augeri cōtingit in ore ventriculi frigiditatem, vt appetitus deficiat, atque ita excrementa exsiccentur inopia eorum quæ distribuūtur. Sic & quicūq; ob multitudinem vel naturam humoris biliosi aluum humectam habent, ad contrarium transmutātur, cum hic humor in senectute deficiat. Quibus vero ob virtutis retētiuę debilitatem aluus humectatur, non omnibus transmutatio aduenit, sed pro quantitate caloris adiuncti. Si enim statim ab initio frigidiorem habuerit aluus temperaturam: mox ad immodicam veniens in senectute intemperiem, secundum frigiditatem virtutem retentiuam æque habebit imbecillem, quoniam oīs immodica intemperies operationem exoluit. Quòd si exquisite calida fuerit in longo ætatis processu, fortem habebit operationem retentiuam, vt quę neutram habeat exquisite intēperiem, neque eam quæ est secundum siccitatem (siquidē erat omnino humidior natura: alioqui non habuisset debilem virtutem retentiuam) neque secūdum caliditatem. hoc enim supponebatur. Liquet igitur quòd ferè omnibus qui aluos habent natura humidiores, fit ad contraria senescentibus transmutatio. qui vero sicciores, ĳs fient in senectute humidiores propter cōtrarias temperaturas. Vel enim quia minus assumitur cibi, quàm potētię hepatis congruat, vel quia parum bilis confluit ad aluum, vel propter potentię retentiuę robur excremēta exsiccantur. Ex his autem, quòd parum appetant, & citius impleantur, fit propter partium appetētium caliditatem. Quòd vero cibus assumptus exsiccetur, cōtingit vel modice se habente hepate secundum tēperaturam, vel paulo plus modico calidiore. Quòd vero pauca bilis cōfluat ad

aluum, hoc ex eo accidit, quia etiam pauca generatur ob visceris frigiditatem. Fortis autem iuuenibus inest retentiua potentia, quoniam ad ficciorem vergunt temperaturam. Non absq; ratione igitur in omnibus quos diximus senibus fit ad contraria transmutatio. Nam qui non appetunt ob caliditatem, in progressu ætatis plus etiam appetent quàm possit hepar euincere. Quibus vero ob innatam ficcitatem virtus retētiua fortior extiterat, ĳs senescētibus fiet imbecillior ob siccitatis excessum: & ea ratione excrementa humectabūtur, quoniam ciborum exitus festinat. Quibus vero propter bilis defectum tardante excretione, ob exitus moram plurimum humiditatis absumitur, fieri potest vt eadem dispositio perseueret. Contingit etiā quod propter immodicam hepatis frigiditatem, ad satis magnam peruenientē alimenti distributione imbecillitatem, fiant excremēta humidiora. Hæc in præsenti dicta sufficiant de causa earum quæ fiunt in ætatibus permutationum, quātum ad alui attinet humiditatem ac siccitatem: quæ propter breuitatem sunt futura obscura ĳs qui in nuper dictis commentationibus non sunt exercitati. Sed mox aliquando per vnum volumen integrum de eisdem clariorem doctrinam faciemus. Quātum autem ad vsum artis attinet, hoc solum scisse sufficiat quod fuit ab Hippocrate dictum, etiam si causa non adĳciatur.

XXI



Famem, thorixis, id est vini potio soluit.



Vini potionem, thorixin nominare consueuit. In libro igitur de natura hominis, & de victus ratione, in hunc modū scripsit: Liquet igitur quòd victus singulorum non sunt causa quādo omnes subinde morbo corripiātur, iuniores scilicet ac seniores, viri simul ac mulieres, similiter & thorissomeni, & aquę potatores. Cū ergo aquę potatores a thorissomenis ex aduerso distiguat, hinc ostēditur ipsum per thorissomenos vinum potātes intelligere. Quare & thorixis, vini potus ab ipso dicitur: quem dicit famem soluere, non (per Iouem) quem-

cunque defectum famem nominas,(sicuti nonnulli arbitrantur) sed neq; illã quę cum appetitu fit, sed eam quam habent qui hac passione laborant, quę vehemẽs, & sedari contumax ciborum appetẽtia dicitur: quam & quidam medicorum appetentiam caninam nominãt. Talem eñ famem, vini potio sanat, non eam quę ex longa inedia, vel alui profluuio, aut fluxu sanguinis, aut aliqua alia facta est euacuatione. Nam qui ex tali aliqua indigent causa, nedum aliquam ex vini potu capiũt vtilitatem, etiam plurimum offenduntur, quoniam & conuulsionibus atq; delyrijs confestim corripiuntur, si antequam cibos assumpserint, vinum potauerint. Qui vero famem quam diximus patiuntur, ijs vini potus, non cibi multitudo, remedium est. Equidem multos ipse sanaui qui indesinenter famescebant, vinum ipsis abundanter exhibẽs ex eorum genere quæ sufficienter calefaciunt. Neque enim acerba vina talem famem sanant, siquidem neq; calefaciunt: sed quæ colorem subrubeum habẽt, vel rubeum absq; acri sapore, maximo sunt illis remedio qui canino laborant appetitu. Oportet siquidem cum ad prandium accedũt, primum illis afferre pinguia edulia, atque (vt ita dixerim) oleagina, & quęcunque alia ex plurimo parantur oleo: sed in primis nihil austerũ aut acre offeratur: postea vnũ aliquod ex vinis quæ diximus, etiam si nondum sitierint, ad potandum dari præcipimus. Statim enim sedatur fames: & talem longo tempore victum exhibendo, cessat omnino. & hoc mihi magis videt in pręsenti aphorismo Hippocrates docere. Cum eñ canini appetitus vel propter solam intemperaturam frigidiorem, vel propter humores acidos fieri consueuerũt quos exsorbuit os ventriculi: (hęc vero ambo sanare potest vinũ quod diximus) non sine ratione cessare facit caninos appetitus. Qui vero putant vehemẽtem esuritionem, quam gręci bulimon vocant, fuisse nunc famem ab Hippocrate nominatam, non satis recte mihi videtur sermonem accipere: Primum quia ipm̃ pro gñali atq; vniuersali faciũt speciale, ac magis particularem: deinde etiã mẽtiũtur. nã passio bulimos

noïata, est casus potentię ex frigiditate exteriore, qui à fame quidē inchoauit, sed non habet eā amplius adiūctam.

XXII

Q Viciūq; morbi ex repletione fiūt, curat euacuatio: et quicūq; ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas.

NOn si quid factū ex repletione, neque ipsa non amplius existente si quid remanserit, curat euacuatio, sed quęcūq; eoipso quo fiunt tempore, curare aggredimur euacuatione indigentia. Quòd quidē igitur multitudo morbum efficiat, antea dictū est: quòd autem euacuatio sit eius curatio, nō opus est dicere, sicuti neque de omnibus aliis causis quæ morbos committunt, quòd per contraria curentur. Neque em̄ aliud quicquam quimus excogitare pręter contrarium causis ipsis efficiētibus morbos, sicuti in morbis ipsis iam factis rursus considerabimus: queādmodum & in casibus, quę ad eos ex necessitate consequuntur. sed nunc de iis qui adhuc fiunt, sermo à nobis habetur. Liquet igitur quòd vnà cum causis ipsos faciētibus destruuntur. Causarum vero faciētium abolitio fit ex contrariis. Si enim ex refrigeratione morbus fiat, curatio est per calefactionem. si vero ex calefactione, per refrigerationem. Sic & si propter repletionem morbus constituatur, tunc oportet multitudinem euacuare: sicuti & si propter euacuationem, reficere protinus conuenit. Atqui nonnullis videtur nūquam fieri ab euacuatione morbum. existimant autem (vt apparet) huiuscemodi homines solam febrem esse morbū. quòd si didicissent quālibet lœdentem operationes dispositionem, morbum esse, & quòd a vehementibus intemperaturis operationes lœduntur, haudquaquam dubitarent an fortes euacuationes morbos efficiant. Sanguis enim cum supra modum aut ex vtero muliebri, aut ex venis quę hęmorrhoides appellātur, aut ex vlcere fluxerit, tūc vel omnes, vel plurimas operationes ii qui ita affecti sunt, offensas habent. Nōnulli vero ipsorum non modo hęc patiūtur, verū etiam aqua

intercutem corripiũtur. Longę autem inediæ ῆs qui calorem habẽt ad igneam naturam propensiorem, pręter alia mala, insuper afferunt febrem. Quatum veritas ipsa atq; vtilitas exigebat, dictum à nobis est: sed & his addamus aliquid propter delyros, quales sunt quidam medici recẽtiores, qui de nominibus altercantur, & putant se de reb9 ipsis habere sermonem. Hi igitur sunt qui aiũt causarum efficientium morbos abolitionem, non esse curationem, sed pręseruationem. Qui primum quidem docendi sunt, quòd de nomine litigant, deinde quòd neque de hocipso recte. Vbi eñ causa non adest quæ morbum efficiat, hic sola curatio factorum relinquitur. Vbi vero ea quę inest corpori dispositio, nondum aliquid facit, veluti quæ plethora, id est plenitudo vocat, hoc ad pręseruatiuam artis attinet partem, si huiuscemodi causę destruantur. Cum vero iam aliquid agit, mixtum iam est huiuscemodi opus ex pręseruatione ac curatione. Nam quod facturę erant causę illę, prohibitum est fieri: & hoc ad artẽ attinet præseruatiuam. Quod vero iam factum est ex morbo, propriam exigit curationem. Quapropter cum mixta sint talia ex pręseruatione ac curatione, proprio caremus nomine: atq; idcirco aliâs alia vtimur appellatione, nonnũquam præseruari dicentes ne morbus qui iam incipit generari, ad complementum perducatur: nonnunquam vero curari: quemadmodum in ῆs quos canis rabidus momorderit. Quę enim ipsis adhibẽtur medicinę, duplicem habent appellationem. Nam & nonnunquam rabiei remedia dicũtur, ac si rabiem faciẽtis dispositiōis dicerẽtur. Nõnũquam vero nõ remedia pręsentis dispositionis appellantur, sed à rabie futura pręseruantia.

XXIII

Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

Acuti morbi magni sunt, & ad suum vigorem celerrime properat. Non absque ratione igitur in pauco tẽpore & magnas faciunt permutatio-

nes:quod idē est quod iudicari. Huiuſcemodi enim permutationes quando vniuerſim in morbo fiunt, Hippocrates criſes vocat, id eſt iudicationes: in quibus nonnunquā ſubito integra ſanitas reſtituitur, nonnunquam vero moritur æger, aut magna fit vel ad ſalutem, vel ad mortem permutatio, non tamen aut ſubito ſanantur, aut moriuntur: ita vt quatuor ſint in ipſis ſubitæ permutationes, quas ipſe docuit in primo libro Epidemiarum, inquiens: Ad ſalutem, aut mortem, vel inclinatio ad melius, aut ad peius. Quòd vero ſit neceſſarium ob morborum magnitudinē, ac caſuum vehementiam, vel cito vires proſterni, adeò vt homo moriatur: vel ſi ad noxiorum humorum excretionem impetum faciant, & quos inuaſit, exuperent, bonā ſequi iudicationem: ſi vero exuperentur, malam: vnicuique fit manifeſtum. Propterea igitur eſt impoſſibile vt in longum tempus iudicatio differatur in morbis acutis. Terminum igitur in hiſce omnibus Hippocrates poſuit duarum ſeptimanarum, tanquam nullus eorum vlterius progrediatur, verum ante quartumdecimum diem multi poſſint iudicari. Etenim vndecimus, nonus, ſeptimus, & quintus, multos viſi ſunt iudicaſſe in libris Epidemiarū. Iudicat autem & ſextus nōnullos, ſed non bene, ſicuti in libris de iudicatorijs diebus plenius oſtendimus: in quibus ſi quis debeat exercitari, illum volumus ea conſectari quę Hippocrates breui ſermone perſtrinxit. Quæcūque vero iudicationes ſunt veluti imperfectæ, ijs finem imponit aliquis alius ex eorum numero qui deinceps ſequuntur, de quibus, qualesnam ſint, in libris Prognoſticis Hippocrates docuit: ſed & de ipſis aliquid in ſequenti docebit aphoriſmo. Eſt autem & harum imperfectarum iudicationū terminus quidam exterior, poſt quem non amplius fieri progreſſus natura poteſt, dies quadrageſimus. Quicunque igitur morbi intra diem quartumdecimum integre iudicantur, hos ſolet Hippocrates acutos ſimpliciter nominare. Quicūque vero imperfecte iudicati, ſeruati ſunt in proceſſu dierum vſque ad quadrageſimum, hos non ſolet ſimpliciter acutos nominare, ſed appellatione compo-

sita pec hæc verba simul, acuti qui in quadraginta diebus iudicantur. Verum manifestius illi declarant, qui eosdem morbos, acutos ex decidētia vocant. De his igitur in Prognostico scribit in hunc modum : Oportet autem existimare spirandi facilitatem magnam habere vim ad saluté in omnibus acutis morbis, quicūque febres habent adiūctas, & in quadraginta diebus iudicantur. Nunc vero in aphorismis de acutis simpliciter ostendens, ait eos intra quartumdecimum diem iudicari: nō (per Iouem) hoc dicēs (quod nonnulli existimarūt) quòd quatuordecim sint numero dies qui in his morbis faciant iudicationem. Nā secundum hanc expositionem, etiā illos qui iudicant morbos acutos, ex decidentia nominatos, dicemus esse numero quadraginta, cum idem loquendi modus in vtrisque, hic quidem cum ait morbos acutos in quatuordecim diebus iudicari, in Prognosticis autem, Quicūq; cum febribus in quadraginta diebus iudicantur. Verum hi cum nō inueniant qui possint ostēdere vtrosque sermones, & hūc qui in aphorismis scribitur, & alterum qui in Prognostico, sibi inuicem esse concordes: hanc absurdam excogitarunt expositionem. Neque enim quatuordecim sunt vsq; ad quadragesimum dies iudicatorij, sed cum intercidentibus quidem plures, absque illis vero pauciores: quemadmodum clare in nostra ostenditur de diebus iudicatorijs tractatione. Sed & ipsa rerum natura suffragatur ei ratiocinio quo dicitur acutos morbos habere terminum iudicationis quartumdecimum diem. Nullus enim inuentus est vnquam qui ab initio velociter moueretur, hunc transgredi terminum, qui aliquam ex dictis non accepere mutationem : sicuti quidam leues ac parui circa primos dies existentes, quarto aut quinto die continui, vehementes, & acuti fieri incipientes, ad decimumseptimum terminarunt. Alij vero sexto aut septimo die exacui incipiētes, ad vigesimum terminarunt: adeò quòd morbi continui acuties nunquam potest plures quàm quatuordecim obtinere dies. Ex ijs vero qui motus habent inæquales, multi extenduntur vsque ad aliquod tempus exterius

præfinitum. Dico autem inæquales habere mot9, eos qui aliquot diebus fuere vehementiores, postea sine aliqua significatione torpuerunt, deinde rursus adaucti continuitatem acceperunt. Si quis igitur, vt dixi, faciat in ægrotātibus obseruationem: omnes inueniet qui duas septimanas velociter mouentur, nunquam ad exteriorem progredi terminum.

XXIIII

Septenorum quart9 est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem et vndecimus cōtēplabilis. Ipse enim quartus est alterius septimanæ. Rursus vero et decimus septimus cōtemplabilis: ipse siquidem quartus est a quartodecimo, septimus vero ab vndecimo.

INdices & cōtemplabiles solet Hippocrates nominare dies in quibus aliquod signum apparet futuræ iudicationis indicatiuum in altero aliquo iudicantium dierum, quos ipse in Prognosticis, vnāquanque septimanam in duas diuidēs partes, per quaternarios digessit. Primum itaque quaternariū septimi diei ab initio indicem esse ait, vndecimum autē quartidecimi, quoniam & hic secunda septimana in duas partes diuisa prouenit. Eadem ratione & decimusseptimus vigesimi est index, quoniam ex diuisione tertię septimanę in duas partes efficitur, nisi quòd hanc tertiam septimanam secundæ coniungit, quanuis primam à secunda separauerit, nam eius initium diem octauum esse dixit, non tamen tertiæ quintumdecimum, quemadmodum nōnulli post ipsum existimarunt, quoniam neque vigesimumprimum pro termino statuit, sed principium quidem tertiæ septimanæ quartumdecimum, finem autem & terminū vigesimū. Cur vero duas primas septimanas secundum disiunctionem inuicem ordinauerit, tertiam vero secundæ secundū continuitatem, in libro de diebus iudicatorijs docuimus.

Quantum vero ad præsentia, sufficiat etiam sine causa nouisse quod experientia comprobat. Et ipse vero Hippocrates plurimos ægros tali ordine dierum iudicatoriorum & in libris Epidemiarum scripsit fuisse iudicatos. Dixi autem secundum talem ordinem, ex quo primę tres septimanæ ad vigesimum, sequentes vero tres ad quadragesimum perducantur. Sic enim & sexagesimum & octuagesimum diem iudicatorios habebimus, hos pariter ipsos experientia confirmante, quemadmodum in libris de diebus iudicatorijs ostendimus: illos qui in libris Epidemiarum notantur iudicati, secũdum talem dierum ordinem describentes. Illos vero ægros longum esset hoc in loco sermone complecti. Sufficiet autẽ sola ex Prognosticis verba in hunc modum se habentia subscribere: Febres iudicantur in eisdem numero diebus, ex quibus etiã homines liberantur & pereunt. Nam mitissimæ febres, & quæ tutissimis signis incedũt, quarto die finiuntur, vel antea: pessimæ autem, & grauissima signa prę se ferẽtes, quarto die interimunt, aut prius. Primus igitur earum insultus ita terminatur. Secundus vero ad septimum ducitur. Tertius ad vndecimum. Quartus ad quartumdecimum. Quintus ad decimumseptimum. Sextus ad vigesimum. Hi igitur per quatuor ex acutis ad vigesimum ex adiectione finiũt. Hęc verba ostẽdunt manifeste quòd tertiam septimanam per continuitatem secũdę annumerat, & quòd decimamseptimam indicẽ facit vigesimæ. 3 progno/tex. 3

XXV

Estiuę quartanę magna ex parte breues, autumnales longæ, & maxime quæ hyemem attingunt.


Non solum quartanæ breues æstate fiunt, sed & ægritudines alię, propterea quòd humores funduntur inutiles, & per totum corpus ferũtur atque difflantur. In quibus igitur vires validę sunt: noxijs humoribus euacuatis, morbi cessant. In quibus vero sunt imbecilles: vnà cum ipsis euacuatis & ipsæ dissoluuntur.

Quare non abſque ratione nulli morbi æſtate ſunt longi. Hippôcrates vero de ſolo omnium longiſſimo fecit mentionem, veluti exemplo de omnibus alĳs ex iſto pronuncians. Sicuti vero æſtate & diſcuti humores, & vires diſſolui contingit: ita hyeme contraria eueniũt, & humores intus remanere, veluti latibulis incubantes, & vires ſeruari robuſtas. Neque igitur morbi ſoluuntur manentibus ĳs qui eos efficiunt humoribus, neque ægroti moriuntur viribus interim ſufficientibus.

XXVI




Ebrem conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quam febri conuulſionem.




Pſe Hippocrates in ſequẽtibus dicet conuulſionem fieri ex repletione, & euacuatione. Cũ igitur aliquem ſanum contigerit repente conuelli: huiuſcemodi conuulſionem fieri ex repletione fit neceſſarium. Et quidem nerui replentur à frigidis & glutinoſis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur: vnde conuulſionem patiuntur. Hiſce igitur febris ſuperueniens, ſolita eſt magna ex parte calefacere, extenuare, atque diſſoluere. Si vero ex febribus adurẽtibus totum corpus exſiccetur, & neruis deinde ex ſiccitate conuulſio accidat: hoc maximum eſt malum, & penè inſanabile, quoniam longum tempus exigitur ad ſiccitatem remouendam, ſed morbi acuties tempus non expectat, quin cito vires diſſoluit, & ſubito exitium affert.

XXVII



Is qui non ex ratione leuius ſe habẽt, non oportet fidere, neque multũ formidare mala quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia ſtabilia non ſunt, neque multum durare & permanere conſueuere.



Ermo vere quidem integer de talibus omnibus in libris de Criſibus ſiue iudicĳs dictus eſt, nũc vero quantum ad propoſitorum expoſitionem

sufficiens est dicere, à nobis dicetur. Cum morbus inuadit vehemens, mox subito quiescit, neque per sudorem, nec vomitum, neque alui excretionem, aut profluuium sanguinis corpore euacuato, sed neque viso signo coctionis: signum infidum existimat talem quietem esse: sicuti etiam siquis præter rationem spiret difficulter, vel vehementius febricitet, vel magno rigore corripiatur. Nam & hæc quoque firmitatem non habent: tantum'que abest vt malũ aliquid significent, quòd nonnũquam bonum iudicium haud ita multopost futurum enunciant. Quomodo autem hæc oporteat cognoscere & præcognoscere, in libris de Crisibus diximus.

XXVIII

FEbricitantiũ non omnino leuiter, permanere corpus, & nihil minui, vel etiã plusquam ratio postulat contabescere, malũ. Hoc enim morbi longitudinẽ, hoc vero imbecillitatem significat.

HAec verba, Non omnino leuiter, distinctionis gratia apposuit Hippocrates. Si enim simpliciter dixisset, Febricitantium permanere corpus, & nihil minui, malum: sermo careret veritate. Contingit enim in tempestate frigida cuique ex repletione ægrotati, non collabi corpus, neque extenuari, cum febres paruę fuerint: sed cum maiores fuerint, multam adesse repletionẽ significatur. Contabescere autẽ plusquam ratio expostulat, malum: etiam si non adijciatur, Non omnino leuiter. Siue enim leuiter febricitauerit, siue non: signum imbecillitatis est ea quæ fit pręter rationẽ extenuatio. Neque enim putandum est verbo, contabescere, in proprio significato nunc fuisse vsum, sed magis abusum. Recte autẽ dixit in secũda parte aphorismi, Magis quàm ratio expostulat. & melius est hęc quoque verba priori parti aphorismi adaptare, ita vt totus sermo talis efficiatur: Febricitantium non omnino leuiter, permanere corpus, vel etiam contabesce-

re magis quàm ratio expostulat, malum. vt communiter de vtroque prædicetur, Magis quàm postulat ratio. Siue enim permaneant magis quàm ratio expostulat, siue extenuentur, malum. Melius autem fuisset si hoc quod ait, Magis quàm ratio postulat: quibus finibus iudicetur, aperuisset. Sed quia doctrinę modus est aphoristicus, summã sequens breuitatem: nos exponentes verbum, secundum rationem, ad febris magnitudinem referemus, & ad tempus ęgritudinis, ętatem, & regionem, & tempus anni, & illam quæ tunc viget temporis constitutionem, & præterea sensibiles euacuationes, vigilias, curas, inedias, motus plures. Nam maiores febres magis & citius corpora extenuant ægrotãtium, sicuti & diuturnitas morbi, & ex ętatibus puerilis, atque decrepita: sed alia ambę ratione. In pueris enim propter caliditatem atq; humiditatẽ multum defluunt atque extenuantur corpora: in decrepita vero ætate hoc idem patiuntur propter potentię imbecillitatem. Ex regionibus autem, & anni temporibus, ac constitutionibus, calidę quidem ac siccę magis euacuant, humidę vero ac frigidę magis adstringunt, ac difflare corpora atque extenuari nõ sinunt. De sensibilibus autem euacuationibus quid dicere oportet? Neminem enim ignorare arbitror quòd ex profluuio sanguinis multo, atq; sudoribus plurimis, & vrina superfluente, vel vomitu, vel alui excretione, cito corpus extenuetur. Adiacet autem & dictis causis inedia: & præterea vigilia & curæ sufficienter extenuant, & plures motiones: sed hę raro febricitantibus adsunt. nam magna ex parte iacent quiescentes. Verum aliquando contingit moueri aliquos, qui in itinere cœperint febricitare, vel vrgẽte necessitate, vel studio domum reuisendi. Sed ex delyrio quidam ægroti iugiter se attollentes, vel iacẽtes quidem, sed continuo partem aliquam corporis commouẽtes, aut etiam delyra loquentes, intra paucos dies extenuantur. Hæc quidem omnia ægrotos reddunt macilentos, sicuti & contraria his corpus in maiori mole cõseruant. Signum autem nullum ex his est virium imbecillium, sed causa tantũmodo ipsorum singu-

lum. Nam ſicuti ex eo corpus cum ratiõe extenuatũr,ſic & vires deſtruũtur. Abſq; his autem corpus præter rationem extenuari,ſignum eſſe virium imbecillitatis Hippocrates inquit:quã & in decrepitis pro cauſa aſſignamus. celerrime autem ipſorum corpus extenuari dicebamus. Neq; mirum videri debet in ĩs qui ita ſe habent,imbecillitatem quidẽ cauſam eſſe extenuatiõis,extenuationẽ vero eſſe ſignũ imbecillitatis. Hoc enim contingit in omnibus quæ faciunt,& fiunt. Hæc quidem eſt ſententia Hippocratis,ſemper exiſtimãtis eam quæ eſt citra rationem extenuationem,ſignũ eſſe imbecillitatis. Nos vero adĩciamus eius ſermoni & aliam diſpoſitionẽ quæ cauſa eſt in febribus extenuationis. Eſt autem hæc humorum quidem tenuitas,corporis vero raritas. Cum enim hæc ambo conuenerint, celerrime corpora euacuantur per eam quæ difflatio inſenſibilis nominatur, ſicuti in diſpoſitione contraria, craſſitudine humorum, & corporis ſpiſſitudine, neq; fit humorum euacuatio, & permanere corpus, & nihil tunc deteri de ipſius mole contingit. Hanc itaq; diſpoſitionem oſtendit Hippocrates in prima parte aphoriſmi per ea verba,Longitudinem morbi ſignificat. Alteram vero cõtrariam prætermiſit:ſed nos & hanc adĩcientes,iam totum ſermonẽ integrum proferamus. Itaq; fieri poteſt breuiſſime dictum:Febricitantium non omnino leuiter,permanere corpus,& nihil imminui,vel pluſquam ratio poſtulat contabeſcere,malum. Nam permanere,ex cutis ſpiſſitudine accidit,& craſſitudine humorũ: & propterea longitudo morbi ſignificatur. Contabeſcere autem nonnunquam fit ob humorum tenuitatem, & cutis raritatem. Contingit vero & ob ſolam viriũ imbecillitatem.

XXIX



Vm morbi inchoant,ſi quid mouendum videtur, moue: cum vero conſiſtunt ac vigent, melius eſt quietem habere.

CVt Hippocrates hoc consulat, sequenti indicat aphorismo: quem si nuperdicto annexueris, totum sermonem talem efficies: Cum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue: cum vero consistunt ac vigent, quietem habere melius est. Circa principia enim ac fines, omnia debiliora: morbo autẽ consistente, fortiora. Oportet autem his adijcere casus omnes. nam de his dictionem attulit vniuersalem. Dispositio siquidẽ ex qua hi generantur, quam & morbũ nominamus, non omnino dum morbus cõsistit, est fortior: verum in ijs qui saluari debent, melior multo, quam in morbi principio: in quibus etiam Hippocrates consulit habere quietem, in morborum initijs, si quid videtur, mouẽtes. Nam in morbis exitialibus, non modo quando sunt suo vigori vicini, nihil mouere oportet, sed etiam prioribus temporibus: recordantibus nobis quòd deploratos non oportet curare, sed magis absistere, & morbi finem prænunciare. Circa initia vero illorum morborum in quibus spetatur ægrotum conualiturum, tentandum maiora afferre remedia: de quibus Hippocrates dixit: Si quid videtur mouendũ, moue. Sunt autem hæc maxime, venę sectio, nonnunquã vero & purgatio: quorum nihil oportet morbo iam consistente adhibere. Vt enim in libro de Crisibus manifestauimus, coctiones tunc maxime fiunt. Vt igitur hæ citius eueniant, melius est circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius possit natura concoquere. Morbo autem consistente, cum iam natura concoquit, superfluum est euacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis magna ex parte eo tempore est fatigata, licet duę alię, vitalis scilicet ac naturalis, fortes persistant.

XXX

CIrca initia & fines, omnia imbecilliora: cum vero consistunt, fortiora.

CAsus omnes circa principia & fines ait esse imbecilliores, accessiones videlicet febrium, & vigilias, atq; dolores, & fastidium, & sitim: sicuti

ipſas diſpoſitiones in quibus hæc fiunt, vbi morbi conſiſtunt, neceſſe eſt eſſe meliores in ĳs qui debent ſanitati reſtitui.



XXXI

Ius qui ex ęgritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum.



Portebat & hunc aphoriſmum, & illum qui ſequitur, adiūctum eſſe illis qui ſupra ſcripti ſunt, vbi dicebat: Si quis à morbo cibū aſſumens nō corroboratur. In illo igitur aphoriſmo, pro verbo, bene cibatur, inquiēs cibū aſſumere, de caſu aliqd docuit, ſcilicet nō corroborari. Hic vero, cibū aſſumere, cōmune vtriſq; ſeruauit: caſum autem variauit, quoddam illis ſcribens proportionale. Nam nihil corroborari, nihil proficere corpus, ſimilia quodammodo ſunt. Illud enim potentiæ noſtrum regentis corpus, hoc vero ipſius corporis affectus eſt. Fit vero hoc, vt ſcilicet corpus non bene alatur atque proficiat, nonnunquam ex potentiæ qua ipſum nutritur imbecillitate, nonnunquam autem ex malorum humorum ſuperabundantia.

XXXII



Mnes fere qui male ſe habent circa initia, bene cibati, nec quicquam proficientes: circa finem rurſus cibum non appetunt. qui vero circa initia cibum valde non appetunt, poſtea bene appetentes: ii melius euadunt.




Ic etiā aphoriſmus de ĳs eſſe dict9 videtur, qui ex morbo conualeſcunt. Nō pficere enim, de his dicere conſueuerunt tum alĳ, tum Hippocrates ipſe. Si quis igitur bene ab initio cibatus non nutriatur: qua cauſa hunc ſubit affectum, ex eadem fit ma-

ie appetēs cibum. Causa vero ob quam bene ab initio ci-
bati nihil proficiant, est totius corporis vitium cum par-
tium appetentium vigore. Verum processu temporis ob
cibi multitudinem aucto in toto corpore vitio, ipsum etiā
appetendi instrumentum male se habebit: quare inappe-
tentes fient qui prius bene appetebant, quos recte bene ci
batos nominauit. Dixerat autem hocipsum in præceden-
tibus aphorismis, hoc modo: Si vero cibum non assumēte
hoc fiat, scire oportet quòd euacuatiōe indiget. Porro eos
qui ab initio male appetunt, adeò vt parum assumant ci-
bi, postea vero ad cōtrarium transeunt, melius permuta-
ri inquit. Hoc vero ideo euenit, natura eo tēpore quo pa-
rum cibi assumebant, ipsam quæ causa erat inappetentię
dispositionem concoquente.

XXXIII



N quouis morbo mente constare, & bene se habere ad illa quę offerūtur, bonum: contra vero se habere, malum.



Eq; cum aliquod bonum dixerit eorum quę ad
corpus attinent, omnino existimandum est ex
eo hominē reualiturū: neq; cum malū dixerit,
omnino moriturum. Nam fieri potest vt bonum signum
à maiori malo superetur: & malum à maiori bono vinca
tur. Tales itaque enunciationes audiendę sunt de eo solo
quod dicitur. Dicitur autē quòd signum est bonum, quā-
tum in ipso est hoc aliquid: & signum malum, quantum
in ipso est hoc aliquid. De morte autem ac vita oportet
omnium signorū vires prius bene perpendentes, ita pro-
nunciare, quēadmodum & ipse in Prognosticis consulit.
sic & nunc, Constare mente, & appetitū permanere, bo-
nū est signū in quouis morbo. Quędā enim non in omni
bona sunt, vt ipse cōsueuit nobis significare, inquiens: Spi
randi autē facilitatē putare oportet valde magnā habere
vim ad salutē in omnibus morbis acutis. Quòd autē con
stare mēte, bonū sit signū, ex isto cognosces, Quę ad cere

brum attinent, atq; mẽbranas, & spinalẽ medullam, necnon & septum transuersum, & omnino partes neruosas, quę presertim sunt iuxta cerebum, sana esse omnia significantur ex mentis constantia: sicuti & quę ad ventrem attinent & hepar & cor, vbi adest promptitudo ad illa quae offeruntur. Cum vero hęc omnia robusta sunt, non parua spes de aegroti salute haberi potest.


XXXIIII

IN morbis minus periclitantur quorum naturae, aut aetati, aut habitui, aut tempori magis cõgruit morbus, quam quibus secũdum nihil istorum congruit.

CVm natura multis dicatur modis, audiendum apud ipm iuxta illud significatum quo in multis aliȷs locis vsus est, & in toto libro de natura hominis, in quo eam quę fit ex primis elemẽtis temperaturam, naturam nominat: ac si ita diceret: In morbis minus periclitantur quorum primae corporis temperaturę, vel ei quę vel ratione ętatis, aut habit9, aut tẽporis supuenit, magis congruit morbus, quàm quib9 secũdum nihil istorum congruit. Calidae ẽm naturae, & aetati, & habitui, & tempori, & anni constitutioni, ac regioni, morbi calidiores sunt congruentes, frigidioribus vero frigidiores: eadem ratione & siccioribus sicciores, & humidioribus humidiores. Cõtrarium autem à Diocle dictum est, & in libro de septimanis, cui9 authores opinantur incitari quidẽ à similib9 morbos, solui vero à cõtrariȷs: quoniã & ab ipso Hippocrate scriptum est contrariȷs morbis cõtraria esse remedia. Putant igitur febrem ardentem factam hyberno tẽpore, facilius posse sanari ea quae fit in aestate: nõ aduertentes quòd vehemẽs dispositio causa est vt febris ardens hyeme fiat. neq; enim ab initio facta fuisset, nisi causa potentior temporis contrarietatem superasset. Cum igitur anni tempus cohibere non possit causae magnitudinem, cum tamen habeat sanitatem sibi suffragãtem: multo mi-

nus morbo iam facto superauerit, non assistente sanitatis robore. Sed & hoc est ipsa experiētia compertum. Nam duarum febrium ardētium magnitudine parium, illa quę aduenit hyeme, est perniciosissima: sicuti quando in calidiori temporis cōstitutione ortum habuerit, subita autem ad frigus mutatio facta fuerit, non parum iuuatur hæc febris ardēs ab ambiētis aeris frigiditate: cum hęc ipsi vtraque bona insint, prima quidē temporis constitutio, in qua morb9 factus est, tanquam signum: altera vero in qua solutus est, tanquam causa. Hęc igitur omnia magis attestātur, & non aduersantur sententię aphorismi: sicuti neque illud, quòd raucedines & grauedines in valde senibus non concoquuntur. Atqui hę passiones senili ętati maxime cōgruunt. Primum etenim non idem est quòd aliquid non concoquatur, & quòd sit periculosum: deinde quòd non simpliciter senes nominauit, sed cum adiectione, valde. Omnia enim in his sunt periculosa, ob virium imbecillitatem. Sed neq; illud quod scribitur in primo Epidemiarū, Et maxime moriebatur quib9 natura vergebat ad phthisim: ijs quę dicta sunt, aduersatur. Neq; enim eam quę fit ex elementis, nunc dixit temperaturam, sed corporis formam: est enim vbi & hanc naturam nominant. Et sicuti verum est calidam temperaturam minus in morbis calidis periclitari: ita qui angustum pectus habent, non solum magis incidere in phthisim, sed etiā vbi incidere, periclitari. Nonnulli quidem qui aphorismos exposuerūt, talibus decepti suasionibus, illum congruere naturę ægrotātis morbum dixerunt, qui sit tēperatura contrarius, quasi aptior esse diceretur: multum (vt ostendimus) & à veritate ipsa, & ab Hippocratis sententia deerrantes.

XXXV.


IN quouis morbo partes ad vmbilicū & imum ventrem attinentes, crassitudinem habere melius est: multum vero extenuari ac contabescere, prauū. Sed & hoc

quoq; ad inferiores purgationes, periculosum.

Partes omnes quæ ad epigastrium, id est locum supra ventrem attinent, omni vacare dispositione quæ sit præter naturam, oportere, est manifestum. Et hoc in Prognostico dictum fuit, vbi his vtitur verbis: Ilia optimum est absque dolore esse, & mollia, & æqualia. Sed & ex hisipsis quædam sunt tenuiora: quædam crassiora: de quibus nunc sermonem habet: quæcũque quidem crassiora sunt, hæc meliora esse inquiens: quæcunque vero tenuia, mala, & tanquam signa videlicet, & tanquam causas. Signa enim sunt partium quæ contabuerunt, imbecillitatis. Causæ vero, quod coctio bona non fiat in ventre ciborum, neque sanguificatio in hepate. Etenim membrum vtrunque à crassitudine dictorum corporum concalefactum iuuatur. Tantum igitur vbi contabuere, offendũtur eorum operationes, quantum integris ipsis iuuabantur. Quòd autem earum quas diximus partium tenuitas ad inferiores purgationes sit periculosa, manifestum. Oportet enim omnia quæ sunt infra thoracem, esse robusta, vt bene purgationibus seruiant: alioqui magna incommoda patiuntur. Cur autem de solis inferioribus purgationibus fecerit mẽtionem, dignum est quærere. Superiores enim, hoc est per vomitum, ijs qui ita affecti sunt, periculosæ. An has quidem tanquam manifestas prætermisit, illarum vero commeminit, vt de quibus magis posset dubitari? Imum autem vẽtrem proprie nominat & appellat partem ventris imam, quæ vmbilicum ac pudẽda inter iacet: ita vt in hęc tria totum epigastrium, id est locus supra ventrem, diuidatur, in hypocondrium, id est ilia, & vmbilicum attinẽtia, & ventrem imum.

Epigastriũ.

XXXVI



Qui salubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati cito exoluũtur; et qui prauo vtuntur cibo.

QVi salubritatem corporis habent, non absq; ratione in euacuationibus cito exoluuntur. Contabescunt enim, non purgantur. Qui vero vitioso vtuntur alimento, ob malorum humorum superabundãtiam facile exoluũtur in purgationibus. Siue autem illud quod exterius assumitur, siue quod in corpore cõtinetur, vitiosum alimentum nominet: vterq; sermo veritatem habet, quoniam cibi vitiosi soleãt sanguinem gignere vitiosum. Sic ergo vitiosi dicuntur per relationem ad sanguinem qui debet ex eis generari.

XXXVII

QVi bene se habent corpore, difficulter ferunt medicationes.

NOn cuiuscunque medicamenti assumptionem solet Hippocrates medicationẽ nominare, sed tali vocabulo in sola vtitur purgatione. Verũ is qui prius scribitur aphorismus, casum vnum qui in ea fit, manifestat. Cito enim inquit exolui in purgationibus qui corporis habẽt salubritatem. In hoc autem generaliori vocabulo de eisdem ostendit, inquiens hos difficulter ferre medicationem. Nam & vertigines & tormina patiũtur, & difficulter his purgatio procedit, & præterea celeriter exoluũtur. Fiunt autem hęc omnia purgante medicamẽto proprium quidem attrahere humorem appetente, vel flauam bilẽ videlicet, aut atram, aut pituitam, aut aquosam superfluitatem: quia vero isti non adsunt, sanguinem colliquat ac carnes, vt ex ipsis ꝓpriũ attrahat humorem.

XXXVIII

PArum deterior potus aut cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus, est pręferendus.

NOn ob id solum hoc est faciendum, vt ęgro gratificemur, sed etiam quia vtilius ipsi existit. Nam quęcunque cum voluptate assumuntur,

ista ventriculus amplexatur, & magis concoquit: sicuti illa quę displicēt, refugit. Vnde & nauseę, & flatus, & fluctuationes subsequūtur. Quod igitur in pluribus cibis bonos succos habentibus fit: quando cum voluptate assumitur cibus qui paulo deterior, non modo non manet deterior, sed quandoque redditur melior.

XXXIX

Seniores iuuenibus plurimum ægrotant minus. Qui vero morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.

Non omnes seniores minus ęgrotāt quàm iuuenes. neq; enim omnes maiorem habēt circa victum continentiam. qui vero non habēt, magis ægrotāt, vt qui iuuenibus sunt debiliores. Quòd vero plures ex morbis diuturnis ipsos ad mortem comitantur, clarum est. siquidem & vis est imbecillis, quę neque morbos facile coquere possit: & oēs morbi diuturni, frigidi sunt: vnde & magis senibus quàm iuuenibus accidūt. Omnes siquidem similioribus morbis facilius corripiuntur.

XL

Raucedines & grauedines ī valde senibus coctionem non admittunt.


Si simul iunxerimus ambos aphorismos, vtriusque sermo talis erit: Senes iuuenib9 plurimum ægrotant minus. Quicunque vero morbi ipsis accidūt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem. Raucedines igitur atque grauedines in valde senibus coctionem non admittunt. ita vt hic aphorismus sit veluti exemplum quoddam antecedentis. Neque enim hi soli morbi senes comitantur ad mortem, sed nephritis, id est passio renum, podagra, morbus articularis, coxendicum dolores, & quæ laxiori intestino ac spleni frigidæ insunt dispositiones, & præterea crebri anhelitus (quos græci

ἀσθματα nominãt) tuſſes, gibbi, recuruationes, obliquationes, & quęcunque alia morborũ genera ex frigidis humoribus ortum habent: quæ in quibuſdam iuuenibus, nedum in ſenibus, difficulter coquuntur.

XLI



Qui frequenter ac fortiter abſque cauſa manifeſta exoluuntur, derepente moriuntur.




Non omnes qui exoluuntur, derepente moriuntur, ſed ſi tres diſtinctiones adieceris, vnam quidem primam, vt ſępius hoc patiantur, ſecũdam vt fortiter, tertiam vt ſine cauſa manifeſta. Nam mulier quædam longum in balneo tempus commorata, frequẽter exoluebatur ob temporis diuturnitatem, & quoniam balneo magna ex parte ligna ſuccendebantur vitiata: verum nõ erat hoc morbi ſignum, cum cauſam haberet manifeſtam. Altera vero quam vteri affectus infeſtabãt, hoc idem patiebatur. Quidam vero alter poſt longum ieiunium in balneo exoluebatur. Alteri autem, ſi per horam lauabatur, idem accidebat, niſi prius aliquid panis aſſumpſiſſet. Quibus omnibus aut debile erat, aut ſenſum plurimum habebat ventriculi os. Quicũque vero ex nulla tali cauſa ſępius ac fortiter exoluuntur, ꝗ ob virtutis vitalis imbecillitatem hoc patiuntur: ſicuti & ille cui dum exolueretur, cor fortiter palpitabat, derepẽte mortuus eſt, non aliter quàm illi qui acutiſſimis cordis affectibꝰ, quos ſyncopas vocant, arrepti, ſubito intereunt.

XLII



Soluere morbum quem apoplexiam vocant, fortem, impoſſibile: debilem vero, non facile.



In apoplexijs totum corpus ſenſu priuatur ac motu, ſolus reſtat anhelitus: qui ſi & ipſe prohibeatur, maxima eſt & acutiſſima hæc apople-

xia. Quicũque vero respirant quidem, sed magna cum vi: fortis adest istis apoplexia. Fortis aut adest & illis, sed minus, qui neque intentum, neque violentum, inæqualẽ tamen atque exordinatum ac preterea intermittẽtem habent anhelitum: sicuti in quibus aliquem seruat ordinem, debilior existit: & si omnia fiant que sunt necessaria, cito curatur. Omnes autem apoplexię fiunt vi animali nõ potente defluere ad partes infra caput existẽtes, aut propter aliquam dispositionem similem inflammationi quæ in ipso cerebro sit constituta, aut ventriculis ipsis oppletis humore pituitoso. Verum causæ magnitudinem etiam passionis magnitudo consequitur. Magna autem ex parte curationem nõ admittit, propter respirationis læsionem. Et mirari licet quomodo omnibus aliĩs musculis motu carẽtibus in apoplexĩs, illi qui thoracem attollunt, quanuis difficulter, moueantur tamen plerunque. Videtur autem hoc fieri propter respirationis necessitatem, quę neruorũ vim excitat ad operationẽ. Et ob hancipsam causam magna ex parte musculi omnes in apoplexĩs operantur thoracẽ mouentes, etsi raro prius omnes operabantur: quẽadmodum & in vehementibus exercitĩs anhelitus plurimus est necessarius. Verum in apoplexĩs nõ ob id quòd sit adaucta necessitas respiratiõis, sed quia vis est imbecillis, ideo omnes musculi thoracis simul cogũtur operari: quemadmodum & in aliĩs qui cum febre vires habent imbecilles, ob hancipsam causam omnes mouere coguntur seipsos, in summam effatu dignam ex omnibus operationem colligentes.

XLIII

STrangulati ac dissoluti, nondum mortui, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit.

OMnis spumæ generatio ex duarum substantiarum mixtione cõficitur, altera spirituosa, altera humida. Fit autem earum mixtio ambabus in in multa perfractis, & multis mutuo cõplexu paruis am-

pullis ab ipsis effectis. Cum vero tenacem habuerit is qui perfringitur humor consistentiam:(quo spiritum circumplectente, ampullas contingit generari) non facile dissolubilis, sed stabilis spuma perficitur: qualis maxime currentibus equis, vel ira percitis apris, circa os aggregatur. Ambarum vero substantiarū confractum ac mixtionem facit nonnunquam motus violentus vel vtriusque, vel alterius tantum: nonnunquam vero & fortis calor: nisi & hunc dixerit quispiam spumam per motum operari. Verum homini ea quæ manifesta videntur consectanti, tutius est duplicem dicere spumæ generationem: ventis quidem vehementioribus mare occupantibus, propter ictum fortiorem: in lebetibus autem, caloris ratione. Sic itaque & in corporibus animalium, cum adsunt ex morbo comitiali conuulsiones, vehementia motuum solet spumam generare, in apris vero calor, in cursibus autem equorum vtraque causa vigorem habet. Nam cum continue per respirationes aer intro atque extra feratur: & saliua in ipsis extenuatur, & aliquid etiā ex pulmone instar vaporis effertur, quod saliuæ miscetur ac circumplicatur: vnde factam spumæ substantiam augeri contingit. Qui vero opinantur hāc spumam ex vētre prodire, deerrant. Neque enim fieri potest vt subito tota inde proueniat, cum neque eo tempore animal euomat, neque nauseam vllam patiatur: circa quos casus quicquam efferri ex ventre est impossibile: & multo magis fieri non potest vt plurimus aliquis vapor efferatur, eodē modo quo in exspirationib9: cū nulla talis ex ventre substantia efferatur, qualis è pulmone exspiratur. Et sanè sanguis qui quidem è pulmone educitur spumosus, est similis visceri: qui vero ex ventre, neq; huic proximus est. Sed quæ vnà cum sanguine è pulmone educitur spuma, subito simul, & cum tussi educitur. Qui vero ex tali humore paulatim vapor exspiratur, nō excitat tussim. Vbi autem laqueus collo circundatur, necesse est quidem cordi atque pulmoni vt fuliginosam exspiret superfluitatem. Hoc enim à nobis ostensum est in libro de respiratione. Prohibente autem laqueo, totam vio-

lenter impellit, quo fit vt pars propriæ humiditatis vnà expellatur, eo modo quo fit in sanguinis eductionibus. Signum itaque est exitiale, quoniam pulmonis violentiam significat, quam strangulato patitur animali. Pręcipue vero hoc fieri rationabile existit propter eam quæ ex corde ad ipsum impellitur caliditatem: vnde & caloris efferuescentia, & motu spiritus violēto, & vehementi pulmonis conatu ad educēdum, spuma enata, signum est mortale. Nonnulli tamen raro strangulatorum relati sunt quibus spuma circa os apparuerat: & forte Hippocrates nō tanquam semper intereant, sed contra rarissime eueniat, ita pronunciauit, quemadmodum & paulo antea ostēderat per alterum aphorismum, ita inquiens: Quibus iuuenibus aluus humida, ĳs senescentibus exsiccatur. Nam hoc in loco, magna ex parte, dicere pretermisit, qd' tamē verbum in sequentibus adiecit, vbi inquit: Quicunque aluū humidam habent, iuuenes quidem melius commutant ĳs qui siccas habent: ad senectam vero deterius commutant. nam magna ex parte senescentibus exsiccantur.

XLIIII



Vi natura admodū crassi sunt, citius intereunt, quam qui graciles.




Os qui ex prima ętate crassi sunt, & graciles inuicem comparans, de crassis pronunciat quòd cito ad mortem perueniunt, magis quàm graciles. Optimum enim, bene carnosum esse natū, hoc est cōmoderatum, vt neque crassitudo adsit, neque gracilitas. Tales enim possunt ad longam senectam perduci. Si vero à modo recedatur, melius est vt ad gracilitatem. Nam malus est ad crassitudinē excessus. Angustę enim sunt horum arteriæ ac venæ, atq; ob id paucum omnino sanguinem habent, spiritū've: adeò vt cum ętate processerint, cito ipsis vel paruam ob causam calor natiuus destruatur. Graciles autem hac quidem ratione nō periclitantur: quia vero partes principales ita affectę sunt vt nullum habeāt munimen, à causis exterioribus prōpte offenduntur. Qui

vero natura quidem mediocres erant, verum victu delicatiore vtentes postmodum crassi facti sunt, ijs licet caro atque pinguedo adnatæ sint, venę tamen atque arterię latæ consistunt, atque idcirco in eis calor natiuus minus obnoxius est extinctioni.

XLV



Vicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & victuũ quoque, liberantur.




Orbus comitialis proximus quodammodo est morbo quem apoplexiam appellãt, cum idem locus in vtroque patiatur, & idẽ humor in causa sit. Verum apoplexia ob omnimodam carentiam illius potentię quę ad neruos defluit, morbus autem comitialis propter motum vitiosum generatur. Frigidus autem & crassus est humor ambobus: atque idcirco adolescentium ętas calidam & siccam habens temperaturam, maximũ affert auxilium ijs qui morbo comitiali laborant: sic & locorum proportionales mutationes, (dico autem proportionales, quando ad calidiorem ac sicciorẽ commutãtur) eodẽ modo & victuum. Neque enim & horum mutatio quælibet morbũ soluit comitialẽ, sed quæ calidiorẽ & sicciorẽ corporis habitũ efficiũt. Cõtingit aũt & audire simpliciter victus mutationẽ morbo comitiali prodesse, quoniam magna ex parte victus deprauatus passionẽ generat: vnde & mutatio multo ad melius perducit.

XLVI



Vobus doloribus simul eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.



I quis eundem exquisite audiat locum, nunquã duo possunt in eodẽ fieri dolores. si quis vero late, possibile est. Dico autem late, circa mẽbrũ,

manus veluti,vel circa brachiū, vel cubitum, aut femur, aut tibiam. Verum hi duo dolores ſimul augent loci affliĉtionem,cum neuter lateat ægrotātem. Si vero ſint in locis diuerſis,alter quidem(ſi ita contigerit) in cubito,alter vero in tibia : tunc alterum ab altero obſcurari contingit, cum vis ſenſibilis tota ad vehementiorẽ ducatur ac diſtrahatur. Nam & hoc nobis in mœroribus ſolet accidere,qui ſunt & ipſi veluti dolores quidam ſolius animi ſine corpore. Nam & horum qui ſunt vehementiores,occultant minores, ſi quidem nō eadem ex re ortum habeant:alioqui & illi ſeipſos coaugent.

XLVII

DVm pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis quam iam confecto.

PVs ex ſanguine ortum habet, qui ſemimalam (vt quiſpiam dixerit) habet tranſmutationem. Nam mala ſimpliciter, cum putrefaĉtione fit olida: ſicuti quæ ſimpliciter optima,eſt ipſa nutritio partium animalis.at quæ pus generat,medium inter has obtinet locum, neq; à ſolo calore extra naturam,neq; à ſolo ſecūdum naturam facta. Mixtus enim quodammodo ex vtriſq; eſt calor inflammationis. Fit autem dolor extenta ſimul ac calefacta prꝫter naturam inflammata particula: febres vero ſequuntur principio concalefacto:& hꝫc ambo contingunt ex quadam veluti ebullitione atq; exuſtione ſanguinis:qui vbi ex toto exuſtus fuerit,reſiduum eius fit pus, queādmodum ex lignorum exuſtione cinis:atq; ideo tempore illo dolores ſedantur ac febres, præſertim cum pus fuerit excretū, vtpote iam conſumpta materia, extincta autem ignea caliditate.

XLVIII

IN omni corporis motu,vbi laborare cœperit,quies ſtatim laſſitudinem aufert.

VErbum, laborare, significat & dolere, significat autem & fatigari: & in vtroque significato sermo verus est. Siue enim membra iam doleant ex multitudine motionum, siue sint fatigata, vt vix iam agere aliquid possint, quies statim lassitudinem aufert.

XLIX

QVi consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles & senes, non consuetis fortibus atque iuuenibus facilius ferunt.

ALius aliĳ labor cõsuetus est, huic cursus vel alius aliquis motus per crura factus, huic vero manus certa mouere lege, siue quouis alio modo operari manibus, aliĳs fodere terrã, vel remigare, vel arare, vel simpliciter quoduis aliud agere. Differunt autem omnes isti labores, quia vel plures, vel pauciores partes operãtur, & quia vel magis, vel minus laboratur: hoc tamẽ omnibus cõmune existit, quòd partes exercitatę fiunt robustiores, atque idcirco labores cõsuetos facilius ferunt.


L

QVæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Oportet igitur ad insueta permutari.

NOn de solis exercitationibus hic sermo est, sicuti prior, verum de omnibus simpliciter consuetis hic aphorismus enunciat, cibis, potibus, balneis, illotionibus, vigiliĳs, somno, calefactione, frigefactione, curis. Horum etenim singula minus nocent cum fuerint consueta, ĳs quæ natura quidem minus noxia sunt, sed nunquam in consuetudinem peruenerunt. Quòd igitur ita se habeat in exercitationibus: ad partium quæ operantur, robur refertur, vt antea diximus: in reliquis vero quomodo fiat, iam dicemus. Cibi ac potus naturam ad-

uentitiam efficiunt, maxime quidē in vētriculo, cum hoc vero & in aliĳs partibus. Nam etsi maxime obtineantur & transmutentur à corpore, ipsum tamen quodāmodo pro sui natura disponunt, ita quòd processu tēporis multa fit permutatio, ac similitudo nutritorum ad nutrientia. Hoc enim ostensum est à nobis in libro de consuetudinibus: ostensum est etiam quòd vnumquodq; facilius à similibus alteratur. Ob hanc igitur causam quanto similius factum fuit id quod transmutat, ei quod transmutatur, citius alterat ipsum. Et quidē ab aliĳs omnibus quibus corpus adhęret, quodāmodo afficitur, veluti in aere frigido, ac calido, densatum quidem à frigido, laxatum vero à calido: atq; ideo cōsueta facilius perfert, ab insuetis vero molestatur. Si enim laxato corpori ob caloris adhęsum, repēte frigus superuenerit: & in imas eius statim partes subintrat, & maxime offendit. Causa itaq; de omnibus cōsuetis dicta est in libro de consuetudinibus. Quod vero experientia notum est, id iam noscimus: quod solum ab Hippocrate scriptum est, qui causam adscribendam non censuit. Nos vero ad eiusdem inuentionem aliquas dabimus occasiones. Hæc igitur dicta sufficiant quātum ad primā aphorismi attinet partem. Quod vero in fine scribitur, in quo consulit transmutari quodāmodo ad non consueta, salubris gratia securitatis dictum est. Est enim vnica tantum consuetudo, periculosa: cum omnes homines inopinatis rerū sortibus subĳciantur. Ne igitur incidamus aliquando repente in nobis insueta, satius esse inquit omnia tentare. Fit autē hoc non inhęrentibus nobis semp ĳs quibus assueuimus, sed & nonnunquā cōtraria tentantibus.

LI



PLurimum, atq; repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: quoniam omne nimis est naturæ inimicum: sed quod paulatim fit, tu-

tum eſt, tum alias, tum cum ab altero ad alterum tranſitus ſit.

CAuſam ob quam plurimũ aut repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouere, periculoſum ſit, ipſe oſtendit, inquiẽs omne nimiũ eſſe naturę inimicum. Eſt enim natura in elementorum conſiſtens commoderatione: quare non abſq; ratione nimium omne, vt quod deſtruat cõmoderationem, vnà ſubſtãtiam animalis diſſoluit. quod vero paulatim, vt inquit, implere ſcilicet vel euacuare, & quęcũq; alia ſubinde dixit, tutum eſt taliter factum, ſed maxime cũ ab altero cui aſſueuimus, tranſimus ad alterũ. Nam in antecedente aphoriſmo conſuluit & ad inſueta permutari. In hiſce igitur permutationibus, quod plurimum exiſtit atq; repente, periculoſum eſt ſatis: quod vero paulatim fit, tutum.

LII

OMnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem: nõ eſt tranſeundum ad aliud, ſtante eo qd a principio viſum eſt.

NOn paruę eſt opus ſcientiæ, non permutari ab ĳs quæ recte viſa ſunt, etſi nondum manifeſta appareat vtilitas ex his ſequi ad ea quę ita facta ſunt. Quemadmodum enim in gutta ſubiectam petram percutiente, vix longo tempore ſenſibilis paſſio in lapide manifeſtatur: ſic accidit etiam in ſtudis, & quæ difficulter cõcoqui poſſunt diſpoſitionibus: in quibus cum recta ratio inuenerit id quod conducit, nõ diſcedit ab illo quod primũ faciendum exiſtimauit, etiam ſi nihil ex facto manifeſtum ſit ſubſequutum.

LIII

QVicunque aluos humidas habent, ſi quidem iuuenes fuerint, melius com

mutant iis qui ſiccas habent. Ad ſenectam vero deterius commutant: nam ſeneſcẽtibus magna ex parte exſiccantur.

Manifeſtus eſt hic aphoriſmus: & quicquid de eo dicere conuenit, prius eſt dictum in eo aphoriſmo cuius principium, Quibus iuuenibus ventres humidi ſunt, iis ſeneſcentibus exſiccantur.

LIIII

Magnitudo corporis, iuuentæ quidem neque indecens, neque illiberalis: ſeneſtę vero inutilis, & deterior paruitate.

Magnitudo corporis proprie quidẽ nominatur quę longitudine, latitudine, profunditate moderantiam exuperat. Iam vero & quod longitudine ſola amplius auctũ eſt corpus, ſolemus magnum nominare: atqui huic proprium nomen eſt longum. Nam & aliquando quod ſecũdum latitudinem ac profunditatem vltra modum corpus eſt auctum, dicũt eſſe magnũ, quãuis & hoc craſſum proprio vocabulo nominetur. Si igitur magnitudinẽ corporis in proprio ſignificato Hippocrates dixit, nihilo deterior eſt in ſenectute, quàm paruitas. Si vero vel longitudinem corporis, vel craſſitudinem intellexit: hę deteriores atque inutiliores ſeneſcẽtibus ſunt: verum neque craſſitudo eſt iuuentæ decens, neque liberalis. In ſola ergo longitudine quòd ſit iuuentæ liberalis, ſenectę vero inutilis, vere diceretur. Ex hac enim ſeneſcentes gibbi fiunt, & vix poſſunt onus perferre: quod Hippocrates inutile dixit.

APHORISMORVM

GALENI IN Hippocratis Aphorismos Liber tertius, interprete Nicolao Leoniceno.

IN tertio hoc in Aphorismos Hippocratis cōmentario, eorum quæ de temporibus atque ætatibus ab Hippocrate scripta sunt, expositionem faciemus: maxime quidem quicquid est in ipsis obscurum, declarantes: (hoc enim est propriū expositiōis opus) verūtamen singulis etiam quę recte dicta sunt, demonstrationem apponentes, quoniam & hoc fieri in cōmentarijs consueuit. Miror autem hoc loco & Lyci inęqualitatē, scribentis quidem (vt ipse ait) expositiones Cointi pręceptoris, nulli autem eorum quæ de temporibus & ætatibus dicta sunt, probationem demōstratiuam apponentis, sed ad experientiam & obseruationem omnia referētis, cum tamen ipse in aliorum aphorismorum expositionibus rationalem adhibeat considerationem de ea quæ in ipsis continetur veritate, non sola contentus experientia. Quòd vero sola experientia non sufficiat ad talem contemplationem aggregandam, ipse Hippocrates ostendit. Hoc & in processu sermonis ostendetur.

I

MVTATIONES temporum potissimum pariunt morbos, & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione, eodem modo.



Vtationes temporum nonnulli existimant dici quibus inuicem commutantur, quasi successiones diceret. Nam hyeme in ver cõmutata, fit dictorum morborum generatio, de quibus ipse deinceps loquetur. Vere enim furores, atrę biles, & morbi comitiales. Vere rursus in æstatem desinẽte, quod est initium æstatis, febres cõtinuæ (inquit) & tertianę, & ardentes, & quæ subinde connumerauit. Et de autumno atque hyeme similiter scripsit, vt inquiunt illi qui pro eodem accipiunt mutationes & successiones. Verum id verbũ, potissimum, quod sermoni adiectum est aphorismi, hãc expositionem nõ admittit. Nam nonnunquam tempora inuicem commutantur, & sicuti quidam morbi ex ea commutatione generantur, eodem modo etiã soluũtur. & hoc ipse Hippocrates dixit. Quare nihilo magis successiones temporum pariunt morbos, quàm soluunt. Quomodo igitur non sat fuit ipsi dicere: Mutationes tẽporum pariũt morbos, sed et, potissimum, addidit? Melius itaque fuerit ob hãc adiectionem permutationes temporum intelligere eas quæ fiunt secũdum illorum temperaturas, alterationes. Hæ siquidem sunt quæ potissimum generant morbos, quando multæ, alia post aliam, fiunt alterationes: quemadmodum in Epidemĳs scripsit, & nunc etiam paulopost dicet. Si vero vnius temporis solius alteratio efficit morbos aliquos, non tamẽ potissimum. Quãdo igitur fiũt morbi potissimum ex vniꝰ temporis alteratione? Quãdo contigerit magnam esse alterationem. & ob hanc causam ipse inquit: Et in quibusdam temporibus magnæ mutationes, vel caloris, vel alicuius alterius rei, veluti humiditatis, siccitatis, aut ventorum, aut horum defectus. Hæc igitur expositio recta est in ista scriptura. Inuenitur tamen & alia scriptura, quę ita se habet: Mutationes temporum pariunt morbos, & maximos: potissimum autem & in quibusdam temporibus magnæ mutationes. Quæ scriptura nullam habet obscuritatem ĳs præsertim qui ea audierunt quæ à me statim antea dicta fuerunt. Sunt vero & aliæ scripturæ idem di-

centes, quas intelliges, atque probabis, si illa quæ diximus, animaduerteris.

II

NAturarum, hæ quidem ad æstatem, hę vero ad hyemem, bene, male'ue se habent.

NAturas hoc in loco dixit Hippocrates secundũ principalissimum & proprium significatum quod secundum ipsam maxime substãtiam naturæ est. Dicebamus autem in præcedentibus ipsam esse temperaturam quatuor elementorum, humidi, sicci, calidi, & frigidi. Et quidem ostensum à nobis est in libris de temperaturis: Vna quidem temperatura, bene temperata atque optima: male autem temperatæ & vitiosæ, numero octo: quatuor quidem secundum qualitatem excedentem, quatuor vero aliæ secundum duas: secundum vnam quidem calida & frigida, sicca & humida: secundum duas vero calida & sicca, humida & calida, & frigida & humida, & frigida & sicca. Ad æstatem quidem frigidæ & humidæ naturæ optime afficiuntur: ad hyemem vero calidæ & siccę: sicuti & male afficiuntur calidæ & siccę ad æstatem, frigidæ & humidæ ad hyemem. Perfectissimæ quidem igitur naturæ huiuscemodi, ad dicta tempora optime ac pessime afficiuntur: mediocriter autem quæ quouis modo ex temporibus vel iuuantur vel offenduntur, sicuti humida & calida æstate & hyeme: quoniam æstate quidem quatenus humida est, melius afficitur: hyeme vero contra, quatenus calida.

Na[2] ad.

III

MOrbi quoque alii ad alia bene vel male se habent, & quædam ætates ad tẽpora, & loca, & victus genera.

EXordinato quodam interpretandi genere mihi videtur vsus Hippocrates in hoc aphorismo. Nam melius vtique ita dixisset: Morbi & æta-

tes, aliĩ ad alia tempora, & loca, & victus genera bene male've se habent. Morbi igitur bene se habent ad tempora quidem vt ad generationem, similes: vt ad solutionem vero, contrariĩ. Nos enim de hocipso determinauimus in expositione illius aphorismi cuius initium est, In morbis minus periclitantur. Aetates autem, quẽadmodum & naturæ, frigidæ quidem ad calida, calidæ vero ad frigida. Senum quidem ad æstatem, iuuenum vero ad hyemem. Eadem ratione & ad loca non morbi tantum, sed etiam ætates afficiuntur. Nam morbi calidi, in locis calidiorib9 magis generantur, & minus sunt periculosi: & magis sanæ sunt in frigidis regionibus ætates calidiores, & in aliĩs proportionaliter. Sic vero & ad victus genera, aliĩ ad alia bene male've se habent morbi, & ętates. Nam calidiores ad frigidiores, frigidiores vero ad calidiores, & sicciores quidem ad humidiores, humidiores vero ad sicciores bene se habent. Et vt simpliciter dixerim, contrariĩ quidem ad contraria bene, similes autem ad similia male, præterquam si ętas temperata, & victui & regioni & loco temperato comparetur. hoc enim solo modo similes à similibus bene afficientur. Quæ vero plus à temperie recesserunt ætates, iĩs secũdum temperaturã contraria loca & tẽpora & victus genera conferũt magis. Cum vero omnes morbi à temperie & modo recedant: generatio quidem à similib9 locis atq; tẽporibus, solutio vero à contrariĩs fit.

IIII


IN temporibus, quãdo eadem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

CVm ratione fit hoc. Neq; enim appellationes temporum, causę morborum sunt, sed temperaturæ. Cum igitur ipsę conuariant, necesse est & morbos conuariari.

V

AUstri auditum hebetantes, caligi-

nosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Quãdo huiuscemodi tempestas præualuerit, talia in morbis patiuntur. At si aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. Quando hæc tempestas prçualuerit, talia in morbis expectare oportet.


ID quidem quod fit, declarauit, inquiens: Haustri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Causam autẽ adscribẽs ob quam, Vbi hæc tẽpestas præualuerit, talia in morbis patiuntur. Semper siquidem oportet medicum distinguere & separare id quod ex causa extrinseca fit, & non morborum ratione: vt precognitiones faciat diligẽtiores. Causam vero ob quam haustri reddant auditum grauiorem, & visum caliginosum, non est difficile ex eius temperatura cognoscere; quæ calida & humida natura est. Omnia etenim talia sunt apta replere caput. Ob hoc igitur & sensuum instrumenta plurima implent humiditate, & capitis grauitatem efficiunt. Principio autem neruorum humectato, necesse est & circa voluntarios mot⁹ pigritiam euenire, & veluti in seipso dissolutum hominem apparere. Contra vero in aquilonĳs (vt ipse inquiet inferius) corpora fiunt robustiora, vegetiora, & ad mot⁹ promptiora, & melius audientia. Nunc vero hæc non opposuit ĳs quæ ex haustro circa corpus contingunt, quoniam in hoc aphorismo de læsione tantummodo quç ex vtroque accidit vento, tractare proposuerat: vt hæc cognoscentes ab illis separemus quç ex morborum natura contingunt. In aquilonĳs igitur (vt inquit) fiunt tusses, propter videlicet instrumentorum respirationi obseruientium intemperiem, & propter faucium asperitatem, de qua nobis insinuauit adiungens verbum illud, fauces, vt subintelligeremus, patiuntur. Nam solet hoc modo loqui aliquando. Paulopost igitur inquiet: Autumno & plurimi æstiuo-

rum, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes. Licet autem & simul duo coniungentes legere, fauces alui duræ: vt nonnulli expositores legendum existimarũt. Nam fauces in aquilonijs constitutionibus apparent duræ, quoniã exsiccantur, ac refrigerãtur, & venter inferior dura excernit; & propter temporis constitutionis temperaturã, quæ vergit ad siccitatem, toto corpore exsiccato, & magis ipso ad seipsum trahente eas quę fiunt ex cibis humiditates. Sed & alia ratione, quoniam si longiori tẽpore maneant, & non excernantur, omnia humectãtur. Vrinæ etiam accidunt difficultates, vesica flatu aquilonis ob frigiditatem Vesica offensa. Est enim exanguis: et ꝓpterea ex causis frigidis plus quàm aliæ partes ipsa est offensioni parata. Eadem aquilonis frigiditas etiã thoracis dolores efficit, communi etiam & ad alias partes læsione, & illam quoque quę fit ex respiratione assumẽtis, quæ non pari modo pulmonem attingit & cor, ob sui caloris multitudinem. Homines vero horridos fieri in aquilonijs constitutionibus, clarum est, consentanee videlicet aeris ambiẽtis tẽperaturę.

VI



Vando æstas fit veri similis, sudores in febrib⁹ multos expectãre oportet.

Q Vemadmodum paulo antea dicebat: Quando die eadem aliquando frigus, aliquando calor accidit, morbos autumnales expectare oportet. Sic nunc rursus: Quandó ęstas fit veri similis, hoc est temperaturam habet commoderatam, expectare (inquit) oportet multos sudores in febribus: & hoc non sine ratione. Neque enim sine aeris ambientis calore multi sudores fieri possunt, neque absque hoc quòd aliqua humiditas in corpore contineatur. Horum vero alterum est in æstate, alterum vero in hyeme, autumno vero neutrum, vere autem vtrunque. Rationabiliter igitur ęstas quidem arida satis absumit atque resoluit humiditatem: similis autem veri, ob caliditatem quidem attrahit ad cutim: ob humiditatem vero non potest per modum vaporis resol-

uere. Tota igitur simul humiditas in morborum iudicijs expulsa sudores facit.

VII



N siccitatibus febres acutæ fiunt: & si annus magna ex parte talis fuerit: qualem fecerit constitutionem, tales plurimum morbos oportet expectare.




On multas ait febres in siccitatibus fieri, sed acutas, quoniã paulopost inquiet: Constitutionum autem anni sicca tempora, pluuiosis sunt salubria magis, & minus mortifera. & his adiungẽs rursus inquiet: Morbi in pluuiosis tẽporibus magna ex parte fiunt febres lõgę. Non absque ratione. Nam aeris ambiẽtis humiditas pituitosos aceruat humores, & non paucas generat aquosas superfluitates: siccitas vero pauciores quidem humores efficit, sed qualitate biliosiores: & ob hanc causam febres numero quidẽ sunt pauciores ĩs quę fiunt in tẽporibus pluuiosis, sed acutiores. Quę vero deinceps in aphorismo dicuntur, manifesta.

Constitutio aeris qd. NB

VIII



N constãtibus temporibus cum tempestiue tempestiua redddũtur: morbi constantes, & boni iudicii fiunt: in inconstãtibus autem, inconstãtes, & mali iudicii.



Onstantia tempora nominat que ordinatim suã recipiunt temperaturam. Quem vero constantem appellet annum, tibi licet discere ab ipso in libro de aqua, aere, locis, & regionibus, ita dicente: Si quidem pro ratione facta fuerint signa huiuscemodi in ortibus & occasibus syderum, & in autumno si aquę descendũt, & hyems medioctritatem seruauerit, neque valde serena, neque frigore excedens, et vere aquæ euenerint tẽpestiuæ, & æstate: sic par est annũ fore salubriorem. Post

quam igitur qualis debeat esse constans annus, didicisti: facile est etiam inconstantem intelligere. Omnia enim quę non seruant secundum aliquid anni cōstantis ductū, ea nunc Hippocrates inconstantia vocat: & eos qui in ipsis accidūt morbi, similiter appellat. Ait autem & ipsos difficulter, hoc est male, iudicari. Vel enim cum casibus periculosis iudicia in his morbis eueniunt, vel statim sunt perniciosi, vel omnino faciunt recidiuam.

IX

Autumno morbi acutissimi, atque exitiales, maxima ex parte. Ver vero saluberrimum, & minime exitiale.

Cum tempora conuenientem seruant totam temperaturam, inter ipsa ver est saluberrimum, vt quod bonam habet temperaturam. Morbos autem acutissimos, atque mortiferos, aliorum temporum cōparatione autumnus afferet, quando quidem ver temperiem habet. Autumno vero hoc in primis inest, quòd eadem die aliquando calorem, aliquando frigus continet. Deinde ęstiuum subsequitur tempus, in quo multis quidē humores assati sunt, quibusdam vero & vires sunt debilitatę. Non solum vero hac ratione autumnus malus est, sed etiam quia primum quidem humores mouebāur ad cutem, atque difflabant: autumno vero ab aeris ambientis frigiditate truduntur, atque ad interiora impelluntur. Hæc quidem omnibus hominib9 communia sunt: ījs vero qui malo victu vtuntur, ex superabundanti fructus accedunt, quibus abundanter repleti, malorum humorum multitudinem generant.

Autũni malitia vnũ

X

Autumnus tabidis malus.

Damnauit quidem & aliter autumnum in antecedēte aphorismo: nunc autem pręcipue nocentem tabidis rursus vituperat. Vtrum vero illos solum nominet tabidos, quibus pulmo est exulceratus,

Quos per tabidos intellig[illegible]

vel omnes quomodocunque tabefactos, non possumus coniectari. Liquet autẽ vtrisque autumnum esse malum, cum sit siccus simul ac frigidus, & inæqualis.

XI

DE temporibus, si quidem hyems sicca & aquilonia fuerit, ver vero pluuiosum & haustrale: necesse est æstate febres acutas fieri, & lippitudines (græci ophthalmias vocant) & intestinorum difficultates, præcipue vero mulierib9, & viris qui natura sunt humidiores.

DE alteratione quę in temporibus fit, hic docet, ab hyeme sicca & aquilonia initium sumens, vere autem pluuioso & haustrino. Paruę igitur tales mutationes, præter naturam tamen: quapropter & ad ęstatem sequi ait hos morbos, febres acutas, & lippitudines, & intestinorum difficultates. Causam vero ob quam superabũdãt in tali constitutione huiuscemodi mor bi, ipse explicauit in libro de aquis, de locis, & aere. Verba autem eius se habẽt in hunc modum: Si autem hyems quidem sicca & aquilonia fuerit, ver vero pluuiosum & haustrale, necesse est æstatem febribus abundare, & lippitudines, & difficultates intestinorum aduenire. Quando enim æstate strangulatio repẽte superuenerit, & terra madida ex pluuĳs vernalib9 & ab haustro fuerit, necesse est æstum duplicari, & à terra madida atque calente, & à sole comburẽte, non constantibus hominum ventribus, neque exsiccato cerebro. Neque enim possibile est tali vere existente, non inflammari corpus ac carnem: vnde febres accidunt acutissimæ tum reliquis omnibus, tum præcipue pituitosis. Difficultates vero intestinorum mulierib9, & viris humidioribus conuenit fieri. Hæc quidem Hippocrates in libro de aquis, & locis, & aere dixit. Nos vero latius eius sermonem explanabimus: & primum quidem ob quã causam neque in hyeme, neque vere per ta-

Ro aph: ex
to Hypp:

Vide problemata Aetii sectio 1
problemate 8:

lem constitutionem dixerit vulgari morbos. Atqui in secũdo Epidemiarum, in ipso tempore vitiato ait apud Cranonem factos esse carbones. Verba autem eius inibi hæc sunt: Pluebat in ęstibus aqua ruente per totum, fiebant autem haustro magis. Manifesta igitur ex ijs quæ dixerat, causa ob quam apud Cranonẽ facti sint æstate carbones. Neque enim paulatim mutauit temperaturam, sed ad talem peruenit constitutionem, in qua facile putrent quęcũque naturam habent vt putreant. Habiles enim sunt humiditates modum excedentes, ad putrescẽdum. Nam (vt ipse inquiet) morbi in temporibus pluuiosis fiunt magna ex parte febres longę, & alui fluxus, atque putredines: adhuc autem magis in ijs quæ calidissima sunt. In vnum itaque cõuenientibus adeò fortibus atque immoderatis dispositionibus veluti in Cranone, tempus secundum corpus non expectat, verum anticipat in priore plurimum offendi. Per hyemem vero siccam & aquiloniam, corpora quidem tali modo afficerentur, qualem ipse dixit per hęc verba: Si vero aquilonia fuerit: tusses, fauces, alui duræ, vrinę difficultates, horridi dolores laterum, pectorum: non tamen effatu dignus morbus adcrescet. nam & alioqui sicciores temperaturę sunt salubriores. Ex toto enim ait siccitates pluuiosis tẽporibus esse salubriores, & minus mortiferas. Hyemę vero aquilonia ac sicca, nocebit quidẽ rectis stantibus hominibus, ad tusses, & alui suppressionẽ, & difficultatem vrinæ, atque dolores locorum ad thoracem attinentium: non tamen febres, vel difficultates intestinorum, aut tale quiddam operabitur. Cur autem neq; in vere pluuioso atque haustrali existente morbi vulgantur? Quoniam antecessit hyems frigida ac sicca. Ipse vero dixerat non simpliciter pręsentes constitutiones fore considerandas, sed ex qualibus, ad quales've fiant permutationes. Exsiccatũ itaque corpus per hyemem cuius sicca atque aquilonia fuit temperatura: non modo nihil ex vernis pluuijs patietur, sed potius aliqua ex parte iuuabitur ad naturalem rediens mediocritatem. Si vero totum ver humidum fuerit, ad contrariam ducetur corpus constitu-

h

tionem, transcendens illam, quę medium tenet, mediocritatem. Quare æstas subsequens, paratum excipiet offensioni, cum terra adhuc humecta sit: atque ob hãc causam strangulationẽ efficiet, vtpote Etesijs nondum potentibꝰ flare. Nam illi postea, & post Canem flare incipiũt. Quare totum tempus medium habebit febres acutas, propter caliditatem & humiditatem humoribus in corpore putrescentibus, necnon lippitudines, & difficultates intestinorum, pro aptitudine partium quę offensionem recipere natura aptæ sunt. Alię enim alijs magis, alię minus passibiles sunt, secundum corporum temperaturas. Nã lippitudines ferè omnes infestant repleto capite, quibusdam exceptis, quibus oculi pręualidi sũt: difficultates vero intestinorum eos qui naturas humidas habent, & mulieres: hę siquidem viris sunt humidiores. Si igitur totam constitutionem, tanquam nostra putrefacientẽ corpora, damnamus: liquet quòd putredo magis humidis adueniet corporibus. Ipsum siquidem humidum quod in nostris putret corporibus, quędam veluti materia est à vi caloris patiẽs. humiditas vero ambientis aeris, quatenus exsiccari nõ sinit humorum in corpore superabundantiam, eatenus adiuuat vim putrefacientem. Nihil itaque mirum si in talibus constitutionibus plus offenduntur naturæ humidiores: & propterea ait febres pituitosis magis aduenire. hi siquidem necessario sunt humidiores. Manente igitur putredine in corpore, febres fiunt: si vero per ventrem euacuetur, difficultates intestinorum. Et hæc per totam æstatem cõtingent, nisi fiat circa Canis ortum permutatio de qua ipse in libro de aquis, locis, & aere transegit post verba paulo antea scripta, post illa videlicet: Difficultates autem intestinorum par est fieri mulieribus, & viris humidissimis. Nam sermonem continuans, scribit in hunc modum: Et si quidem superuenerit circa Canis ortum aqua & hyberna tẽpestas, & Etesiæ perflauerint, spes est quietis, & quòd autumnus salubris erit: alioqui periculum est ne pueri moriantur & mulieres, minime vero seniores; & ne qui euaserint, in quartanam finiãt, & ipsa quar-

stana in aquã intercutem terminetur. Verũ de ĳs quæ adiecit in libris de aqua, & aere, & locis, cum librum illum exponemus, diligẽtius cõsiderabimus. De ĳs vero quę in præsenti aphorismo proponũtur, sufficienter est dictum, excepta vna dictione, ex necessitate, quam non solum apposuit in aphorismo, sed etiam in libro de aquis, locis, & aere, ostendens per eam quòd rei natura persuasus, & nõ ex aliqua obseruatione, ista notauerit. Quoties igitur verisimile fit ipsum vidisse talem cõstitutionem, vel quot in locis, nunquid bis, vel ter, vel quater, sed neque si sæpius inquias, possumus dicere quòd ita semper erit: sicuti neq; si ex medicina aliqua videris purgatos sex vel septem homines, iam dicere certe poteris quòd omnes posthac homines similiter purgabuntur. Quare pro manifesto relinquitur quòd rei naturam Hippocrates sequens, & nõ aliquam obseruationem, ita scriptitauerit: Necesse est æstate febres acutas, & lippitudines, & difficultates intestinorum fieri.

NB

XII

SI vero hyems haustralis & pluuiosa & serena fuerit, ver autem siccum & aquilonium: mulieres quibus partus ad ver inest, ex quacunque occasione abortiunt: quæ vero parient, imbecilles & morbidos infantes pariunt: quare vel statim intereunt, vel tenues & valetudinarii viuunt. Cæteris vero mortalibus difficultates intestinorũ, & lippitudines siccę fiunt, senioribus autem destillationes quæ cito interimunt.

COntrario modo se habet temperatura duobus quæ in priore aphorismo sunt dicta tẽporibus, ad illas quæ in isto dicuntur. Qualis enim erat hyems primũ in illo, tale nunc est ver. Quale autem est

In illo ver, talis nunc est hyems. Quòd igitur non erat in illo necessarium in vere morbos vulgari vehemẽtes, sufficienter dictum est. Nunc autẽ quòd hyeme humida quidem ac calida facta, vere autem frigido ac sicco, necessarium sit in ipso vere homines ægrotare, est demonstrandum. Mulieres itaq; quibus partus ad ver, ex quacunque 1
abortiunt occasione. Corpora siquidem humida ac mollia & laxa facta hyeme serena, ad intimas sui partes aeris ambientis frigiditatem facile admittunt, ita quòd quicũque infantes longo tempore calori sunt assueti, percussi vehementer à frigore, non absque causa hi quidem iam mortui in ipso utero sunt, hi vero in ipso partu morietur.
Qui vero vivi in lucem eduntur: non ferentes subitam ad 2
contrarium transmutationẽ, vel brevi post tempore moriuntur, vel exiles atq; insalubres creati, vix in vita perdurant. Aliјs vero, ceu pituitosis, ac mulieribus, difficultates intestinorum ait accidere ex pituita à capite ad ventrem defluente. Hunc enim humorem par est in dicta constitutione plurimum generari, hyeme quidem capite repleto, subito autem refrigerato circa veris initia: quoniam cerebrum natura aptum est ad generandas pituitosas superfluitates. Cum enim refrigeratur, non potest alimentum conuincere. Inest autem & hoc pituitę generationi. Quæ enim à forti fit frigiditate, acida euadit: quæ vero à caliditate replente caput, salsa: sicuti & quæ à pauca fit frigiditate, vel paucam habet dulcedinem, vel nullam manifestam qualitatem. Ea igitur quæ fit in pręsenti constitutione pituita: propter eam quę est in hyeme caliditatem, salsa erit: & hac ratione maxime difficultatẽ intestinorum generabit, quando longiori tempore mordens atq; abradens intestinum offenderit. Vt enim illa quę propter lentorem inter exeundum, in intestinis retineatur & tardet, & semper ipsa detergat: propter qualitatem facit intestinorum difficultatem. Iis autem qui natura calidi sunt ac biliosi, inquit ipse Hippocrates lippitudines siccas accidere. sic autem vocat eas quæ sunt sine fluxu. Par autem est calidis ac siccis naturis in sicca ac frigida constitutione

quæ calidam atq; humidam excipit, tales lippitudines fieri. Caput enim prius repletum est in calida atq; humida constitutione: frigus autem superueniens, veluti manus quędam extrinseca capiens ac premens quãdam vti spongiam cerebrum, exprimit illam quæ in ipso continetur humiditatem. Hæc vero delata aliâs ab vno loco ad alium: ex ĳs qui faciles sunt ad patiendum, multos generat morbos: atque ita ĳs qui oculos habent natura imbecilles, lippitudines accidunt. Nihil vero ex ipsis effluet ad extra, propter aeris ambiẽtis frigiditatẽ densantis superficiem exteriorẽ. Quòd vero Hippocrates ipse hęc omnia quæ diximus, ad causas referat antedictas, manifestũ ex ĳs quæ scripsit in libro de aqua, locis, & aere, in hæc verba: Pituitosis itaque par est difficultates intestinorum aduenire, & mulieribus, pituita à cerebro defluente propter naturę humiditatem: biliosis autem siccas pituitas ob carnis caliditatem ac siccitatem. Quod vero scribitur circa finem aphorismi, Senioribus vero destillationes quę subito interimant: ipse in libro de aqua, locis, & aere, per hæc verba scripsit: Valde autem senibus destillationes propter raritatem, & venarum colliquationem, ita quòd repente intereunt: quosdam vero contingit dextra aut sinistra parte stupidos fieri. Per hæc verba videtur Hippocrates, non quas cõmuni vocabulo destillationes consueuimus, nominare, quæ scilicet ex capite fiunt ad pulmonem per asperam arteriam, sed omnes quæ feruntur fluxiones per venas à capite ad partes inferiores. quare & cito interimentes, bene videtur adiectum: quoniam hæ velociter terminantur, cum aliæ diutius perdurent. Quidam vero expositores per destillationes audientes illas quæ à capite ad pulmonem fiunt per fauces & arterias, cum negatione non, hunc scribũt sermonem, hoc modo, Non cito interimentes. Et recte quidem. Neq; enim frigidę fluxiones in ipsis concoquuntur, ob ętatem. In quibusdam vero exemplaribus scriptum est: Cito interimentes. quoniam & in libro de aqua, locis, & aere, ipse inquit: Ita quòd repente intereunt.

Destillatio. nõ om... qd fit ...

XIIII

SI vero æstas sicca fuerit & aquilonia, autumnus vero pluuiosus & haustralis: dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines atque grauedines, quibusdam autem & tabes.

EAndem temperaturam nūc simul posuit æstati & autumno, quam & paulo antea dixit de vere atque hyeme, cum ita dicebat: Si hyems sicca & aquilonia fuerit, ver autem pluuiosum & haustrale. Verum ibi quidē in hac æstatis constitutione dixit febres acutas, lippitudines, & difficultates intestinorum fieri: nunc vero hyeme dolores capitis, tusses, raucedines, atque grauedines. Non autem vel ibi adiecit æstiuam constitutionem, vel hic hybernam: vt qui vtrunque tempus suam seruare tēperaturam supposuerit. Si enim & in his altera aduenerit aeris ambientis intemperies: erit aliquis propter illam à prędictis diuersus eius morbus, proprius intemperiei. Verum in illa quidem constitutione qua dixit hyemem fieri siccam & aquiloniam, ver autem pluuiosum & haustrale: ipse subiecit causas ob quas tales morbi ęstate fiūt, in libro de aere, locis, & aquis. De præsenti vero constitutione nihil dixit in illo. Nam post duas antea scriptas cōstitutiones, alteram quidem in qua hyemem aquiloniam & siccam vult fieri, ver autem pluuiosum & haustrale: alteram vero in qua contrarium, pluuiosam & haustralem hyemem, ver autem siccum & aquilonium: & sequentē ordine post has tertiam existentem conuersionem, de qua pręsens est sermo: nō amplius adiecit, sed loco huius, alteram talem: Si vero ęstas pluuiosa fuerit & haustralis, & autumnus similiter: necesse est hyemem fore insalubrem. Deinde per ordinem quasdam alias, neque illas eodem modo quo ista proposita, se habētes. Sed de illis quidem, cum ad earum expositionem peruenerimus, sermonem faciemus. Nunc vero de

ea quæ ab ipso dicitur in aphorismis, agamus, idem nostro sermoni initium facientes, quod etiã antea diximus. Par etenim est seruare ipsam hyemem similem ei quę est naturalis, hoc est frigidam atq; humidam, quantum hæ duę qualitates conueniunt temperatę regionis habitationibus, de quibus nos paulopost nominatim mentionem faciemus. Seruante itaque hyeme suum temperamentũ, nulla fortior in ipsa ægritudo consistit, solum autem capitis dolores, ac tusses, raucedines, atque grauedines, quæ sunt repleti capitis accidentia. Si igitur, vt prius diximus, in vtroque tempore, ęstiuo scilicet atque autũnali fieri pluuias haustrales contigerit, forte & in ipsa ęstate, si minus, saltem in ipso autumno, vulgabuntur morbi proprię constitutionis humidę & haustralis. Nunc quoniam ęstatem siccam & aquiloniam fieri supposuit, autumnum autem humidum & austrinum: par est non solum quosdam nõ incipere ægrotare, verum & immodicę per æstatem siccitatis habere remedium nõ mediocre eam quæ facta est in autumno humidam constitutionem. Quia vero totus autumnus talis est subsequutus: necesse erit ĳs qui naturã habent humidiorem, sufficienter supra modum repleto capite, nuper dictos morbos hyeme aduenire: quibusdã autem eorum & tabem, qui scilicet ad hunc morbum apti natura sunt. Sunt apti natura & qui angusto sunt pectore, & quibus à capite ad pulmonem fluxio defertur. Hi igitur tabidi fient. Alĳs vero nullus quidẽ fortior morbus adueniet, sed tusses atque raucedines, & quicunque alĳ huiuscemodi casus fient, tẽpore hyberno capita suscipiente haustrinis pluuĳs antea repleta, siue in quibusdam hoc solum efficiente, quòd superfluitas in capite perseuerans sit ipsi doloris causa. Nullam siquidem plenitudinẽ in parte aliqua corporis dissoluit hyems. In quibusdam vero coacto in vnum & compresso quodãmodo capite expressa materia inutilis, ad loca capite inferiora descendit: hoc quidẽ veluti purgatio quædam, & capitis est euacuatio. In quibus vero à multa materia grauatum antea laborauit, nec potuit hybernum frigus tolerare: subiectis

sibi partibus refrigeratum, iam propter maiorem intemperiem est fluxionum causa.

XIIII

SI vero aquilonius & siccus, iis qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet: reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines, nonnullis vero & atrę biles.

HIc sermo nūc dict9 liquet quòd nō est integer aphorismus, sed pars secunda vnius aphorismi cuius priorem partem nuper destitimus explanare. Nam manente communi ea quæ est æstatis dispositione, vtrisq; sermonibus: prior quidem pluuium & haustralem in ipsa supponit autumnum, secundus vero qui instat, siccum & aquilonium. Quòd vero nil differt, siue siccum, siue squalentem, siue inaquosum dixerimus, vnicuique est manifestum. Ambobus ergo temporibus squalidis & siccis effectis, humidę quidem naturæ non modo nihil offendentur ex tali constitutione, quin potius aliquam sentient vtilitatem. Causam vero ipse dixit in libro de aquis, & locis, & aere, scribens in hunc modum: Pituitosis vero hæc omnia auxilio sunt. Exsiccantur enim, atque ad hyemem minime laxi perueniunt, sed exsiccati. Reliquis vero qui non sunt tali natura præditi, lippitudines siccæ, febres acutæ, atque grauedines accidunt, & nonnullis eorum atræ biles. Causam vero horum generationis, ipse in libro nuper dicto, per hæc verba inquit: Biliosis vero hoc est inimicissimum, quia valde exsiccantur, & lippitudines his siccæ eueniunt, & febres acutæ & diuturnæ, & atræ biles. Deinde causam subinferens, inquit: Bilis enim pars humidissima atque aquosissima exsiccatur atque absumitur: crassissima vero & acutissima linquitur, & sanguis pariter eadem ratione: ex quibus hi morbi ipsis contingunt. Hæc itaque à nobis ad propositas constitutiones dicta sunt sufficienter.

Cur vero de his solis constitutionibus fecerit mentionem Hippocrates, cum & plures aliæ sint, non habeo dicere. Volo autem potius declarare viã ac rationem qua quispiam vtens, omnes constitutiones complecteretur. Est autem talis. Primum igitur incipere est necessarium, veluti ab elementis, à simplicibus aeris ambientis intemperaturis, atque ipsas diuidere, & in valde paruas, & valde vehementes, ac medias. Posthac dicere de qualibet earum quę dictę sunt intemperaturarum in singulis temporibus contingẽtium, quot scilicet morbos secũdum vnãquãque naturam generabunt. Posthac duorum temporum complecti inuicem intemperaturas, quemadmodum conatus est nunc & ipse Hippocrates facere. His vero transactis omnibus, deinceps trium temporum coniungere vniuersas omnes intemperaturas, deinde quatuor. Sic em̃ foret integra atque perfecta meditatio. Hæc igitur & nos forte aliquando, si plus ocij nacti fuerimus, seorsum scribemus. Sufficiat autem imprę sentiarum hoc dixisse solum, quòd paucos admodum intemperaturarum complexus scripsit Hippocrates, adeò vt hæ potius quoddam exemplum videantur, quàm pars aliqua effatu digna totius circa talia disciplinæ. Dicemus autem pleniꝰ de ipsis, quum librum de aquis & locis & aere, & de Epidemijs primum exponemus. Quod vero paulo antea sum me dicturum pollicitus, nunc adiungens, in ipso finiam orationem. Audire enim oportet omnes de quibus scripsit Hippocrates constitutiones, in locis factis terræ habitabilis temperatis: exceptis ab hoc sermone Thraciæ locis quæ à mari distant. Hęc enim in frigiditate atque humiditate modum excesserunt: sicuti & quæ ad Aegyptum ac Libyam attinent, loca calida sunt ac sicca: exceptis & hic illis quę mari adiacent locis. In frigidis enim, quales sunt circa Thraciam ac Pontum regiones: quoniam loca mari adiacẽtia, humilia sunt: ob hanc causam calidiores habent temperaturas. In calidis vero, quales Aegyptus ac Libya: quoniam æstate à ventis ab Arcto flantibus refrigerantur, idcirco minus sunt calida ijs quę ad mediterranea recesserunt. Zona ve-

to exquisitam habēs tēperiem, ac media orbis terrarum, est quę per Gnidum, & Com, & quęcūque loca nō multum ab his recesserūt vel ad aquilonem, vel ad haustrum. Oportet autē, vt temperatam zonam nominatam ab ĳs qui talium habent peritiam, perfecte intelligas: excogitare quandam lineam rectam extentam per ea quæ dixi loca. Quidam autem astrologi non zonas, sed parallelas, id est ęquidistantes vocant tales in terra habitationum similitudines, quę ab ortu ad occasum protendūtur. Sermo igitur ab Hippocrate habetur de ĳs præcipue: quæ diximus locis. Ordo autem temporum, sicuti ipse sępius in libro Epidemiarum ostendit, & sicuti ĳ qui hoc studio excelluere, scripserunt, hic est: Ortus Pleiadis, pricipium est æstatis: post quam Canis ortus oporam, id est fructuum generationem inchoat: quam & ipsam pro secunda parte æstatis ponunt. Post hunc Arcturus oriens initium facit autumni. Deinde occasus Pleiadum, hyemis principium facit. Deinde quod hyemem sequitur æquinoctium, principium veris habet.

XV

EX anni autem cōstitutionibus, (quod in totum dixerim) siccitates imbrib9 sunt salubriores, & minus mortiferæ.

QVòd melius fuisset inter antea scriptos aphorismos, in quibus agit de temporum constitutione, hunc primum scribere aphorismum, quem nunc prę manib9 habemus, ex ipsis reb9 didicimus, quoniam ad confirmādos priores aphorismos hoc etiā eguimus. Et hoc ex necessitate didicimus, quoniam prius est natura atque doctrina, simplex composito. Post illum igitur aphorismum cuius initium: Haustri hebetantes auditum, caliginosi, caput aggrauantes, pigri, dissoluentes. primo loco ponemus illum cuius principium: Cotidianæ constitutiones, aquiloniæ quidem corpora in vnum cogunt. Secundo loco hunc nunc propositum: in quo ex omnibus anni constitutionibus siccitates imbribus anteponit, & hoc cum ratione. Nam in siccitati

bus superfluę humiditates dissoluuntur, per imbres autem intra corpus collectę putrefiunt, nisi quis singulis diebus collectas exercitijs expurget. Quę enim fit per balneas euacuatio, parua est, & solam ferè cutem euacuat. Quę autē sunt per carnem & partes solidiores dispersæ supfluitates, haud sufficiēter ex balneis euacuātur. Neq; tamen ea quę fit per purgantia pharmaca superfluitatum euacuatio, idonea est. Nam valde indigentibus, & ex longis interuallis vtilis est. Earum vero quę cotidie generantur in corpore superfluitatum euacuatio minor est quàm vt exigat purgantis pharmaci operationem. Si vero quispiam voluerit bis mense, aut semel saltem ea vti, veritus ne superfluitatum multitudo aggregetur: preter id quod nocebit, corpora etiam in malam trahet consuetudinem. Alimēti siquidem pars vna serosa est: quæ ipsi gratia distributionis admiscetur. Altera veluti fuliginosa superfluitas, quæ in pluribus cibis, quicūque sunt peiores, continetur: quę naturę operationem subterfugit, cum neque assimilari corpori quod nutritur, neq; agglutinari queat. Hæ igitur omnes diebus singulis sunt euacuandę: verum magis in siccis constitutionibus euacuantur, quàm in humidis: atque ideo has dixit esse salubriores.

XVI

MOrbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longę, alui pfluuia, putredines, morbi comitiales, & attoniti, quos apoplexias gręci vocāt; & anginæ. In siccitatibus autem tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia vrinę; & difficultates intestinorum.

FEbres quidem longas ex multitudine fieri humiditatis, minime mirum: siquidē ægroti ad morborum solutionem eget coctione: plures autem humiditates non nisi in lōgo tempore concoqui possunt. Accedit ad hoc, quod frigidiores & magis pituitosi gene

rantur humores in multitudine pluuiarum : ſicuti contra in ſiccitatibus biliofiores. quare in temporibus pluuioſis febres erunt diuturniores, in ſiccitatibus autem acutiores. Neque extra rationem eſt quòd alui profluuia in temporibus pluuioſis eueniant, quum humorum ſuperabundantia per aluum expurgetur: ſicuti etiam quòd eiſdem temporibus putredines fiant: quoniam perſpicuum eſt humida ſiccis magis eſſe putredini obnoxia. Sunt autē & morbi comitiales, & apoplexiæ, morbi ex pituita ortum habētes. Angina autem fit nōnunquam ſuperfluitatum multitudine ad fauces collecta: fit etiam magna ex parte fluxionibus ex capite firmatis in faucibus. Quòd autem in pluuioſis temporibus fluxiones, ſed maxime ex capite venientes ſuperabundēt, manifeſtum, & dictum eſt à me ſæpius. In ſiccitatibus autem & tabitudines morbos ait abūdare, & lippitudines, & articulorum paſſiones, & ſtillicidia vrinæ, & difficultates inteſtinorum, ſatis (vt mihi videtur) indiſtinctum de hiſce faciens ſermonem. Morbi ſiquidem tabitudines nominati, ad has duas ſequūtur conſtitutiones, & ad frigidiſſimam, ex qua nonnulla ex vaſis quę ſunt in reſpirationis inſtrumentis, dirumpuntur: & ad alteram quę coniūctam habet cum caliditate humiditatem, quarum occaſione caput repletum mittit ad pulmonem fluxiones. Ad ſiccam vero conſtitutionem, quę ſecūdum caliditatem & frigiditatem naturaliter ſe habet, oīa alia magis quàm tabitudines conſequuntur. Quare mihi videntur nonnulli fuiſſe coacti oculorum tabitudines intelligere, vt ſit ſermo huiuſcemodi : In immoderatis autē ſiccitatibus lippitudines tabidæ fiunt, hoc eſt ad tabem oculorum terminantes : ex qua fiunt extenuati ac ſicci plus quàm naturę conueniat, facta ſimul & ipſa pupilla anguſtiore, exſiccatis videlicet humoribus, à quibus ipſa diſtēta mediocriter quidem, modum ſeruabat naturæ conuenientē: plus vero quàm oporteat, ad prauam latitudinem extendebatur. Si vero ipſas per ſeipſas dictas lippitudines audiamus, verbūm ſiccas adiungemus. Diximus autem & prius cauſam ob quā ſiccę lippitudines in magnis fiāt

ſiccitatibus. Et quidem articulorum morbi, qui ex fluxionibus fiunt, nullo modo in immodicis ſiccitatibus fient. Qui vero ab aliqua acritudine accidunt, ſi & caliditas vlla immodica acceſſerit, tunc ſolum euenient. Quas igitur articulorum paſſiones in ſiccitatibus dixerit fieri, dignum eſt inquiſitione. Si enim immodice factæ conſumpſerint articulorum humiditatem: difficilem motum, & ſiccitatem efficient: forte vero & nonnunquam dolorem. eam vero paſſionẽ quæ arthritis nominatur, haudquaquã efficiẽt, niſi quiſpiam omnem articulorum dolorem ita velit nominare. Atqui ipſe in libro ſecundo Epidemiarum: ita inquit: In Aeno per famem qui leguminibus veſcebatur, infirma habebant crura: & qui orobos comedebant, genuum dolores patiebantur. Non arthriticos, ſed genua dolẽtes ipſos appellauit. Quiſpiam vero fortaſſis dixerit nõ vnius articuli dolorem, ſed multorum ſimul arthritin nominari: & iuxta hoc, genua dolẽtes, nunquam arthriticos appellari. De morbo igitur qui arthritis nominatur, hæc dubitaſſe ſufficiat: de vrinæ vero ſtillicidijs deinceps videamus. Neque enim ad ſiccitates ſimpliciter conſequũtur, niſi tribus adhibitis diſtinctionibus, quarum prima eſt immodica ſiccitas, ſecunda ſi caliditas adiungatur, tertia ſi frigiditas: de quibus non fecit mentionem Hippocrates: ſed ſi cui libeat omnium anni conſtitutionum naturam inueſtigare, ſic ipſum facere oportet. Erit autem ſermo exemplo manifeſtus huius propoſitæ conſiderationis. Nam immodica ſiccitas in naturis bene temperatis aliam efficit corporis diſpoſitionem, aliam in ſiccis, ſicuti & in humidis aliam. ſic & ſecundum calidam ac frigidam, aliã in alterutra faciet diſpoſitionem: ſecũdum etiam coniugationes ſimplicium intẽperaturarum, aliam quidẽ in calida & ſicca: differẽtem autẽ ab ipſa, in frigida & ſicca: & in reliquis duab9 eodẽ modo Sicuti vero ſimplicẽ paulo antea ſeruãtes aeris ambiẽtis tẽperaturam, in vnaquaq; natura propriã dicebamus facere diſpoſitionẽ: ſic cõpoſitam cõponẽtes, in vnaquaque rurſus natura futuras diſpoſitiones conſiderabimus. Erit autem cõpoſita

ſicca aeris ambientis conſtitutio, quando frigiditati vel caliditati adiungetur, quanquam & ſimplex videbatur quodammodo & ipſa compoſita. Nam miſcebatur bene temperatæ conſtitutioni, media inter immoderantiam vtranque, & eam quæ eſt ſecundum caliditatem, & alteram quę eſt ſecundum frigiditatem. Cum vero cõceſſum ſit in doctrinis, ſimplices quidem fieri temperaturas eas quæ ſecũdum vnã qualitatem à modo naturæ receſſerũt, non ſimplices autẽ eas quæ ſecũdum plures: nõ ſine rõne cũ aer ambiens, ea quæ eſt ſecũdum ſiccitatẽ & humiditatẽ oppoſitione, fuerit male tẽperatus: in altera autẽ quę eſt ſecũdum caliditatem & frigiditatem, bene tẽperatus: ſimplicem dicemus eſſe intemperaturam. Hac igitur habita in omnibus conſideratione, non eſt obſcurum quàm fiet ſermo prolixus de reliquis cõſtitutionib9, & qui paulo antea dictus eſt in veſica. Nam vrinæ ſtillicidia fiũt & propter acutiem vrinę, & propter vis expulſiuæ quę eſt in veſica, imbecillitatem: quæ rurſus imbellicitas ex immodica intemperatura contingit. Cum vero octo ſint immoderantię, in ſingulis earum debilis veſica erit: atque idcirco ad eam vrinæ ſtillicidia conſequentur. Et quidem vrinarum acritudines à quibuſdam fiunt intemperaturis, ſed magis ab ea quę eſt ſecundũ caliditatem, poſthac autem ab ea quę eſt ſecũdum caliditatem & humiditatem, tertio ab ea quæ eſt ſecundũ humiditatem. Fiet itaque & ob hęc vrinæ ſtillicidium, demptis ĳs quæ ſunt propriæ veſicæ paſſiones, ad quas vrinę ſtillicidia caſus ratione cõſequuntur: veluti cum ob vlcus, aut eryſipelas, aut abſceſſum in ea factum, vel inflammationẽ, aut tale quid aliud, vrinæ diſtillicidium contigerit. Nunc enim non de his ſermo exiſtit, ſed ſolum de illis quę aeris ambientis ratione proueniunt: ſicuti neque de illis quę ex malo victu habẽt occaſionem. Quę vero in vrinæ ſtillicidio ſunt dicta, hęc etiam à nobis dici in difficultate inteſtinorum oportet intelligere, de qua neque ipſe idem cum Hippocrate ſentio. Difficultas enim inteſtinorum non ſimpliciter ad ſiccitates conſequitur, niſi prius diſtinctio adhibeatur, pri-

mum quidem quòd sit exuperans siccitas, deinde quòd aer ambiens secundum caliditatem & frigiditatem permutetur, deinde & naturę corporum patientes considerętur. Non autem adeò licet de Hippocrate dubitare, qui primus talis conditor contemplationis, non totam perfecerit, quantum de Diocle primum, & Mnesitheo post ipsum, demũ & multis alijs medicis, qui veras vias Hippocratis ingredientes, multa particulatim elaborare proposuere. Cum eñ oporteret eos, si quicquam aliud, & eã quæ est de temporum constitutionibus contemplationẽ, vt paulo antea proposui, corrigere, & totam elaborare: omnino contempserunt. Nos vero hoc facere aggrediemur proprio his dicato opere, si hæc prius quę præ manibus habemus, absoluerimus.

XVII

Qotidianæ autem constitutiones, aquiloniæ quidem corpora densant, contendunt, & bene mobilia, coloratiora, & melius audiẽtia faciunt, & aluos exsiccant, oculos mordent: & si pectus dolor aliquis obsederit, dolorem augẽt. Haustrinæ dissoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauãt, & vertigines faciunt, oculis atque corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant.

CVm frigidus ac siccus ventus sit aquilo, omnes coporis consumit superfluitates. Robur autem adijcit ipsis instrumentis ex eo quòd astringit, & in vnum cogit densando substantiam. Ob hoc (vt inquit) omnia meliora fiunt & secũdum naturæ & animæ operationes. Nam animæ quidem operationes ostendit per ea verba; Bene mobilia, & melius audientia. Naturæ vero cum inquit: Bene colorata. Commune autem vtrisque est quod contentum nominat. Et clarum est quòd ex


vno ſenſu auditꝰ, veluti exemplo quodam, etiam de alĳs oſtendit. Hæc igitur bona adſunt aquilonĳs conſtitutionibus, quibus maxime perfruuntur qui ſalubre corpus habēt, & ex hiſipſis humidiores. Adſunt vero & mala quędam hiſce conſtitutionibus, verum parua, & non ſimilia malis quę hauſter affert. Cur enim non parua ſint, & aluum cohiberi, ac morderi oculos, & pręcedentes dolores pectoris excitari? Noſces autem ipſorum paruitatem hauſtralibus comparans conſtitutionibus, quas dixit diſſolue re corpora. Maximum enim hoc malum ad opus omne, ſiue animæ ſit, ſiue ad vitam pertinens. Non paruum autem & malum eſt aggrauatio capitis, & difficilis auditus. De vertiginibus autem quid dicere oportet? quę proximæ ſunt morbis comitialibus, & ĳs quos apoplexias nominant. Sed & difficilem (inquit) operātur & oculorū & totius corporis motum. Parui autem ſunt huiuſcemodi caſus. Solum autem eſt in ipſis quoddam mediocre, quòd aluos reddūt humidiores. Hoc autem efficiunt & alia omnia, maxime quidem propter humiditatem, verum etiam propter caliditatem. Et quod in initio ſermonis ſcribitur, melius fuiſſet ordinem commutaſſe, vt primum quidem foret verbum humectant, ſecundum vero diſſoluūt, deinde ea quæ deinceps ſequuntur. Quia enim humectant, ob hoc & ſingula alia operantur, conferente ad hæc & caliditate. Fiunt ſiquidem operationes per ſolidas animalis partes, quę vere ſunt eius partes. Aggrauātur autem & hæ, quapropter & deterius operantur, propter humiditatum exceſſum.

XVIII

PEr tempora anni, vere quidem & prima æſtate pueri, & qui hos ſequuntur ætate, optime degunt, & ſani ſunt maxime: æſtate vero, & autumno vſque ad aliquid, ſenes: reliquum, & hyeme, qui mediam ætatem habent.

Non solum in ętatibus, verum & in omnib9 aliis quæ secũdum temperaturam vel modice se habent, vel immodice, si quis sermonem in hoc loco Hippocratis examinauerit: verum inueniet. Naturis si quidem, ætatibus, & regionibus bene temperatis, optimum tempus est quod summam habet temperiem: cum cum quo preditæ sunt habitum non permutari, sed conseruari desiderent: quoniam omne quod est, à similibus quidẽ conseruatur, à cõtrariis autem transmutatur. Quare puerorum ætas, adhuc autẽ magis adolescentium (hæc enim est omnium ætatum optima) vere optime degunt: & eadem ratione quæcũque vel regiones vel naturę sunt bene temperatæ. Adiunxit autem veri principium ęstatis Hippocrates, in latum ostendens vniuscuiusque theorematis vtilitatem. Magis autem exquisitus sermo fuisset, si ita scripsisset, Adolescentes vere, pueri æstatis principio optime degunt. In senibus vero propter temperaturę frigiditatẽ ęstas vtilissima est: sicuti iis qui in ætatis vigore consistunt, hyems maxime confert. Hęc enim contraria est illi que in his fit ex bilis multitudine, intẽperaturę. Sic & naturarum hæ quidem biliosiores, hyeme optime degunt: pituitosiores autem, æstate: bene autem temperatę, vere. Similiter & regiones, quæ quidem bene temperatę, optimum ver habẽt, ex aliis vero frigidę æstatem, hyemem vero calidę. Et quidem pessima tempora vnicuiq; ętati atque naturæ & regioni, ex iis que dicta sunt, possumus inuenire. Nam maxime contraria sunt optimis pessima. Eadem ratione & media inuenies inter optima & pessima. Illud preterea animaduertere oportet, quod ver quidẽ optimũ dicitur esse adolescentib9, aliis vero omnibus medium. Neque enim optimũ est, neq; pessimũ. Sic & ad naturas & regiões se res habet. Autumnus quidem omnib9 mal9 est ętatib9, naturis, ac regionib9. Min9 quã alię ex ipsis lędunt calidę & humidę per autumnum.

XIX



Morbi, omnes quidem in omnibus tem-

poribus fiunt, quidam vero magis in quibusdam ipsorum & fiunt & excitantur.

Ro. aph.

SI aeris quidē ambiētis tēperatura sola esset morborum causa: tunc nos quolibet tempore illos morbos pateremur, qui sunt affines temporum naturę. Nunc vero cum etiam ob errata quę in victu contingunt, morbi fiant: omnes quidem in temporib9 omnibus fient, plures vero qui sunt vnicuique tempori natura proximi. Non parum autem in his confert & differentia naturarum. Neque enim similiter ab eadem causa calidū corpus, & frigidum, offendi aptum est, vel humidum, & siccum: neque temperatum ęqualiter istis, neque illis quę secundum aliquam qualitatum coniugationem à bono tēperamento recedunt, vt antea diximus.

XX

VEre etenim furores, & atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & lepræ, & tusses, & impetigines, & vitiligines, & pustulæ vlcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.

AB

ET quomodo antea recte ab eo dictū videretur, Ver vero saluberrimū, & minime mortiferum, cū multę in eo fiant passiones? Videtur siquidē magis quodlibet tēpus adæquare secundum morborum quos generat, varietatem. Furores etenim, & atrę biles, & morbi comitiales, & anginæ, sunt morbi autumnales: grauedines autem, & raucedines, & tusses, & leprę, sunt hyemales. De estate autem ipse deinceps dicet, communionem eius ostēdēs ad ver: Aestate vero quędam horū, scilicet pri9 dictorū in vere. Ex superabundanti autē, pręter alios morbos, ver profluuia sanguinis, lepras, & impetigines, & vitiligines, & pustulas vlcerosas plurimas efficit, tubercula, & articulorū dolores. Hęc igitur quęcunque

Ver multū mortale
& sic quare mortū
& si q in ipso tales
[illegible] aliorū ēē [illegible].

sunt verni temporis propria: omnia periculo vacant, & tantum absunt vt aphorismum illum falsum ostēdant, in quo dixit: Ver vero saluberrimū, & minime mortiferū: vt potius ipsum videantur cōfirmare. Nam hoc ipso tempore profundū corporis expurgatur vitiosis humoribus a partibus principalibus ad cutem peruenientibus. Sic igitur & lepræ, & vitiligines, & impetigines, & pustulæ quędam vlcerosę multæ generantur. Alio vero modo in tuberculis, & articulorum doloribus, profundum corporis expurgatur, vitiosis humoribus ad loca viliora transpositis. Quod autem profluuia sanguinis & multitudinem euacuant, & vitium humorum cohibent, & qui ex ipsis oriūtur morbos: perspicuum existit. Si vero aliquod corpus bonos humores habēs, vernum tempus excipiat: hoc seruat saluberrimum, nihil ex propria nouans natura. Nō sic æstas, vel autumnus, vel hyems. Hæc enim tempora etsi purum corpus, & omni vacans repræhensione suscipiant; hoc quidem flauam bilem vltra modum generat opportunum, hoc vero atram, hyems vero pituitam. Tale quid etiam vere contingit, quod in exercitationibus videmus fieri. Etenim hæ quoq; sunt saluberrimæ. Verum si hominem pituita plenum, vel flaua bile, vel atra, vel sanguine ipso, volueris ad exercitationem perducere: aut ei morbum comitialem, aut apoplexiam efficiēs exercitatione: aut si hæc mala non euenient, periculum imminet ne rupto aliquo in pulmone vase, in morbum incidat insanabilem. Multi vero cum febricitare cœpissent, propter exercitationes acutissimis morbis fuere correpti. Quibus vero vicem purgationis humorum qui sunt in profundo corporis, exercitatio suppleuerit, ad cutem euocans malorum humorum abundantiam: his & vlcera, & scabies inde generātur. & hoc innuens dicebat Hippocrates, Si impurgatus laboraueris, vlcera erumpent. Et quidem verno tempore ex aere calor ambiente humores diffundēs educit ad cutem: & hoc quoque opus ipsis exercitationibus persimile existit. Non solum autē ipsarum operibus, veris opera assimilantur, sed & naturæ ipsius, cuius ope-

ta,& occultam per totum corpus facere trāſpirationem, per quam excernuntur ſuperfluitates, necnon & corpus in morbis varijs modis expurgare.

XXI

AEſtate autem nonnulli horum, & febres continuæ,& ardentes, & tertianę febres, & quartanę,& vomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores,& oris vlcerationes, genitaliū putredines,& ſudamina.

AEſtate inquit & nōnullos ex vernis morbis fieri,circa initia eius videlicet. Nam quæ fini veris continuantur, ſicuti ſimilem habent temperaturam cum æſtate,ita & in morborum generatione cōmunicant. Inquit enim alios quoſdam ęſtate generari illi proprios,veluti febres continuas, & ardētes,& tertianas:&(vt ſimpliciter dixerim) quæcunque ex flaua bile mala corporibus accidunt. Nam & vomitus hac per ſumma natante fiunt, & ventris profluuia ad inferiora defluente:& lippitudines quoq; æſtate plurimæ, vtpote repleto capite. ſic & aurium dolores, & alia ſimilia æſtate corpus patitur ex capitis repletione,aliam ad alias corporis partes ſuperfluitatem deponentis. Oris autem vlcerationes, quòd propter bilioſum humorem contingant, perſpicuum exiſtit. Genitalium vero putredines,non ſimpliciter, ſed quando æſtas aut humida magis fuerit, aut nullus flauerit ventus,aut hauſter in ea abūdauerit. Nam cum plurimum à modo naturæ receſſerit ad humiditatem, aut flatuum carentiam:non genitalium tantum putredines facit, ſed & cuiuſcunque partis alterius : qualis eſt illa quæ ſcribitur in tertio Epidemiarum conſtitutio, vel in ſecūdo circa eius initia. Quę vero paruæ ſunt aeris euerſiones,genitalia tangunt, vt quæ ob humiditatem ac caliditatem ex quacunque occaſione ſint parata putreſcere. Quare cum propriam æſtas ſeruauerit temperatu-

ram: qui multis superfluitatibus infestantur, quando hæ aliquam ob causam ad genitalia defluxerint, ipsorũ putre
8 dines patiuntur. Sudamina autẽ è genere pustularũ sunt in summa hærentiũ corporis parte, quę instar vlcerũ cutẽ exasperant. Proueniunt autẽ, queadmodũ & ipsum ostẽdit nomẽ, propter multos sudores, qui vel biliosiores, vel omnino mordaciores existunt. mordent enim hi cutẽ, & pruriginosam efficiũt, & per modum vlcerũ exasperant.

XXII.

AVtumno vero & plurimi, vel æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ intercutem, & tabes, & stillicidia vrinæ, ~~& difficultates intestinorum~~, & leuitates intestinorum, & coxendicum dolores, & anginæ, & anhelationes (quas gręci asthmata vocãt) ilei, morbi comitiales, furores, atræ biles.

IN autumno (inquit) & æstiuorum morborum permulti fiunt, manente adhuc æstiuo humore in ipso, flaua bile scilicet. Neq; enim sicuti æstas veri superueniens humores euacuat, ita & autumnus ęstiuos, sed contrarium ex toto accidit. nam ex partibus extimis ad intimas ducit. Cum ratione igitur æstatem inquit nonnullos ex morbis vernis generare, autumnũ vero non ex æstiuis aliquos, sed multos. Et quidẽ quartanas febres in hac ipsa hora fieri inquit, quia scilicet ex atra bile ortũ habent: quę duplicem habet generationem: alteram quidem ex flaua bile superassata: alteram vero ex sanguine crasso. Fiunt autẽ & erraticę febres in autumno, propter temperaturę inęqualitatem: & lienes magnę, ob atræ bilis superfluitatem: & aqua intercutem ex liene cõtingit. Et si qua dispositio tabida in dubio est, maxime autũno deprehenditur propter frigiditatẽ ac siccitatem, & temporis inæqualitatem, nihilominus autem & propter hu-

motum prauitatem. Fiunt autē ob easdem causas eo tem-
pore maxime vrinæ stillicidia. Nam vesica in exordina-
tis ac repentinis, ad calidum & frigidum permutationi-
bus, refrigeratur: et quæ ex malis humoribus fiunt acritu-
dines, ipsam molestant: et tum præsertim, cum facta ad
frigiditatem subita commutatio, eos qui hactenus diffla-
bantur, & per sudores euacuabātur humores, ad vesicam
conuerterit. Leuitates vero intestinorum sunt veloces &
sine aliqua transmutatione ciborum excretiones, aut pro-
pter exulcerationem in summa parte ventriculi aut inte-
stinorum, quę eodem modo fit quo illa quæ in pueris grę
co vocabulo aphthę, id est oris vlcera nominātur, vel pro-
pter potentię retinentis imbecillitatem. Quorum primū
ex mordacibus, & substantiam tenuem habentibus hu-
moribus fit: secundum vero ex magna ventriculi atque
intestinorum prouenit intemperie. Hęc ambo vero maxi
me autumno fieri contingit. Coxendicum autem dolores
ex malignitate humorum, & frigiditate fieri par est. An-
ginę vero ex biliosis humoribus ortum habent, qui ad fau
ces decūbunt: ab illis quę vere fiūnt, differentes, quoniam
illę sunt quodammodo pituitosiores. Et quæ asthmata, id
est anhelationes græci vocant: tum propter humorū mo-
tum ad partes interiores, tum propter frigiditatem fieri
consueuerūt. Propter hęc eadem, & qui ilei, id est voluuli
nominantur. Sunt autem cibi superfluitatum quæ per al-
uum inferiorem excernuntur, retentiones: quæ magna ex
parte fiunt ex alicuius intestinorum partis inflammatio-
ne. Maxime vero par est vt in frigido sicco & inæquali
& malos gignente humores tempore, partes ad vētricu-
lum atque intestina attinētes offendantur. Nā qui in æstate
tenues & bene mobiles humores sunt genetati, autumnus
excipiēs (qui frigidus simul atque inęqualis existit) ad pro-
fundum corporis agit. Sunt autem in profundo etiam in-
testina. Morbi vero comitiales accidunt ijs qui naturam
habent ad hāc passionem procliuem, propter repētinam
ad contraria transmutationem. Calor enim media die, fri-
gus vero in prima & vltima parte. Nihil autē adeo comi-

tiales accessiones, sicuti talis varietas, aptum est generare. Furores vero ob tenuem ac biliosorum humorum eueniunt malignitatẽ, sicuti melancholię ex atra bile, de qua pauloante dictum est.

XXIII

Hyeme vero morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tusses, dolores pectoris & laterum atque lumborum, capitis dolores, vertigines & apoplexiæ.

Hyemales morbos post autumnales exponẽs, nõ eodem modo sicuti prius, dixit, neq; quòd hyeme multi ex autumnalibus. Atqui prius in ęstiuis ipsos comparans vernis, ita dixerat: Aestate vero horum nõnulli. In autumnalibus autẽ, Autumno & æstiuorum multi. Nunc vero morbos hyemis simpliciter cõnumerauit, siue quòd ex cõmuni voluerit hoc quoq; in loco subaudire dictorum aliquid, vel simpliciter ostendẽs, tanquam nihil autumnale tempus cum hyemali cõmunicet. Atqui primas partes hyemis fit rationabile (atq; ita experiẽtia comprobatur) cũ autumno cõmunicare. Ipse enim inquit: Aestiuę quartanę magna ex parte fiũt breues, autumnales vero longę, & magis quę ad hyemẽ coniungũtur. nisi quis dixerit ipsum de illis quæ in extrema autũni parte generantur, facere mentionẽ. Verum morbos hyemis proprios hosce vult esse, laterum & pulmonis passiones: quoniam instrumẽta respirationi seruientia, ex frigiditate lœduntur: cum alia ita bene possimus obtegere, vt nihil, aut minimũ sentiant ambientem frigiditatem. Anhelitum vero nemo potest cohibere, neque aliter datur respirãdi facultas. Ob hanc igitur ipsam frigiditatem, tusses hyeme maxime fiunt, & laterum dolores: & ob eandem etiam caput oblœsum, grauedines, tusses atque raucedines operatur. Fiunt autem sicuti dolores laterum ob frigiditatem, sic & capitis atque lumborum, & omnium par

tium neruosarum. Vertigines quoq; cerebri læsiones consequūtur, sicuti & apoplexię. Nam & hæc passio fit cum caput repletur pituita.

XXIIII

IN ætatibus autem talia contingunt, partis & nuper natis puerulis oris vlcera (quę aphthę vocantur) vomitus, tusses, vigilię, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.

QVæ ad ætates attinent, diligentius elaborauit, quàm quæ ad anni tempora, facta in minores partes diuisione. In puerulis igitur nouiter natis ait fieri aphthas. Sic autem greci vocant vlcera quæ summam oris occupant partem, ob mollitiem maxime facta instrumentorum: quæ neque tactum, neq; lactis sustinent qualitatem, quòd non paruam in se serosam continet partem. Hæc autem pars vim habet abstergendi. Quare nō mirum si in corporibus mollibus quasdam per summa facit exulcerationes. Vomitus autem tunc his fieri par est, propter lactis quòd assumunt, multitudinem. Vigilię vero haudquaquam ipsis sunt assuetæ, vt qui maiori parte temporis dormiant: nisi forte ob ipsam passionem fieri infantibus vigilias opinetur. siquidem somni abundantia ipsis maxime secūdum naturam inest. Et pauores etiam per somnū infantibus adsunt, ĳs præsertim qui sunt natura edaciores, quando loca ad ventriculū pertinentia sensu quidem vigeant, sed imbecillia existant. cibus vero corrūpitur. Nos siquidem obseruauimus, non in tantillis solū, sed etiā in ætate perfectis, terribiles fieri per somnos imaginationes, quando multi & vitiosi humores grauant & mordent ventriculum, præsertim ipsius os. Hęc enim ipsius particula pręcipuum habet sensum. Vmbilicorum autem inflammationes non multo antea præcisorum, nō sine ratione nouiter natis puerulis accidunt, non secus ac si qua alia pars foret vlcerata. Verum & auriū humidita-

tes morbis annumerat:non tamen & palati & narium in eodem numero ponẽs:quoniam naturę conuenit per nares atque palatum cerebri superfluitates expurgare:& fit hoc etiã ijs qui sunt ætate perfecta. A natura autem aliena est expurgatio per aures. Verum & infantibus etiam per aures cerebrum expurgatur:& recte Hippocrates inter proprias huius ætatis passiones, etiam aurium scripsit humiditates. Est quidem igitur & totum corpus nouiter natis puerulis maxime humidum, adeò quòd & ossium natura in ipsis potius cerea quàm lapidea videatur. Præ cęteris vero partib9 cerebrum humidum existit, vt quod etiam in perfectis talem habeat intemperaturam. Quare non absque ratione in foramina eis, quum superfluitates abundent, per omnia excernuntur.

XXV.

IN progressu vero cum iam dentire incipiũt, gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluuia: & maxime cum caninos edunt dentes: & iis præsertim pueris qui crassissimi sunt, & aluos duras habent.

PRurigines quidem gingiuarum fieri cum dentes pullulare incipiũt puerulorum, nihil mirum. Prurigo enim pruritus quidam est cum pauco dolore. Febres vero & conuulsiones atque alui profluuia accidunt pueris qui iam dentire incipiunt, & non adhuc morantur, quemadmodum & ipse ostendit inquiens: Et maxime cum caninos edunt dentes. Liquet autem quòd perforatis gingiuis à dentibus prodeũtibus, hi casus eueniunt: quemadmodum vbi stimulus infigitur carni. & sanè plus dentes affligũt quàm stimuli. Hi siquidem semel firmati, in membro quiescunt cui ab initio infixi sunt: dentes vero semper procedunt, & tantum, quantum augentur. Febricitant ergo hac ætate puerulí & propter ætates, & vigilias, & inflammationes. Conuulsiones autem eis

accidunt tum propter hæc, tum propter crudum alimentum, & quia neruosę partes nõdum satis validæ sunt. Ad hæc omnia etiam ex necessitate ventris profluuia consequuntur, quoniam alimentum non bene coquitur neque distribuitur. Quod autem dicitur, Pueris qui crassissimi sunt, & aluos duras habent, ad conuulsiones refertur: cum his maxime pueris dicat cõuulsiones fieri, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent. Tales enim plenum corpus habent, & abundans superfluitatibus, & ideo conuulsionibus facile capiuntur: maxime vero naturas has conuulsiones offendunt.

XXVI

CVm vero iam magis adoleuerint, tonsillæ, & vertebræ quę in occipitio, ad interiora luxationes, crebri anhelitus, quos greci asthmata vocãt, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ, quas greci acrochordonas vocant, satyriæ, strumæ, & alia tubercula, sed præcipue antedicta.

PRimum quidem scripsit de recens natis puerulis, deinde illis qui dentes edunt: nunc vero de ijs qui mediam habent ætatem inter illos qui iam dẽtes ediderũt, & qui sunt pubertati proximi. Nam deinceps sequenti aphorismo illorum commeminit, qui quartum ordine obtinent locum. Verum tertiam ætatem quæ nunc proponitur, quæ vsque ad duodecimum & tertiumdecimum annum progreditur, capi ait passionibus quarum primas tonsillas nominat, quæ sunt locorum ad isthmum attinentium inflammationes. Hic autem per isthmum oportet intelligere partem illam quæ os & gulam interiacet, quę per metaphoram quandam ita nominatur ab ijs qui proprie dicuntur isthmi. Sunt autem angusti quidam terræ transitus inter duo maria sitæ. Hę autem tonsillæ sunt nonnunquam solius tunicę ventri ac gulæ & faucibus toti' que ori communis inflãmationes, nõ

nunquam vero & subiectorum ipsi musculorum; quando & vertebræ quæ est in occipite, fiunt ad interiora motiones, de quibus post tonsillas inquit: Et vertebræ quæ in occipitio, ad interiora luxationes. Nam à musculis inflammationem patientibus vertebra tracta, ad partem inclinat ceruicis anteriorem. Nominauit autem hanc partem Hippocrates, non anteriorem, sed interiorem; vt ad vertebram retro locatam suum sermonem referẽs. Corporis siquidem ad profunda traductio, siue ex anterioribus, siue ex posterioribus fiat partibus, per vnum verbum, scilicet intra, monstratur. Quid igitur Hippocrates in nouiter natis puerulis, neque de tonsillis, neque de vertebræ quæ est in occipitio, luxatione aliquid dixit, cum tamen & isti nihilominus cerebrum humidum, & plenum habeant superfluitatibus, adeò quòd subiectis partibus possunt demittere fluxiões? An quia hac ętate prius moriũtur quàm subiecti faucibus musculi vnà cum neruis fortem subeant inflammationem? Adde quòd hi partes habent mollissimas, atque ideo non possunt vehementius intendi, ita vt vertebra intus ad ipsas attrahatur. & quidem est asthma. (sic autem græci vocant crebrum anhelitum, qualis currentibus accidit, aut quouis alio modo ad vehemẽtem ductis motionem.) Sed in his quidẽ fit ob exercitium quod multa indiget animalis respiratione: vbi autem non adest exercitium, ob angustiam eorum quæ sunt in pulmone ventriculorum: hæc vero angustia fit repleto viscere ab ijs quæ desuper veniunt fluxionibus. hæ autem fluxiones plures quidem in recens natis puerulis fiunt. Cito autem ipsos interficiunt, quoniam & aliter male se habent. Nam ex vtero ad aerem ambientem transitus, & alimenti mutatio, & si aliqua adsit inflammatio, ab initio quidem locorum ad vmbilicum attinentium, postea vero ob dentium generationem: ex his omnibus fiunt imbecilliores, & vix ea quæ dixi, tolerant mala: nedum si ad hęc etiam fluxiones accesserint, possint sustinere, vbi ad pulmonem decubuerint. Lapis vero propria est passio puerorum qui ob edacitatem non paucos crudos humores coaceruant.

ex quibus pars crassior vnà cum vrinis ad vesicam perueniẽs fit lapidum generationis materia. Accedit altera causa, vehementia caliditatis. Aceruāt enim & senes humorem crudũ non paucum, non propter edacitatem vt pueri, sed propter potentiæ concoquẽtis imbecillitatem: non tamen calorem fortem habent qui ex materia crassa vaporem resoluens lapidem generet. Lumbrici vero atque ascarides videntur alĳs animalibus proportionaliter gigni, quę non ex seminibus, sed ex putredine habent generationem. Sola enim putredo hæc non est ad generãdum sufficiens, sed & calore plurimo indiget. Cibus autem plęrunque corrũpitur in ventre, & pręcipue in inferiore pueculis. verum caliditas in valde tenellis nõdum materiam obtinet, in adultioribus autem & materia idonea est ad animalium talium generationem, & præterea caliditas adest. Ascarides igitur sunt tenues quidam lumbrici qui in parte maxime inferiore crassi intestini gignũtur. & plurimi apparent in iumentis male cibum coquẽtibus: quorum malam coctionem fœtor indicat excrementorum. Aliud vero genus lũbricorum est rotundorum, qui in superioribus magis intestinis generãtur, adeò quòd ad ipm quando'que ventriculum ascẽdunt. Multo vero plures hi quàm ascarides gignuntur in pueris. Rarior autem est lũbrici lati generatio, qui & longissimus est, & sępe per tota extẽditur intestina. Verum de hoc nullam fecit Hippocrates mentionem, quoniam neq̃ eius erat propositum de omnibus agere passionibus quę mortalibus accidunt, sed de illis tãtum quæ singulis ætatibus accidunt. Ob hãc igitur causam ipse enumeratis iam dictis, deinceps verrucarum genus, quod gręci acrochordonas vocant, & strumas adiecit, quæ sunt vitiatæ multitudinis ad exteriora & cutem repẽtis germanæ passiones. Omne autem ipsorum genus tubercula nominat, ita deinceps scribẽs: Acrochordones, strumæ, & alia tubercula. Quædam autem ex his præcipuo vocabulo tubercula nominãtur, quędam sponte nascentes & subito factæ inflammationes, quę celerrime in altum attolluntur acumen, & celerrime etiam

ſuppurantur. & plurima eſt horum in inguinibus & aliis generatio, quoniam & in his partibus plures ſunt adenes qui apti natura ſunt ad has ſuperfluitates propte excipiendas. Horum paſſio ſtruma quoque eſt, non ex calida materia, neq; ad ſuppurationem properante, ſed pituitoſiore & frigidiore conſiſtens.

XXVII

GRandioribus autem, & iam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluuia ſanguinis.

INcipiunt quidem pueri pubeſcere poſt annum quartumdecimum. Qui autem prope ad hanc ætatem accedunt, illi eſſent qui aut duodecimũ aut tertiumdecimum aut quartumdecimum agunt annum. Neque enim eſt vnus omnium certiſſimus terminus pubertatis, propter caliditatem & frigiditatem temperaturæ. Calidi em citius, frigidi vero tardius pubeſcũt. Laborãt autem pueri hi plurimis quidem ex morbis antea dictis propter ſimilitudinem temperaturæ, & pręterea febribus diuturnioribus, quàm priores: non tamen aliquid dixit de his quæ illa ætate febribus ſuperabundant: verum ex eo quod nunc dicitur, clarum eſt quòd oſtendit ipſas acutas eſſe. Alterantur em̃ puerorum diſpoſitiones citiſſime propter corporis humiditatem, & naturalis potẽtię imbecillitatem. Sanguinis vero profluuia ex naribus fiunt in tali ætate cõſtitutis, quoniam hic humor in ea incipit ſuperabũdare, nõ quia plus de eo generetur quàm prius, ſed quia nunc minus abſumitur ex ipſo, propterea quòd & augmẽtum minus eſt hac ætate quàm priore, vt ad corporis proportionem.


XXVIII

PLurimæ autem paſſiones puerulis iudicantur, nonnullę quidem in quadraginta diebus, nonnullę in ſeptem

mensibus, nonnullę vero in annis septem, quædam vero iam ad pubem accedentibus. Quę vero permanserint, nec in pubertate finierint, puerulis, aut fœminis cum menstrua erumpunt, consenescere consueuerunt.

SI verbum, diutinę, sermoni adiectum esset, melius foret: vnde & nonnulli nomen passionis, de diutinis tantum ipsum arbitrantur intelligere. Verum contra hoc sunt sermones tales, quibus ipse vtitur in aphorismis, In acutis passionibus raro, & in principijs vti medicationibus. et, Tenues victus & in longis semper passionibus, & in acutis. Manifestum itaque ex his est quòd non in diutinis tantũ, sed etiam in acutis dicere consueuit Hippocrates nomen passionis. Videtur autẽ hoc in loco aut de diutinis passionibus intelligere, aut defectum sermonem protulisse. Nos vero ipsum supplentes, dicemus ita: Plurimę autem puerulis diutinę passiones iudicantur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nõnullę vero in septem mensibus, quędam in septem annis. Ex diebꝰ aũt quadragesimus, primus eorũ est ex quibus morbi diutini iudicantur, vltimus autem inter illos qui acutos ex intercidentibus iudicant, sicuti etiam supra notauimus. Quicunque vero hũc transcendunt numerum, secũdum septimanę rationem habent iudicium, non à septem iam diebus connumeratis, sed primum quidem mẽsibus, deinde annis. Et quidem quòd qui hoc tempus trãscendunt, ad quartumdecimum annum perueniunt, manifestum. Nam secunda septimana in hoc completur tẽpore: & aliâs in pubertate magnę fiunt corporis commutationes, in fœminis maxime propter menstruorum eruptionem. Quare si qui morbi neque hac ętate finiuntur, vsque ad longum tempus perdurare consueuerunt.

XXIX



ADolescentibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ, morbus

comitialis, & alii, sed praecipue antedicti.

CVm primas ętates ad pubertatem vsque minutissime diuiserit, nescio quomodo adolescẽtum ętatem prętermiserit, quę medium obtinet locum inter puberes & illos qui consistẽtis ætatis vigorem habent. Verum ex aliis quas tetigit, licet & de ista coniicere: quę in multis quidem communicat illis quę ex vtraque parte ipsam circunstant, sed hoc habet peculiare in maribus, sanguinis ex narib9 profusionem, de qua commeminit in illis qui sunt prope pubertatem. Nam hic casus incipit illa ætate apparere, sed maxime viget in adolescentibus, deinde subsistit in viris. Verum hanc ætatem transgressus Hippocrates, ad illam quę est adolescẽtum, peruenit: & primum sanguinis sputum scripsit, ac tabẽ, deide febres acutas, & post has morbum comitialẽ. deinde post hęc ait, Et alii morbi, sed pręcipue antedicti. recte quidem hoc adiiciẽs. Nam rem ita se habere indicat visus. At vero non sat plene de morbis acutis dixit. Neque enim dicere simpliciter oportebat acutos, qui & in pueris nihilominus fieri vidẽtur, sed ex acutis tertianas maxime, & febres ardẽtes. Hę em̃ pręcęteris febribus sunt biliosissimæ, & multis adolescentibus accidunt: quoniam & flaua bilis hac ipsa superabundat ętate, in qua morbi tales in summo vigore consistentibus accidunt. Tabem autem, & sanguinis sputum, non secundum ętatis naturam patiuntur, sed secũdum aliquid quod ei accidit magis. quare & antea dicebat quòd senes plurimũ minus ægrotant iuuenibus. vbi & nos diximus quòd ob incõtinẽtiam iuuenibus, non ob ætatis imbecillitatem, ægritudines plurimę accidunt. Secundum hoc igitur & adolescentibus profluuia sanguinis accidunt, aut quia vulnerantur, aut quia franguntur, aut saliunt, aut clamant vehementius, vel quia refrigerantur, aut humi cubant, aut replẽtur, aut propter aliquam huiuscemodi causam. Ad sputum vero sanguinis, tabes cõsequitur. Quare & propter hęc talia adolescentes ex accidenti ęgrotabũt,

Acutę febres

Tabes

hęmoptoim

NB

Eptia

non primum, neque ætatis ratiõe. Morbi autem comitia-los, quanuis malo victu vtantur, tamen ipsis non accidũt multi: vt mihi mirari subeat, quomodo & hos Hippocrates scripserit: cum in aliјs, non modo quòd abundat in pueris, dixerit, sed quòd etiam ex hac causa morbꝰ pueri-lis nominatur, & quòd ętatis mutatione sanantur. Fiunt igitur & in quibusdam adolescentibus morbi comitiales qui prius non erant, propter victus errorem, quem in ĳs quę assumuntur, admittunt, et in aliĳs quę ab ipsis agũtur operibus, & quia humi cubant, & soli se exponunt & im bribus, atque aliĳs similibus. Verum hi morbi non multi sunt. Et fiunt quidem aliĳ morbi eadem ratione. Quare melius fuerat ita scribere aphorismum: Adolescẽtibus autem & omnes aliĳ morbi quos diximus aliĳs accidere ętatibus, sed pręcipue ardores, & tertianæ febres.

Alia aph: lectio

XXX



VLtra hanc ætatem, asthma, id est creber anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenetides, ardores, diuturna profluuia, cholerae, difficultates intestinorum, leuitates intestinorum, hæmorrhoides.

Adolescenti ętas.



ADolescentum ętas quinta septimana terminatur. Iuxta hoc igitur & ipse in Prognosticis dicebat: Magis autem expectare oportet sanguinis quidem profluuium in ĳs qui nondum trigintaquinque annos attigere. Nam quę adolescentibus ętas continuatur, ad duas sequentes septimanas extenditur: in qua ętate omnia vitæ munia ęque atque illi qui in vigenti ætate consistunt, conantur peragere, non tamen eodem modo ad labores sufficiunt. Nam ex adustione, & algoribus, & humi cubatu, vigiliĳs, atque repletione, plus quàm illi offenduntur. Et quidem horum temperatura plus atrę bilis habet: atque ideo in ea multi insaniunt: veluti ex anni tẽporibus, in autumno. Sicuti enim hoc tempus frigidũ ex-

Virit ętas

stens, ruffam excipit bilem tempore ęstiuo exassatam: sic declinantium ętas iuuenilem, quę maxime ęstati similatur, subsequitur. Et mirandum est cur in ea non scripserit melancholiam. Ego tamen in quibusdam exemplaribus hanc quoque scriptam inueni, siue aliquis sit ausus apponere id quod defecerat, tanquam ab Hippocrate prętermissum, siue ab aliȷ̃s qui exemplarium errori fidem adhibuerunt. Moriuntur autem & ex tabe hac ętate: & ex iuuenibus quicũque ex sanguinis sputo in tabem incidũt, ex ea moriuntur. Non tamen hac ętate multi sanguinem spuunt, quoniam neque in talibus sanguinis est multitudo. Asthmasiati, crebris anhelitibus, & pulmonis inflammationibus, ac laterum doloribus magis capiuntur quã iuuenes, vt qui & victu simili, & laboribus etiam vtũtur: sed multo imbecillius quàm illi corpus habent. Et omnino eos quos prætermisit in ætatibus vigore consistentiũ morbos nominare, eos nunc omnes enumerat. Nam & phrenetides, & ardores, & cholerę, & difficultates intestinorum nihilominus iuuenibus quàm declinantibus accidunt, occasionem sui ortus ex flaua bile capientes. Diuturniora autem in declinãtibus vẽtris profluuia cõtingũt, propter alimenti distributiõis defectum. Nam omnium ferè ętatum, ea quę iam declinat, paucis indiget ad corporis resumptionem: siquidem & id quod ex ipsis resoluitur, paucissimum est. Neque enim corp9 similiter calidũ sicuti prius: neque amplius in augmentum quicquam absumitur: sed neque virtute contentiua satis imbecilli, sicuti in senib9, plus aliquid ex corpore defluit. Quia igitur ventris profluuia, vel coctione, vel alimenti distributione frustratis accidunt, fiunt autem & propter bilis acritudinem abradentis intestinum, hęc autem omnia in declinantibus fiunt: non sine ratione in eis alui profluuia diutina sunt. Febres quidem lethargicæ fiunt ex humore pituitoso in cerebro aceruato. Prioribus autem ętatibus humor hic deficit magis quàm superabundet. In senili autẽ ętate plurimus quidem est, verum propter ætatis frigiditatem febres non accendit. In ȷ̃s autem qui ab ætatis vigore de-

Lyenteria clinant: & hic humor superabundat, & nondum corpus frigidum est. Leuitates vero intestinorum ostensæ sunt hę quidem à frigida fieri pituita, hæ vero à sola intemperatura quæ vim alui contentiuam reddit imbecillem. Quæ autem ab vlcerosa fiunt dispositione, hæ omnes in declinantibus superabundant. Sanguinis vero per ora venarū, (quod græci hæmorrhoidas vocāt) profluuium, vere huius ætatis est passio, sicuti sunt atræ biles. Fit enim ex atra bile, quādo ad venas quæ in sede sunt, repente decumbit. A me quidē omnium enumeratarum passionum causa fuit explicata: scientia autem cum horum probatione illis adueniet qui legerint demonstrationes quas super his in nostris scripsimus tractationibus: quę quot sint, ac quales, & quam doceant contemplationem, legenti librū de ordine nostrarū cōmētationum, licebit discere. Ex his enī ꝑmotus, quo modo earū singulę sint ꝑlegēdę, cognoscet.

Hemorrois

NB

XXXI

Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, vrinæ stillicidia, vrinæ difficultates, articulorum dolores, renum passiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ; alui, oculorum & narium humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graues.

Senes à senioribus nonnulli Hippocratis sectatores distinguūt: nomen seniorum vltimę ętati tribuentes, & hoc perpetuum esse existimantes: senes aūt in priori ętate statuētes, quę media est inter iuuenes ac seniores. Sed nūc manifeste monstrauit se senes eos qui extremā agūt ętatem, nominare: quare ad ipsos sermonē terminauit, vt qui iam omnes ætates ꝑcurrisset. Hi vero sæpissime à destillationibus quę sunt cū tusse, capiuntur: quoniam partes ad caput attinētes, in ipsis facillime refrigerantur, & quia multę in ipsis fiunt pituitosę superfluitates, cum iam satis frigidam cerebri habeant tempera-

Quid Hyppo: int senes vocat

Destillos cū tussi

Differentia inter Senes et Seniores

turam. Aſthmata vero, hoc eſt crebri anhelitus, ex ijs deſtillationibus ortum habent: cum alioqui & ipſa ſpirandi inſtrumenta non raro habeant propriũ ſui algoris principium, quando & in ipſis multæ ac craſſæ ſuperfluitates generantur, & pręterea virium imbecillitate pręſente renes ſępius obſtruũtur: & lapides generant̃, quando tenax vel craſſa ſuperfluitas ibi firmata, in ſimilem callo ſubſtãtiam tranſierit. Articulorũ autem dolores fiunt fluentibus aliquando ad hæc loca ſupfluitatibus, aliquãdo vero propter inſtrumẽtorum quę natura ad eorum motionem fabricauit, frigiditatẽ. Vertigines autem ipſis accidunt propter ſpiritum vaporoſum, qui in partibus cerebri inordinato cietur motu. Sæpi9 vero & in ventriculo vitioſis ſuperfluitatib9 aceruatis, ad cerebrũ fertur exhalatio vaporoſa. De apoplexia autẽ quid oportet dicere? Nullus enim morbus adeo eſt ſenili ætati familiaris, quoniam in ea cerebrum pituitoſis repletur ſuperfluitatibus. Si quod vero vlcus aduenerit ſenibus, difficulter ſanatur ꝓpter defectũ ſanguinis: & frequenter ſe ſcalpunt, quod prurigines appellant: quoniam illæ quæ pruritum operantur ſuperfluitates, difficilem habent per cutem euacuationem. Rationabile ſiquidem exiſtit, & cutẽ in ipſis ex frigiditate denſari, & ſuperfluitates plures ſimul ac craſſiores exiſtere. Plureſque ipſorum (neq; enim omnes) continuo vigilãt: quod eis accidit quia ſenectus plena curarum eſt, & præterea corpus habet exſiccatum. vnde & tunc magis vigilare contingit, quando integra ſanitate fruuntur. Dictum autem à nobis eſt & in commentarijs de temperaturis, ipſas quidem corporis partes in ſenectute fieri ſicciores, ſed multitudinem ſuperfluitatum pituitoſarum aceruari: ob quam cauſam à multis putatur ſenect9 frigida & humida. In quo autẽ tempore hæ plures aggregantur, fiunt ſenes magis ſomnolenti. In quo vero bene excernuntur, peruigilant. Contingit autem & pauciores ſuperfluitates generari & citius excerni magis eo tempore quo ſaluberiter degunt: vnde & maxime propria paſſio ſenilis ętatis videtur eſſe vigilia. Humiditates autẽ in ipſis & ocu-


lorum & narium, liquet fieri, propter cerebri superfluitates: quibus eis ad aluum defluentibus, & ipsa sæpius humectatur. Hebetes autem visus, & graues auditus, propter potentiæ sensibilis accidunt imbecillitatem: glaucedines vero propter immodicam instrumentorum siccitatem, & quia speciem habent suffusionis.

GALENI IN Hippocratis Aphorismos Liber quartus, interprete Nicolao Leoniceno.

I



TERO gerentes sunt medicādę, si materia turget, quarto mēse, & vsque ad septimū: sed hæ minus. Iuniora autem & seniora vereri oportet.



D vteros, fœtuum connexus eādem habent proportionem, quam fructus ad plantas. Hi siquidem in prima generatione debilioribus capulis continentur, & ideo facile decidunt quando vehementior ventus ipsos concusserit: posthac aucti, difficilem habēt à plantis dissolutionē: sicuti rursus cum perfecti sunt, sponte sua sine vi extrinseca decidunt. Eodem modo & conceptus, in primo quidē tempore seminis iniectionis, si aliquando saltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, siue quouis alio modo vel secundum animam vel secundum corpus moueri vehementius, facillime dirumpuntur. Sic quando & iam perfecti sunt. Tempore vero intermedio firmiorem habent coalitum: quare mulier vtero gerēs potest fortio-

res motꝰ sustinere sine fœtus offensiõe. Quæ omnia Hippocrates noscens, recte inquit: Vtero gerentes sunt medicandę, si materia turget, quarto mẽse, vsque ad septimũ. quod est in medio tempore fœtationis, cum fœtus vtero firmiter alligatur. Non tamen omnes quæ hoc tempore indigent purgatione, permittit purgari: sed si materia turget, inquit, hoc est cogat accelerare. Tractum enim vocabulũ est ab animalibus ad coitum concitatis. Nã cũ superabundantes humores mouentur, & per totum corpus deferuntur, nondum in aliqua parte firmati: tunc ad eos expellendos natura incitatur, & aliquo indiget manũ porrigente, & hunc humorũ motum ad aluum deducente. Eos vero qui aliqua in parte sunt firmati humores, non oportet mouere. Sic igitur & illud dictum est: Quicũque inflammationes in morborum principio medicamento conantur soluere: nihil de eo auferunt quod intentum est atque inflammatum. Neque enim passio, vt quæ cruda sit, cedit: quæ vero sana sunt, & morbo resistunt, simul eliquant. Quòd autem Hippocrates verbo medicari, pro purgare medicamento, consueuerit vti, omnes confitentur quicũque vel paruã habẽt de eius dictione notitiam. Nam vt quispiã alia omittat ipsius volumina, & de solis scriptis aphorismis meminerit: nihil aliud per vocẽ medicari, in eis posse significari, paulopost fiet manifestum.

II


N medicationibus talia educere e corpore, qualia & sponte prodeuntia, vtile: quæ vero contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

SPonte euacuari ẽ corpore dicimus quæcunque sine aliqua medicatione excernũtur, nõnunquã ea quę nostrũ regit corpꝰ potẽtia ipsum expurgante, nõnũquã ex irritamẽto aliquo, aut quia à vasis nõ contineantur. Cum itaque natura superfluum euacuat, iuuatur animal. cum vero alioqui excernitur, casus ratione: neque inde vtilitas vlla prouenit, & talis euacuatio


prauę dispositionis est signum. Recte igitur Hippocrates cōsulit imitari naturam. Est autē imitatio, in vnoquoque morbo tales humores euacuarē tentando, quales nouim9 in spontinis prodesse euacuationibus. Prius itaque dictū est ab ipso de omni euacuatione generalius, hoc modo: Et vasorum inanitio, si quidē talis fiat qualem fieri oportet: confert, & leuiter ferunt. Nunc vero de sola purgatione eundem fecit sermonem, quoniam de hac docere proposuerat in pręsentis libri loco. Melius igitur fortasse fuerit de omnibus euacuationibus quas medici moliuntur circa ęgrotantium corpora, sermonem repetere. Fiunt igitur hæ aliquando per medicamenta totum corpus expurgantia, & per vomitus & deiectiones. Nonnūquam vero medicina partis alicuius est euacuatiua, veluti quæcūque per palatū & nares à capite abducunt superfluitates E genere autem superfluitates expurgātium sunt & quæ per tussim expurgant quæcunque in pectore sunt atque pulmone, & quæ per vrinas abducunt totius sanguinis serosam superfluitatem. Clysterem quoque ex hoc genere feceris, & quodcunque aliud totum corpus æqualiter euacuans, quemadmodum & venę sectio creditur euacuare, & omnino sanguinis missio quæcunque, & quouis modo facta. Ex talibus autem est euacuationibus & quę per vterum fit, & per ora venarum sedis, siue per exercitia, & frictiones, & omnem motum, atque calorem, & balneas calidas, pręsertim nitrosas, sulfureas, & bituminosas, & ex accidenti inedia. Hęc siquidem omnia videntur totum æqualiter corpus euacuare. Si quis tamen exactius perquirat, non æqualiter inuenietur euacuari: verum in his cum sit paruus excessus alterius ad alterum secundum eorum quæ euacuantur qualitatem & quantitatem, ideo æqualis euacuatio videtur. Attamen quæ pharmaca purgatoria nominantur, speciem faciunt euacuationis manifeste differentem: de quibus, vt dixi, nunc ipsi docere propositum: non tamen quicquam plus docet, quàm quod de omnibus euacuationibus ipse iam dixit. Vna etenim est omnium intentio, humor superabun-

dans:cuius notitia est perquirenda ex eo qui in toto corpore præter naturam color repręsentatur, & præterea ex casibus, & morbis, & tempore, & regione, & ætate & cõstitutione & natura ægrotantis, & industria, & victus veluti(si ita contigerit)colore ruffo in toto corpore apparente, quemadmodum in illis qui regio morbo laborant, non euacuata per sedem bile, aut pustulis aliquibus biliosis per totum corpus dispersis: particulatim autem, si morsus in ventriculo aliquis, atque fastidium sentiatur, et adsit cibi appetẽtię defectus, ac sitis, ore ventriculi ad amaritudinem alterato, aut quia in aliqua parte corporis sit erysipelas, aut quia tertiana febris hominem habeat, aut ex ardentibus illa quæ ex amara fit bile. Nã in his omnibus flaua bilis abundat, atque idcirco conabimur ipsa educere illis medicamentis quæ cholagoga, id est bilis eductiua ab effectu nominantur. Et hoc est quod ab Hippocrate dicitur: Si qualia oportet purgari, purgẽtur: confert, & leuiter ferũt. Quod enim dicitur, qualia oportet, superabundantiam significat superfluitatum sua qualitate infestantium ægrotãtem. Ob hanc igitur causam ait tales conferre euacuationes. Sed quoniam omnes artificiosę in actionibus coniecturæ aliquando aberrant:(similitudines etenim, vt ipse inquit, non solum vulgares, sed etiam medicos eruditos aliquãdo decipiunt) alterum nobis dedit indicium bonarum euacuationum, tolerantię facilitatem: vt & in hoc fiduciam habeamus, cum recte fecerimus euacuationem. Quod igitur in flaua bile dixi, veluti in exemplo, hoc idem mihi & in atra intellige. Nam & in hac color totius corporis ad nigritiem tendit, & pustulę nigræ fiunt ex atræ bilis colore: & quicunque morbi ex eius fiunt exuperantia, multitudinem humoris indicant manifeste: quemadmodum elephas, cancer, & quartanus circuitus ex melancholico humore generantur: & lien magnus, & varices denigratę, sunt eiusdem humoris aliũę passiones, quemadmodum & quæ melancholia nominatur, & omne mentis delyrium, cui ira, temeritas, atque immanitas iungitur. Hippocrates vero etiam

ex menstruis,superabundātem in fœminis humorem coniecturabatur: & scripta sunt ab eo indicia, in primo libro de mulieribus. Ex his igitur, quòd atra bilis abundet, dignoscere oportet: & has habētem intentiones, ad eius accedere euacuationem. Secunda autem in ipsa euacuatione intentio habenda, est tolerantię facilitas. Quęcunque vero in atra bile & flaua sunt dicta, hæc mihi & in pituita intellige, tumores veluti inflatos, pustulas, & totius corporis colorem secundum humoris speciem, & febres cotidianas, & mētis pigritiem atque torporem, & somnos profundos, & capitis grauitates, & quosdam acidos ructus, quādo in ventre supfluitas aderit. Hæc enim omnia suadent medicamentum dare pituitam purgans. Facta vero iam purgatione, tolerantiæ facilitas attestabitur & dignotioni, & ei quā ausus es facere propter ipsam, euacuationi. Ad dignotionem vero, & spem euacuationis, habes etiam conferentem aliquid non solum ætatem vel naturam ægrotantis, sed etiam anni tempus, & præsentem constitutionem, præterea & regionem, & victum antecedentem, vnà cum alijs vitæ institutis. Etenim didicisti quòd hęc omnia, nonnulla pituitam, nōnulla flauam bilem, nonnulla atram exaugent. Hæc quidem omnia, vt dictum est, sunt intentiones exhibendi medicamentum vim habens humorē infestātem expurgandi. In ipsa vero euacuatione altera erit intentio, vel nobis ferens recti iudicij testimoniū, vel erroris. Recti quidem iudicij, tolerātiæ facilitas: erroris autē, difficultas. Nam infestantibus supfluitatibus euacuatis, facile tolerabūt ęgrotantes. Si quid vero aliud, & non quod infestat, euacuatur: necessarium omnino male tolerare. Quod igitur dixi, in prīcipio libri per vnum ostendit aphorismū, ita scribēs: Sic & vasorum exinanitio, si quidē talis fiat qualem fieri oportet, confert, & leuiter ferunt. Hunc in hoc loco nunc in duas secans partes in medicationibus, per priorem quidē sermonem quæ sint conferentes purgationes, per alterum autem qui sequitur, quòd tales euacuationes firmū indicium subsequitur facilitas tolerantię, docet. Exemplum vero ipse ap

posuit earum quæ sponte fiũt euacuationum ad bonum, multa quidem in libris Epidemiarum, pauca vero in hoc ipso libro Aphorismorum, qualia huiuscemodi sunt: Quē aqua intercutem habet: per venas in ventrem aqua fluente, solutio. Si lippitudo adsit: ab alui profluuio capi, bonũ. Quibus biliosæ deiectiones, surditate superueniente cessant: & quibus surditas, biliosis factis cessat.

III




SI qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt: contraria vero, grauiter.




PRius hic aphorismus à nobis exposit9 est in precedentis aphorismi expositione: scriptus etiam in superiori libri parte, hisdem verbis: quare & nonnulli eum de hoc loco sustulerunt.

IIII



MEdicari æstate superiores magis, hyeme vero inferiores.



SVbaudire oportet, videlicet ventres. Recte autem ęstate quidem purgat superius, quoniam & qui tunc humor superabũdat, flaua bilis est, & omnino tota natura animalis propter ambientem calliditatem magis ad superiora mouetur. Qualibet autem superfluitas, eo quo vergit, ducenda per loca conueniẽtia: quemadmodum ipse in libro de humoribus scripsit. Addidit huic aphorismi sermoni verbum, magis, neque simpliciter dixit: Medicari æstate superiora, hyeme vero inferiora. Nam etsi non sępius, raro tamẽ tempore æstatis humor melancholicus visus est superabũdare, sicuti hyeme aliquando flaua bilis.

V



SVb Cane, & ante Canẽ difficiles sunt medicationes.

EXusta eñ tũc natura eam quę à medicamentis purgãtibus, non fert acritudinem. Quare & plures purgati hoc tẽpore incidũt in febres: & natura ex æstu imbecillis, magis ex purgatione dissoluitur. Et quidem purgatio hæc praua fiet, cum calor aeris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei ad quam medicina ducit humores. Sicuti enim balneę calidę natura aptæ sunt obsistere purgationibus, sic & calor æstatis, & tunc præcipue, cum seipso vehementior extiterit.

VI

GRaciles, & facile vomentes, purgare superius, cauentes hyemem.

HIc addere oportet quod paulo antea dictum est verbum, magis. Magna enim ex parte graciles sunt biliosi. Si igitur hoc accesserit, vt sint ad vomẽdum faciles: sunt per superiora purgandi, nisi obsistat hyems. Nam supra dictũ est, Aestate magis superiores, hyeme autem inferiores purgare oportet.

VII

VOmentes vero difficulter, & mediocriter bene carnosos, per inferiora, cauentes æstatem.

SI quidẽ facilis ad vomẽdum, & gracilis sit, per superiora purgãdꝰ est, nisi sit hyẽs, hoc est ęstate, autumno, & vere. Si vero difficulter vomat, & mediocriter bene carnosus sit: ꝑ inferiora, si res vrgeat, solũ cauẽdo ęstatẽ, aliud aũt anni tp̃s non oportet cauere.


VIII

TAbidos vero cauentes ad superiores purgationes.

NVnquã tabidos duxeris, veritus scilicet instrumẽtorum quę respirationi obseruiunt, imbecillitatem. Per tabidos aũt intelligere oportet eos

qui morbum à grecis phthisin nominatum patiuntur, vel qui ad eū sunt natura proni: de quib⁹ ipse i primo lib. Epidemiarum scribit: Et maxime moriebantur quibus natura ad tabem prona erat. Est autem his pectus angustum, & qui in eo continetur pulmo.

IX




Elancholicos plenius inferiores, eadem ratione contraria apponentes.




Entres autem videlicet inferiores melancholicorum oportet ratiocinari debere plenius medicari. Plenius autem dixit pro fortius. Quia autem ad inferiora declinat hic humor propter grauitatem, non sine ratione ipsum iubet per ventrem inferiorem euacuari, sicuti flauam bilem per superiorem, quum sit leuis humor, & sponte continuo fluitet. Cōmune quidem in ambobus, vt ducantur quo vergunt, per loca conuenientia: proprium vero alteri⁹ humorum, per superiora loca euacuari, quoniam ad hęc vergit: alterius vero per inferiora, quoniam & ad ista declinat. Cōtraria itaque est per superiora euacuatio illi quę fit per inferiora: quorum vtrūque fit secūdum vnam cōmunem rationem. Quare & recte dixit Hippocrates: Eadem ratione contraria apponentes.

X



Edicari in valde acutis, si materia turget, eadem die: tardare enim in talibus malum est.



Ictum est & à me prius quòd verbū turget, Hippocrates transtulit ab animalib⁹ quę ad coitum properant, cum naturali concupiscentia moueantur ad seminis excretionem. Ostensum est enī in libris de semine, quòd fœmina etiā in coitu semen excernit. Quādo igitur in toto corpore similis huic fuerit naturæ impetus ad excretionē superfluitatū, vel si non in toto corpore, saltem in partib⁹ principaliorib⁹: tale quid consueuit Hip

pocrates per verbū, turgere, significare: & statim per medicamentum euacuationem faciendam iudicat, prius videlicet quàm robur corporis dissoluatur, vel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale decũbant ĳ qui per corpus vagantur humores. Quòd autem valde acutos morbos nominauerit, quos prius peracutos dixit, vnicuique liquet. Et quidem quòd horum termin9 est prima septimana, dictum & à me prius hoc est.

XI

QVibus tormina, & circa vmbilicum labores, & lumborum dolor, qui neq; a medicamēto, neq; aliter soluitur: in aquam intercutem siccam firmatur.

TOrmina fiunt & propter morsum vehemētem, & spiritum flatuosum, qui non habet exitum, sed in intestinorum inuolucris est interceptus. Quòd vero dolores ad tales dispositiones consequantur, nemini dubium. At cum circa vmbilicum ac lūbos se firmauerint, neque a medicamētis, neque alĳs soluuntur auxilĳs: quędam est earum partium habitualis intemperatura: quę magna ex parte perseuerans, eam aquam intercutem efficit, quę ab Hippocrate sicca nominatur. Vocatur autem hic morbus à posterioribus medicis tympanias, quoniam summus venter percussus talem sonū edit qualem tympana. Nam & in illis per cutem extētam aer percutitur, quēadmodum & ille qui in profundo locatur in tali morbi genere. Quòd verò & hoc morbi genus hydropem, id est aquā intercutem Hippocrates nominet, est manifestum. Non tamen humidum est, sicuti qui ascites ab vtris similitudine dicitur: in quo materia collecta non est flatuosus aer, sed humor aquosus. Videtur autem à maiori frigiditate generari aquosus hydrops, quem asciten vocant: quoniam veluti in vtre quodam, in mēbrana abdominis interiore humor continetur: à minore autem tympanias. Neque enim humida substantia in flatuosum aerem sine calore aliquo potest transmutari.

XII

QVorum alui, inteſtinorũ leuitate laborant: hyberno tempore ſupra purgari, malum.

QVando celeriter ea quæ comedũtur, deijciũtur: hanc paſſionem, leuitatem inteſtinorum nominãt. Fit igitur ex potentię contentiuę debilitate: conſequitur aũt ad oĩm quę ad aluum pertinẽt inſtrumẽtorum intemperaturas, hoc eſt ipſius ventriculi, in quem cibos deuoramus, & eorum quę ex hoc ſuſcipiunt atque tranſmittunt inteſtinorum. Fit autem quãdoque & leuitas inteſtinorum ex aliqua ſummas partes occupante exulceratione, ſimili illis quæ in ore fiũt, quas gręci aphthas nominãt. Intẽperaturæ igitur nõnunquam fiũt habituales (ſic vero nominant illas quæ ipſo corporum habitu læſo fiũt) & quãdoque propter frigidam pituitam, qualis eſt acida maxime. Earum autem quę in ſumma parte hęrẽt exulcerationum, cauſa eſt humor acris & tenuis. Hic igitur etſi per ſuperiora purgari debet, quoniam huiuſcemodi humores magis fluitare ſoleant, quàm ad inferiora ſecedere: non tamen hoc hyeme faciendum eſt: ſicuti etiam ſuperius eſt dictum. Alter vero pituitoſus, quando adhęſerit inteſtinis, nunquam eſt per ſuperiora purgãdus, hoc eſt per vomitoriam medicinam. Sola eñ euomi natura apta ſunt, quę in vẽtriculo continẽtur: eorum vero quę cotinẽtur in inteſtinis, nihil poteſt per vomitus euacuari.

XIII

AD elleboros qui non facile ſupra purgãtur, eorũ corpora ante potionẽ pluri cibo, atque quiete humectãda ſunt.

PRius oportet tentare eum qui helleborum ſumpturus ſit, quomodo ſe habeat ad ſuperiores purgationes, hoc eſt ad eas quę fiunt per vomitiones. Fiat autem periculum per medicamenta vomitoria, quęcunque ſunt mediocria. Si igitur de facili non purgari

videatur, non oportet huiuſcemodi hominem ad ellebo-rum ducere antequam præparetur. Hoc autem fiet ſi per continuos vomitus adſueſcat is qui eſt ſumpturus ellebo-rum, ad prōpte vomendum. Verum hoc, vt paruum aliquod, atque omnibus notum, Hippocrates prætermiſit. Melius autem fieret prius humectando corpora. Præhumectantur autem plurimo alimento, atque quiete. Et de quiete quidem clarum eſt. Sicuti enim exercitia ſunt apta natura exſiccare: ſic & quies (quod ocium eſt, & ab exercitatione vacatio) ſeruat humiditatem. Cibus vero non ſimpliciter plenior eſt aptus natura humectare, ſed quicū que nullam habet fortem qualitatem, hoc eſt neque acerbam, neque acrem, neque ſalſam, neque amaram. Forte autem neque ſimpliciter cibus, hic qui talis eſt appellandus, ſed hoc totum, cibus medicinalis: ſicuti illi qui eſt cibus ſimpliciter, ſoli hoc ineſt ex omnibus, vt ex ſua natura, non autem ex accidenti ſolidas partes animalis humectet, hoc ipſum nōn per ſe, ſed ex accidenti faciente quiete. Quia enim eam quę prouenit ex cibo humiditatem nō exſiccat, idcirco dicitur humectare. Aqua vero neque epota, neque extrinſecꝰ occurſans, natura apta eſt ſolidas animalis partes humectare. De talibus autem perfectiorē poſſit quiſpiam habere doctrinam legēdo librum noſtrū de potentijs naturalibus, & librum de tabe.

XIIII

CVm biberit quis elleborū, ad motiones quidem corporum ducere magis: ad ſomnos vero atque quietem, minꝰ. Indicat autē nauigatio turbari motione corpus.


IPſe attulit cauſam ob quam eorum corpora moueri pręcipiat, qui aſſumpſerunt elleborū. Quies ſiquidem in eodem ſtatu conſeruat, motꝰ vero transmutat atque alterat corpus: vt indicat nauigatio, quę motus quidem eſt, turbat autem corpora adeò vt excitet vomitum. Cum igitur talis motus fuerit ſufficiens & ſolus ad vomitum corpus pręparare, fit ſanè ra-

ctionabile,vt si vomitorio medicamento coniungatur,longe maiorem habeat efficaciam. Quidam pro nauigatiōe nauseā scribunt,vt sit sermo talis: Ostendit autem & nausea que vehementioribus corporis aduenit motionibus, ex motione corpus perturbari. Liquet autem quòd & hic sermo eandem vim habet cum priore.

XV



Cum volueris magis ducere elleborū, moue corpus : cum vero sistere, somnum facito,& non moueto.



Prior quidem aphorismus, quomodo oporteat hominem qui elleborum sumpsit, ad purgationem præparare, nos docuit: præsens vero quomodo sistere purgationem. Non est autem absque ratione,quòd ea quæ sistunt purgationē,sint contraria ijs quæ vomitum cient. Si igitur motiones ciebant, sistent quietes:& multo magis somnus,in quo motus animales ociātur,qui & per sensum fiunt,& præterea per mulsculos,in motibus qui fiunt ex appetitu.


XVI



Carnes sanas habētibus elleborus periculosus. facit enim conuulsionem.

Qvod in prçcedentibus dixerat in omnibus purgationibus,hoc nunc in ea sola dicit quç fit per elleborū : ita quòd duo aphorismi possunt inuicem iungi,tali modo: Qui corpore bene se habēt,difficile est medicari. Sic ergo & elleborus carnes sanas habētibus periculosus.cōuulsiōes eñ facit. Habet nāq; elleborus istud præcipuum,facere cōuulsionem,propter operationis vehementiam.

XVII



Si quis febrem non habens, abstineat a cibo,& cordis morsum,seu vertiginem patitur,& oris amaritudinē sentit: purgatione indigere per superiora,significat.

ABstinentia à cibo idem significat, quod inappetentia. Cordis autem morsus, est cordis, hoc est oris ventriculi, passio. Prisci siquidem & hoc cor nominabant. Vertigo autem est quando simul videntur circunuolui, hoc est circunstantia moueri, quęcunque conspicimus, & sensus visus repente destruitur, cum videantur tenebrę circunfusę. Fit autem hoc ore ventriculi à malis humorib9 morso. Nam propter neruorū magnitudinem, qui ad ipsum à cerebro veniunt, hac parte patiente, animę opera detrimentum patiuntur. Hi itaque casus sunt communes humorum omnium mordacem habentium naturam. Os autem sentire amaritudinem, soli9 bilis quæ russa & flaua nominatur, est opus: quare recte in huiuscemodi īquit Hippocrates significari quòd oporteat purgari per superiora. quod explanatum talem habebit interpretationem: Huiusmodi autem casus significant medico, indigere hominem purgatione per superiora, hoc est per vomitiones.

Vertigo.

Cā

XVIII

SVpra præcordia dolores, purgatione indigere per superiora significant: quicunque vero inferiora molestāt, per inferiora.


HIc aphorismus quod antea in vno dolore docuit oris ventriculi, hoc ad omnes extendit dolores quicunque supra pręcordia consistunt, purgatione videlicet indigentes consulens per superiora purgari. Quicunque vero infra pręcordia, clarum est quòd hi per inferiora purgationem requirunt. Addidi autem sermoni, purgatione indigētes, ne quis forte arbitretur curare Hippocratem oēs dolores simpliciter ꝑ euacuationem. Neque enim nūc dicit hoc, sed quòd secundū humorū infestantium motiones, oportet etiā facere euacuationes: & neq; supra pręcordia dolores per subducētia medicamēta euacuare, neque infra consistentes per vomitiones.


XIX


Vi in medicamentis purgati non sitiũt: non quiescunt priusquam sitiant.

Qvi purgãtur: nõnulli statim sitiũt, nõnulli postea. Et fit hoc propter ipsius ventriculi dispositionem, & propter datum medicamẽtum, & propter humoris euacuati naturam. Ventriculi quidẽ ratione, qui ex caliditate, vel siccitate, vel ambabus qualitatibus prompte ad sitiendum perducatur, siue hoc natura insit ei qui biberit medicamentum, siue illo solum tempore. Ratione autem medicamẽti, cum acutum fuerit, & calidum, ac mordax. Propter humorẽ vero euacuatũ, quãdo bilis amara fuerit. Hisce quidem de causis fiunt sitibũdi: ex contrariis vero longo tempore sine siti perseuerant, quando videlicet vel frigidiorem, vel humidiorem ventriculũ habuerit homo qui purgatur, vel ab initio, vel in tẽpore purgationis, vel quando medicamẽtum omni vacat mordacitate, & tertio quando humor pituitosus aut aquosus extiterit. Verum & in his, quando abũde fuerint euacuati, consequitur sitis. Sufficiens etenim est ea quæ ex euacuatione prouenit siccitas, hanc efficere, ac præterea ea quæ est medicamenti purgantis vis, habentis aliquam etsi neque manifestam neque sensibilem, attamen latentem acritudinem ac caliditatem.

XX


On febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborũ dolor: purgari inferius oportere significatur.


Icuti paulo antea docuit signa eorũ quos oporteat purgare superius, ita nunc docet ea per quæ cognosceret aliquis quãdo oporteat inferi⁹ purgare. Est autem communis vtrisque ratio in differentibus casibus. Nam pro motione noxiorum humorum facere oportet euacuationes.

XXI


Eiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte veniētes, siue cum febre, siue sine febre, pessimę: & quanto colores magis praui fuerint plures, peius: cum medicamento vero melius, & quanto colores plures non praui.

DE deiectionibus nunc ipsi est sermo, quæ à priscis quidem nigræ vocantur, bilis vero nigræ exquisite non sunt. Nam acre, & corrodens, & acidum non habent: multo vero magis neque in terram effusa bulliunt: verum est sicuti quis eius describens imaginē, diceret manifeste: Veluti sanguinis limus, qualis vinis crassioribus iam consistentibus solet subsidere quem fęcem nominãt. Quæ si diutiꝰ moretur in corpore, & neque per aliquem sensibilem effluxum, neque occultū excernatur, verum transmutetur, atque putrescat, fit bilis nigra exquisite. Antequam vero hæc generetur, splen trahit eam quæ est veluti sanguinis fęx, hepar expurgans: quēadmodum in commentarijs de potentijs naturalibus est demonstratum. Et quidem vtitur hoc melancholico humore ad sui nutritionem splen: & quantam ipse fecerit superfluitatem, hanc rursus totam expellit ad ventrem vnà cum alijs superfluitatibus excernendam. Siquando igitur neq; splen bene expurgauerit: & ille qui in hepate cōtinetur sanguis, multum huius limosę superfluitatis habuerit, accrescet debilitas visceri, ita quòd non cōtinebit in se ipso superfluitates: & tunc illæ quæ nigræ vocantur, fient deiectiones, de quibus nunc sermo habetur ab ipso. Adiecit autem suo sermoni, Veluti sanguis: tale quiddam ostēdens, Qualis fit sanguis denigratꝰ dum per intestina defertur, tales sunt nigræ deiectiones. Nam extremæ demētię fuerit existimare, sanguini secundum naturam se habēti, tales deiectiones assimilari. Fiēt etenim hæ & rubræ, & nigre. Atqui impossibile est sanguinem eūdem, & rubrū,

Dtina im? m: nigrū 7 bilē nigram.

& nigrum esse. Plurimas vero huiuscemodi deiectiones in pestilenti hoc morbo longo conspeximus: quæ nō magis in ijs qui exitio proximi erant, quàm in alijs saluādis apparebant: non tamen vel in principio, vel in cremento morborum conspiciebantur. Tunc enim quę euacuabantur, erant & flaua & ruffa colore colliquamenta. quæ vero mox apparebant, nigra erant, veluti sanguinis fęx, siue ipso superassato habuissent generationem, siue cum aliquam extraneam putredinem assumpsissent, illis quæ in ventriculo fiunt cruditatibus proportionaliter, quando ad vitiosos humores corruptio terminauerit. Quare ab initio quidem nunquā ad bonum fiunt huiuscemodi deiectiones, magnam visceris læsionem ostendentes: ad morbos vero consistentes sequūtur sępius, natura superfluitates expurgāte. Non tamen hoc in aphorismo adiecit Hippocrates, quāuis alibi dixerit in vniuersum, Signa iudicatoria nō statim appareant. In sequenti autem aphorismo particulatim, dum inquit: Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel supra vel infra exierit, lethale est. Nunquid igitur satis visus est sui animi manifestare sententiā, vtens hoc verbo, venientes, quod temporis spatium ostendit, tanquā videlicet per morbum totum, vel per longum ipsius tempus tales veniant deiectiones? Si enim aliquod vnum tempus ostendere voluisset: omnino vel quæ post apparuissent, vel quę venissent, protulisset, non sponte venientes. Hoc enim verbum venientes, non aduenisse, sed aduenire significat. Assumpto tamen medicamēto quod vim habet purgādi nigra, talia deijci nihil mirū. Sic quidem multi deiectionū colores pręter naturam, spōte quidem euacuati, multarum, atq; malarum in corpore dispositionum sunt signa. A medicamēto autem ducti vim habente plures humorum species euacuare, nihil absurdum significant.

XXII


Orbis quibuslibet incipiētib9, si atra bilis vł supra vel infra exierit, lethale.

HActa est à nobis & in antecedente aphorismo distinctio inter humorem melācholicum, & nigrā bilem, de qua nūc sermo habetur ab ipso. Et causam ob quā ab initio lethales sint huiuscemodi humores, postea vero iudicatorij appareant, in illo aphorismo sufficienter percurrimus: sed & nunc repetemus, quoniā ea quæ sunt ad artem maxime necessaria, sępe tractare sit melius. Quando aliquis incipit morbus: si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia hæc casus pręter naturam earū quæ sunt in corpore dispositionum. Quo enim in tēpore à causis quidem morbum facientibus natura grauatur, adest autem cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari est impossibile: siquidem oportet coctionem pręire, subsequi vero discretionem, & postea euacuationem, vt bona sit crisis, siue iudiciū. Hæc autem nos ipse docuit in primo libro Epidemiarum, ita inquiens: Coctiones, iudicij securitatem salubrem significant: cruda autem & incocta ad malos abscessus conuersa, iudicationis carentiam, vel labores, vel tēpora, vel mortes, vel eorūdem malorum reditus. Quando igitur post morbi coctionem aliquis humorum vitiosus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur. Et propter hoc atra bilis, & aliꝰ omnis huiuscemodi humor, vbi signa coctiōis in morbi processu apparuerint, bonam significat euacuationem. Si vero aliter excernātur sine signis coctionis, exitialis est casus. Quare cū in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala erit humorū talium euacuatio.

XXIII

QVibuscunq; ex morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vti sanguis niger desubter exierit, postridie moriuntur.


SErmo in hoc aphorismo est potētia talis, Siue atra bilis (de qua antecedēs docuit aphorismus) siue ni

gra(quę sanguini nigro assimilatur,de quib9 prior aphorismus)ijs qui ad extremã extenuationem venerit,apparuerint,postridie moriũtur. Est enim in talibus natura imbecillis adeò vt nõ possint cõcoquere neq; discernere neque excernere quę ita praua existũt.Propter morbi igitur magnitudinẽ cum contineri nequeant, effundũtur,& idcirco sunt difficilia.Mortem autem non in postremis afferunt, vt in alijs contingit morbis propter virium imbecillitatem.Ostẽdit tamen in hoc aphorismo manifeste,quòd & in priore, cum dicebat, Deiectiones nigrę qualis sanguis:subaudire oporteat,niger:vt tale sit plenũ,Deiectiones nigrę,vel qualis sanguis niger. Ostẽdit autẽ & quòd nos bene à nigris succis bilẽ nigrã separauimus. Hæc enĩ sanguini denigrato similia videtur,differentia in eo quòd fusa sunt,& non concreta,vt ille. Nigra autem bilis & in eo quòd fusa, est absque concretione,& quia fulgentem habet nigredinem : & præterea mordax est, sicuti acetum,& terram abradit, atque fermentat, quorum nihil nigris adest.

XXIIII



Difficultas intestinorum, si ab atra bile inceperit,lethalis est.



HB illa quæ à quibusdam russa,ab alijs bilis flaua nominatur, magna ex parte incipit intestinorũ difficultas, abrasis prius in summa parte propter humorũ acritudinem intestinis, postea vero excesis adeò quòd exulcerentur. Hanc igitur intestinorum difficultatem sæpe sanauimus. Quæ vero ab atra bile fit,insanabilis est, cum nihil differat à cancro vlcerato. Vbi igitur hic cancer in summa parte consistens, sit cum difficultate sanabilis,aut omnino insanabilis,cum tamẽ possit continuo medicinam habere insidentem : rationabile est illũ qui occupat intestina,non solum quia nihil illi continuo adhęrere potest,verũ etiam quia semper ab alimenti superfluitatibus tangitur,esse penitus insanabilem.


XXV




Anguis quidem supra, qualiscunque fuerit, malus: infra autem, bonus est.


DE nigris deiectionibus sermo habitus ab ipso est in precedentibus aphorismis: nunc vero de ĳs quæ vel per os, vel per sedē excernūtur, verba facit. Quare in proposito aphorismo audiemus ipsum dicentem supra, eam quę fit per os solam excretionem: illa quæ fit per nares, omissa. Hanc itaque ait omnino esse malam, qualiscūque fuerit is qui excernitur sanguis, hoc est, siue spumosus, siue rubeus, siue flauus, siue niger, siue aquosus, siue crassus. Melius enim esse inquit vt infra exeat, & neque huc per modū dirupti sanguinis, sed paulatim fluētis, ita quòd sui exitus tarditate denigretur. Ipsum itaq; sanguinem confluere omnino ad aliquod intestinū, malum oportet existimare. Melius autē quando paucus, quàm quando multus veluti diruptus effluxerit. Quare quod dicitur bonum: non tanquā proprie dictum, sed tanquam melius diceret, est audiendum, quasi ita diceret: Infra autem melius nigra deĳci. Vere enim hoc eligibilius, quàm per os modo quocūq; sanguinē ferri. Hoc quidem dixerit quispiā, eam quę videtur in verbis antiqui pugnā dissoluens, cum aliquādo dicat bonum esse, vt nigra deĳciantur, quod paulo antea malum dixerat. Cōtingit autē & ita audire nigra (quēadmodū ipse in Epidemĳs dixit) de sanguine ex venis (qd̄ hęmorrhoidas vocant) profluēte, tanquam sanante melancholicas passiones. Vere enim iam factę melancholię maximū est remedium sanguinis ex his venis profluuiū: quam etiam, si futura sit, prohibet. Sic itaq; nobis audiētibus, sermo talis erit: Sāguis supra, qualiscunq; fuerit, malū: infra vero per hęmorrhoidē, bonum, quādo nigra euacuantur: hoc est quādo hominis natura multū talem accumulauerit sanguinē. Aliter autem nō est assuefaciendū ei quę fit per hęmorrhoidas euacuationi, quę periculosam habet vtrāq; immoderātiam, siue supra modū sanguis excernatur, siue ex toto supprimat.

XXVI


Difficultate inteſtinorũ habito, ſi veluti carunculę exeant, lethale eſt.


N difficultatibus inteſtinorum, cum adhuc conſtituũtur, quędã corpora pinguia excernuntur: poſt hęc autẽ, niſi finiri anticipauerint, quædam ramenta ipſorum inteſtinorum, abiecta horum ſuperficie interiore, quæ mẽbranoſa exiſtit & denſa, illi quæ cutem exterius contegit mẽbranulę proportionalis. Poſthac autem & aliquid ex ipſa abraditur ſubſtantia inteſtinorum: in quo tempore nõ adhuc fieri difficultatem inteſtinorũ, ſed iam factam atq; conſtructam dicimus eſſe. Quando igitur partes adeò magnę inteſtinorũ excernũtur in difficultate inteſtinorum, vt poſſimus eas carnes nominare: lethalem ait eſſe morbum, cũ neq; caro concreſcere, neq; cicatrix obduci in tali poſſit exulceratione.

XXVII


Vibus in febribus ſanguinis fluxerit multitudo quacunq; ex parte: cum reficiuntur, alui iis humectantur.


Alore natiuo debilitato ex profluuio ſanguinis, neque cibi bene concoqui, neque in ſanguinem tranſmutari, multo autem magis neque diſtribui poſſunt per corpus: & propter hæc omnia, aluos fieri humidiores par eſt, donec proceſſu tẽporis vires ſuas natura recuperauerit.


XXVIII


Vibus bilioſę deiectiones: ſupuenientes ſurditate, ceſſant: & quibus ſurditas, ſuperueniẽtibus bilioſis deiectionibus ceſſat.


On de ea quę ex habitu difficulter ſoluitur, nunc illi ſermo ſurditate, ſed de ea quæ repente in febri-

bus, vel aliter fit, recurrẽte ad cerebrũ bile, sermo ipsi est. Ipsa siquidem cum meatus auditorios occupauerit, efficit surditatẽ. Cum vero hinc ipsam natura expellente, ad excretionem peruenerit, soluit surditatem.

XXIX




Vibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.

QVicunque ad febres, & præcipue ardentes, rigores superueniunt: iudicium habere solent bonum atque perfectum vbi in die iudicatoria fiunt, & cum signis coctionis: non bonum autem neque perfectum quando vel diei. vel coctionis signa fuerint imperfecta. Quòd igitur concoqui oporteat quæ bene iudicari debeant, in primo libro docuit Epidemiarum per ea verba quæ paulo antea diximus, quorũ initium: Coctiones celeritatem iudicij. Quòd autem neque in omnibus diebus, & in Prognostico scripsit, & in hocipso aphorismorum libro, & preterea in primo Epidemiarum. Collecta autem à nobis hæc omnia cum opportuna expositione: quæcunque quidem de diebus iudicatorijs ab eo scripta sunt, in tractatu de diebus iudicatorijs inscripto: quæcunque vero de signis coctionis, in altero de iudicijs. Dictum autem & in ipsis est de eo quod fit in die sexta iudicio: de quo nunc etiam faciens mẽtionem, ait eos qui in hoc die fiunt rigores, difficile habere iudicium, hoc est malum afferre iudicium, ac si male iudicantes dixisset, vel non firmiter, immo in quibus facile foret fieri recidiuam: vel in longum tempus extensum, ac si dixisset difficulter solubiles. Cum casibus vero quandoq; difficilibus sextę diei iudicium fit: de quibus omnibus integre scripsimus in ijs quas nuper nominauimus tractationibus. Hęc igitur in hunc modum fieri etiam ipsa experientia testatur: ipsorum autem causas longum esset impręsentiarum exponere. De diebus enim iudicantibus tertio diximus libro de iudicatorijs diebus: de rigore autẽ in opere ad id dedicato seorsum.

XXX



Vibuscũque accessiones fiunt: quacũque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.



Vpponatur quispiam prima die cœpisse febricitare hora tertia, & quieuisse quauis alia hora: deinde die secundo eadem hora tertia cœpisse, mox cessasse febrem quacunque hora: & tertio rursus die hora tertia cœpisse, mox rursus quouis tempore finita febre: cœpisse iterum quarto die eadem hora tertia: & ita deinceps seruari quidē semper horam tertiam in qua accessio suum facit initium, non seruari autem alias in quibus finitur: hũc qui tali laboret morbo, necesse est temporibus longioribus ægrotare horam habentibus initij accessionis exordinatam. Hoc quidem nos ab experientia comprobatum, dictum fuisse arbitramur. Sunt vero quidam qui tale aiunt esse quod dicitur: Si primo die accessionem ægrotus habuerit, exempli gratia hora tertia: et (si ita cõtigerit) hora duodecima febris desierit: rursus die secũdo hora duodecima cœperit febricitare: morbum aiũt difficile iudicium habiturum, nullam apponentes rationem, sed neq; id ab experientia comprobari potētes ostēdere. Non tamen, difficile habens iudicium, aliter possumus interpretari, quàm difficulter solubile: adeò quòd tale sit quod ab Hippocrate dicit, Siue quauis die, siue per tertiam, siue per quartam ægrotus habeat accessionē eadem hora, difficulter solubilis est morbus huiusmodi, siue multas, siue paucas accessio occupet horas. Hoc igit (vt dixi) experiētia cõprobatur: eius vero causam talem esse opinandum est, quādo causa accessionum non fuerit fixa ac stabilita, non seruare eũdem terminum aut circuitum: vbi vero firmata fuerit, seruare: atque ideo difficulter solubile, quod fixum ac stabilitũ: facile vero solubile, quicquid non tale. Firmata enim magnam virri demolientem exposcũt, longo tempore, & per fortiora ac plura factam auxilia.

XXXI

LAssitudinem habẽtibus in febribus: in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt.

DIctum prius est quòd lassitudinũ nõnullę quidẽ in multis accidunt motibus, quæ simpliciter & proprie labores nominãtur: quidam vero neque multis, neque vehemẽtibus acti motibus, lassitudines pati consueuerunt. Tales itaque labores, non labores simpliciter, sed spontaneos labores nominare consueuerunt. Amborum autem ipsorum cõmunis est locus perpessus: hic vero est totũ genus in corporibus musculosum. Qui vero ex motibus labores accidunt, ipsis adest proprium peculiare, caliditas articulorum: quare in his nihil mirum ad articulos abscessus decumbere: vt qui vnà cum musculis laborauerint, atque vltra modum concaluerint. Spontaneis autem laboribus, vna sola ratione fluxiones vt decũbant ad articulos, euenit, (sicuti & omnib9 aliis ferè morbis qui per abscessus iudicantur) cum latiora ipsorum spatia prompte se habeant ad superfluitates suscipiendas. Rariores igitur in illis abscessus sunt, in laboriosis plures, & præcipue cum labor spontaneus fuerit, & ex iis maxime quib9 ex multitudine labor inest. Erit igitur in aphorismo sermonis hæc summa. Iis qui quomodocunque in febribus lassitudinem habent: ad articulos, & circa maxillas præcipue abscessus fiunt. Hoc vero cõtingit propter eam quę est in febribus caliditatem, relata multitudine ad caput, mox inde suscipiẽtib9 illis qui circa maxillas adenes existunt, sicuti qui circa inguina & alas sunt, quando ad illas partes multitudo peruenerit.

XXXII

QVibuscunque resurgentibus ex morbis, si quid laborauit, hic fiunt abscessus.

SI quidem labor & vehementem significat motum & dolorẽ, & læsionẽ, sicuti prius dictũ est: liquet quòd &, laborare, & pluribus motu significabit, & aliquem habere vel dolorem, vel læsionem. Et quidẽ in nõnullis qui ex morbo reualescunt, apparet, quãdo humores morbum facientes non satis fuerint expurgati, sed quasdam reliquerint superfluitates, cum laborantẽ siue dolentem partem quampiam habuerint, illuc morbum decumbere, cum labor quidem habeat causæ rationem, dolor vero signi. Nam in vehementioribus motibꝰ & vires fiunt imbecilliores, sicuti & caliditas maior accẽditur: dolor autem iam fluxione decumbente perficitur. Hoc igitur, vt diximus, est signum abscessus qui fit. Caliditas autem atque imbecillitas ad locum affectum prouehit superfluitates. Vtroqꝫ igitur (vt diximus) modo audire possumus verbum laborare: toti tamen sermoni qui nunc ab Hippocrate fertur, alterum magis conuenit significatum: siquidem antea de laboriosis febribus locutus, deinceps autem rursus inquit: Sed & si quid antea laborauerit. Videtur ẽm prior aphorismus, cuius initium, Lassitudinem habentibus in febribus: de lassitudinibus morborum habuisse sermonem: in eo autem qui nunc proponitur, de ijs qui fiunt in conualescentibus: in sequente vero de illis qui morbum antecedunt.

XXXIII

SEd et si ante morbum aliqua parte doluerit, hic morbus firmatur.

SIue quis velit connectere duobus prioribus sermonibus illum qui nunc dicitur, ad vnius aphorismi integritatem, siue seorsum vnumquẽque scribere, nihil refert: nam & communitas eorum ostensa est, & singulorum proprietas in sermone pręposito. Dicetur autem & à nobis adhuc breuibus: Quando in morbo sensus aliquis lassitudinis fuerit, expectare oportet abscessum aliquem ad articulos fore, præsertim iuxta maxillas. Simili modo si quis ex morbo relatus, parte aliqua corpo

ris laborauerit, vel ante quàm ęgrotaret. Nam plurimum solet ad talia decūbere, in illis videlicet morbis in quibus speratur abscessus futurus, neque morb9 per excretionem antea iudicandus. Dictum est igitur & in pręcedentibus de talium morborum dignotione: sermo vero vniuersus in commētarijs de crisibus siue iudicijs est explanatus.

XXXIIII

SI a febre habito, tumore non existēte in faucibus, strangulatio repente superuenerit, lethale.

DIcet quidem & simpliciter audire initium aphorismi in quo ait: Si à febre habito, tanquam ita dixisset: Si homini febricitanti, tumore non existente. Licet autem & cum maiori aliqua significatione, quemadmodum solet in Epidemijs scribere, non simpliciter quouis modo febricitantem ostendēs, cum dicit: Febris ipsum habebat. sed de eo cui magna insit febris, ita loquens. Cōtingit autem & sine magna febre, strangulatione repente superueniente, hominem interire. Ineuitabilior autem & citior mors, adeò quòd neq; ex inopinato vnquam homo saluatur, cum vehemens febris detinet ęgrotantem. Indiget enī huiuscemodi febris (vt in sermonibus de difficili anhelitu fuit à nobis ostēsum) inspiratione abūdanti. fit vero nedum abundans, verum omnino pauca strangulatis. Neque enī aliud est strangulatio, nisi interit9 subitus propter defectum inspirationis: qui fit ex angustia alicuius instrumenti ex ijs quæ obseruiūt respirationi. Nam talis angustia ipsorū, seorsum in eo genere est quod anhelitus carentia nominatur: quæ & ipsa fit vel propter imbecillitatem potētię illi9 quę mouet thoracem, vel propter frigiditatē vitalis principij. Strangulatio vero omnino fit ex angustia: angustia autem, vel repleta intermedia regione quę inter thoracem est atq; pulmonē, aut pulmonis cauernis, vel aliqua inflammatione totum occupāte viscus, vel asperam arteriam, vel eam partem quæ est veluti caput eius, quam nominant guttur: quæ etiam in-


flammatio fieri aliquando solet in prçiacente spatio, quod fauces appellãt. Nã & Homerus ita nominauit inquiens: Per fauces autem vinum impellebatur. spatium illud laxius quòd inter gulam & guttur prçiacet, nominans fauces. Videtur autem & nunc Hippocrates hanc eandem partem eodẽ modo quo etiam Homerus, nominasse. Dicit igitur: Tumore non existẽte in faucibus. tanquam possibile sit ore multum adaperto partem ipsam diligentius inspicere: quod in gutture fieri nequit. Fiet igitur sermo vniuersus huiusmodi: Si à febre habito strangulatio repẽte superuenerit citra tumorem fauces occupatem, lethale est. Prisci etenim per tumorem & inflationem idem intelligebant. Neque nos latet triplicem esse tumorum differentiam. Vel enim sunt cum dolore, quos iuniores inflamationes nominant: vel absque dolore duri, quos græci scirrhos vocant: vel sine dolore molles, quos ijdem grçci œdemata, id est inflationes appellant: & propterea ab antiquo vsu recesserũt, vt qui non omnia prçter naturam incremẽta sub vocabulo inflationis complectantur. Cum igitur fauces sine tumore apparuerint, strãgulatio autem repente superuenerit, solius gutturis est huiuscemodi passio. Strangulantur (vt dixi) & propter morbos alios, quos paulo antea dixi. Repente autem strangulari, soli gutturi inest. Morbus enim quem græci peripneumonian vocãt, non repẽte strangulat ægrotãtes, verum paulatim ab initio incrementum suscipiens vsque ad propriam consistẽtiam, in qua talẽ casum affert. Et si quod tuberculum & abscessus in pulmone fit, hæc quoque passio diuturna est: sicuti & spatium inter pulmonem atq; thoracem pure repletum, sçpius hoĩem strangulat, abscessu scilicet in ipm dirupto, qui scilicet & ipse in longo tempore fuit constitutus. Asperæ quidẽ arteriæ inflammatio difficultatem spirãdi aliquam efficere potest, strangulationem vero nõ potest, propter magnitudinem meatus in ipa latioris, & tunicç tenuitatem. Impossibile siquidem est corporis adeò tenuis inflammationem, spatium effatu dignum replere. Reliquum igitur est guttur: quod subitam potest facere

strangulationem, quoniam in ipso angustatur pulmonis meatus. Et musculi anteriores vnà cum ambiente tunica inflammationem patientes, viam spiritus valent intercludere. Nominant autem medici quidam talem dispositionem non per, s, synanchen, sed per, c, cynanchen: quibus placet faucium inflammationem per, s, synanchen nominare. Nonnulli vero & iuxtasynanchen, & iuxtacynanchen nominant. Iuxtasynanchen, quãdo adiacentium faucibus partium inflammatio fuerit: iuxtacynanchen autẽ quãdo extra guttur. Ex ijs igitũ quæ dicta sunt, rationabile est talem dispositionem gutturi aliquem inferre dolorẽ: & videtur Hippocrates ei9 manifeste meminisse in libro prænunciatiuo, hisce verbis: Fauces dolentes tenues cum quadam difficultate strangulantes velociter exitium afferentes. Nunc vero dolentes non dixit, siue quia in ijs quæ dixerat antea, poterat subintelligi: vel quia etiã iam absque dolore aliquando dictam putauit in præcedente sermone fieri posse strangulationem. Et si omnino potest esse sine dolore strangulatio: ex talib9 causis potest hoc fieri: Possibile est multitudine humiditatis, & pituitosæ præcipue, madefaciente tunicam gutturis interiorem, aliquem fieri absque dolore tumorem. Possibile etiam est aperientibus ipsum musculis resolutis, meatum reddi angustiorem. Contingit autem & vtrunque coniungi. Sed neque impossibile est quin propter superfluã siccitatem musculi gutturis intrinseci supra modum extenti, meatum reddant angustiorem. Qui vero sint hi musculi, & quomodo claudant guttur, ostensum est in tractatu qui de voce inscribitur.

XXXV



SI a febre habito collum peruertitur, & vix potest deuorare: sine vllo tumore, lethale est.



NOn etiam adiecit hic locum in quo inquit, Tumore non existente: sicuti in præcedenti aphorismo gutturis meminit, inquiens, Tumore non

existente in faucibus. Nos vero dicemus alterũ duorum, vel ex communi audiẽdum esse in faucibus, vel in omnibus colli locis. Cum enim in nullo horum apparuerit, neque ore aperto in faucibus, neque extrinsecus tumor, hominẽ vero contigerit non posse deuorare: casus est exitialis: qui fit ex inflammatione aliquando musculorum qui gulæ pręiacent, aliquando gulæ ipsius. Est enim quædam societas partibus his per neruos ac ligamenta & ad spinalem medullam, & ipsas ambientes membranas, ac prętereа ossa vertebrarum quæ his extrinsecus adiacent. Extentis itaque ad partes inflammatas & ligamentis & neruis, trahi vertebras vel intra vel ad latus est necessarium: si quidem in altera nerui propagine fieri tentionem cõtigerit, ad latus: si vero in ambabus, ad extra. Plenius autẽ de istis dicemus, librum de articulis exponẽtes, in quo ait fieri spinę euersiones tuberculis crudis intra ipsam constitutis. Igitur in libro illo & gibbos fieri dixit tentis intra vertebrarum partibus, non solum recuruationes, & obliquationes. Et in secundo quidem libro Epidemiarum, de proposita nunc in aphorismo angina verba faciens, inquit: Erãt autem anginam patientium tales affectus: colli vertebræ intro vergebant, & extra apparebat collũ habere cauitatem, & hoc tactum dolebat. In hoc itaque sermone vnam ostendit vertebræ euersionem ad intra factã: in pręsenti vero aphorismo generaliori vtens sermone inquit: Si collum euertatur. Verbum enim euerti, eam quæ est ad id quod pręter naturam, euersionem ostẽdit omnẽ rectitudinis vertebrarum. In secũdo autẽ libro Epidemiarum sermoni adiecit: Et hoc tactum dolebat. Hic vero nihil de dolore dixit: atqui necessariũ est adesse dolorẽ vnà cum ea quæ collum obtinet inflammatione. & hic eã quę fit propter siccitatem excedentem, tentionem, tractũ, & euersionem partium tantummodo ostendit: & propter hocipsum casum inquit esse exitialem: cum alter qui ꝓuenit ex inflãmatione, non sit omnino exitialis, qualis erat prior, cui cõiuncta erat strangulatio. Neq; eñ est æquale periculum, si homo strangulетur, & vix possit deuorare.

Verum si propter excedentẽ siccitatem id accidat, & collũ euerti, & vix posse deuorare, lethalis est casus, & præcipue cum vehemens est febris: vt verba illa, Si à febre habito, etiam in hunc sensum audiantur. Ob hanc autem febrem ipsam, & iam immodicam fieri par est in membris siccitatem: & duplicem habebit febris vehemẽs ad mortem rationem, & quia signum erit quòd fiat euersio propter siccitatem, & deuorandi difficultatẽ, & quoniam & ipsa aliquid afferet, vt vna ex causis ꝑducẽtib9 ad mortẽ.

XXXVI

SVdores febricitanti si inceperint, boni, & tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo, & septimodecimo, & vigesimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui vero non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

NOn sudores tantum, sed alui excrementa effatu digna, & vrinæ multę, & iuxta aurem abscessus, vel aliquem alium articulum, in dictis diebus optime apparent. Sermo enim in vniuersum est talis, Iudicatoria signa, ac casus, in diebus iudicatorĳs incipiant. & sermo iste dictus sufficiebat: verum Hippocrates non de omnibus ipsum fecit iudicatorĳs, sed de sudoribus tantum: & nobis memorię subiecit iudicatorios dies qui sunt intra quadragesimum. Morbi enim istis diuturniores, non admodum solent per sudores iudicari, sicuti neque omnino per excretiones, sed vel per cõcoctionem, vel per abscessus. Quòd vero non omnis numerus dierum sit ad iudicandum idoneus, experientia manifeste demonstrat. & quispiam admiraretur illos qui aiunt nullam in illis esse differentiam. melius enim, ex ĳs quæ apparent manifeste, eos discere differentiam: causam ve-

ro eius quod fit, per multum ocium cōſiderare: quod nos in tractatu de diebus iudicatorĳs egimus, id quod ad artis refert vtilitatem, in primis commentarĳs tranſigētes: cauſas autem ipſorum tentantes in tertio perquirere. Nō parua autem eſt de diebus ſcriptis in aphoriſmo diſcordia, cùm alĳ alios pro arbitrio ſcribant. Nos vero illa ſecuti quæ ab ipſo Hippocrate ſcripta ſunt & in Prognoſtico, & Epidemĳs, & ipſo libro aphoriſmorum, ipſorum fecimus connumeratione. Verba autem quibus de hiſce diebus Hippocrates ſcripſit, habes omnia in tractatu de iudicatorĳs diebus & de iudicĳs collecta. Nunc vero à tertio incipit, qui anticipat quartum in breuioris temporis morbis: & poſt hunc quintum ſcripſit vno die quarto tardiorem. Sic enim ferè in oibus exemplaribus inuenies, cū quartus dies in aphoriſmo non ſit ſcriptus, quāuis hic dies ſit primus iudicatorius. Verūtamē ipſum nūc prętermiſit vel ipſe Hippocrates, vel qui prim9 librum ſcripſit. Si vero omnino Hippocrates illū prętерĳt, hāc ob cauſam exiſtimo illud feciſſe, quoniam morbi plurimi peracuti, qui cum ſudore iudicantur, tertio & quinto die magis quàm quarto iudicium ſuſcipiunt. Rariores enim ſunt qui die quarto iudicantur: & hoc à me plurimum fuit inuentum per experientiam, ob hocipſum quęrente, quoniam dies quartus fuerat ab Hippocrate in aphoriſmo prætermiſſus. Hoc aūt videtur accidere quoniā morbi peracuti primam ſtatim acceſſionem vehementiſſimam habent, & reliquas illis proportionales per diem tertium. Didicim9 autē quòd in vehementioribus acceſſionibus iudicia fiūt, & quòd morbi qui in diebus imparibus acceſſionem habent, citi9 iudicātur: qui vero paribus, tardāt. Atque ideo ſi etiam in principio aliquis morbus incitatur, hoc magis accidit in diebus imparibus. ſi tardare debeat, ad dies pares vehementiores acceſſiones transferuntur. Hæc itaque habeo dicere de die quarto. In fine autem aphoriſmi, nonnulli trigeſimumprimum diem, nonnulli trigeſimūquartum ſcribunt. Scimus autem hos in dierum iudicantium numero cōtineri: & fortaſſe trigeſimusquartus maiorem

vim habet: non tamen quadragesimi meminit, quoniam hunc principium morborum longorum existimauit, qui non admodum per sudores iudicantur. Nam & trigesimumprimum, & trigesimumquartum, & ante ipsos vigesimumseptimũ raro inueniemus: per sudores iudicare.

XXXVII



Frigidi sudores, cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi significant.


Quòd quidem ita fiat, sępius experiẽtia docet. Causa vero huius explorãda. Nam plurimam mihi videtur habere dubitationem, quomodo febre calidissima hominem detinente, sudor fiat frigidus. Quòd igitur in aliis partibus corporis sit necessarium esse vehemẽtem caliditatem, ex aliis vero sudores frigidos euacuari, est manifestum. Essent enim calefacti, si ex partibus calidissimis efferrentur. Euacuantur autem ex cute sudores, quam frigidam esse cõtingit, cum tamen ea quę sunt sub ipa, comburuntur. Nam quibusdam humoribus putrescẽtibus, ostensum est febres acutas fieri. Hi vero putrescunt sæpius quidem in toto corpore, sępius vero in vasis solis. Cum vero hæc aliquando duo contigerint, & humores qui sunt in vasis, putrescere, eã vero quę solida corpora regit naturam (quę secundum Hippocratẽ est calor naturalis) vel extingui omnino, vel proximam esse extinctioni: quę quidem ex his euacuantur, frigida sentiuntur: eam vero quæ fit ex putredine caliditatem, nihil ꝓhibet vehementissimam esse, atque ideo signum exitiale, ostẽdẽs in animalis corpore humorum multitudinem superabundare, tantam habẽtium frigiditatem, vt neque à calore natiuo, neque à febrili calefiant. Tepidis quidem existentibus febribus contingit saluari hominem, cõcocta in tempore multitudine humorum, atque euicta à natura. Acuta eñ febris, causa est & signum perniciosissimum. Causa quidem, quia prõpta est dissoluere corpora: signũ autem, quoniam humorum multitudinem esse frigidissi-

mam ostēdit, vt quę neque à calore febrili transmutetur. Febris vero quę non est acuta, sed mitior, permittit tēpore longiori à natura multitudinē concoqui, cum nō anticipet dissoluere hominem: nō est autem signū adeò perniciosum sicuti vehemens febris. Contingit enim in tepida febre, & si modice frigida multitudo fuerit, incalefactam permanere.

XXXVIII



QVa parte corporis sudor est, ibi significat morbum.



SI per totum animalis corpus morbus extēderetur, ex toto etiam æqualis fieret euacuatio. Fiūt enim sudores vel natura humiditatē superfluā euacuāte, (quādo & optime iudicium fit) vel quādo non cōtinetur in corpore, morbi ratione. Sed siue hoc, siue illo modo fiant, mēbrorum patientiū humiditatē euacuant.

XXXIX




ET qua parte corporis calor aut frigus, ibi morbus,



QVacunque parte corporis insignis caliditas aut frigiditas fuerit, hic morbum necessarium est esse. hoc siquidem exijt à tēperie naturali, quæ sanitas est.

XL




ET vbi in toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel color alter ex altero fiat: longitudinem morbi significat.



VArię dispositiones diuturniores sunt, quàm quę sunt vniusmodi, cum non possit natura in paruo tempore multas conficere dispositiones.

XLI



SVdor multus ex somno factus absque causa manifesta, corpus vti pluri cibo

significat. si vero cibum non accipienti, hoc accidat: scire oportet quod euacuatione indiget.

NOnnulli ita scribunt aphorismũ, Sudor multus ex somno fact9 sine causa manifesta. Aliĵ vero, Sine aliqua alia causa. Verũ hæc etsi non adĵciantur, millies in mille sermonib9 ab ipso prętermissa intelliguntur: quia hæc etsi non dicantur, tamen subaudiuntur à nobis: vt qui semel ab ipso didicerimus quòd qui à causa extrinseca, nõ ex dispositione corporis casus proueniunt, nullam faciunt certam præcognitionẽ. Hoc itaque semper oportet meminisse. Quod vero in pręsenti aphorismo docetur: in verbo, multus, adiecto, maxime existit. Si enim sudor multus non esset, posset & propter virium imbecillitatem, & corporis raritatem accidere. Ipsius vero multitudo, altera duarum causarum fit, vel propter ciborum qui sunt recenter assumpti, immoderãtiam, vel illorum qui antea. Quòd si propter recenter assumptos, prohibere oportet ne plures assumant. quòd si propter prius assumptos, euacuare.

XLII

SVdor multus calidus vel frigidus superfluens, frigidus magis, calidus minus significat morbum.

DE sudoribus quidem qui in diebus iudicatorĵs fiunt, dictum est prius: de ĵs vero qui in toto morbi tẽpore apparẽt sine iudicatione, in hoc ostendit aphorismo: difficiliores quidem inquiẽs esse frigidos sudores, minus vero his malos calidos esse. Indicãt quidem vtriq; multitudinem adesse, sed alteri frigidam, qui & peiores sunt: alteri vero calidam, qui & minus illis sunt exitiales.

XLIII

FEbres quęcunq; nõ intermittẽtes tertia die fortiores fiunt, magis pericu-


losę. Quocunq; autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.

QVod Hippocrates per verbũ intermittere, accessiones intelligat quę in quietem febre vacantem desinũt, manifestũ fecit in hoc aphorismo, febres illas quę per tertiam accenduntur, si quouis modo quieuerint, inquiẽs esse absq; periculo. Solę enim illę quę in quietem febre vacantem desinunt, periculo carent, etiã si vehementissimã & satis longam habuerint accessionẽ. Si enim adeò breuis fuerit, vt in tertianis legitimis, minori duodenis horis tẽpore circũscripta: non modo sine periculo talis est febris, sed etiã cito iudicatur. Si vero longius quàm duodecim horarum occupet tẽpus, adeò vt ad triginta, vel decem & octo peruenerit horas: est quidem & hæc citra periculum: tanto autem longior, quanto & eius accessio maior extiterit quàm tertianæ exquisitæ. Non absq; ratione autem eas quę in quietem febre vacantem desinunt, esse absq; periculo inquit: vt quę non ex inflammatione aliqua, neq; ex maligna humorũ putredine occasionem habeant. Neutra enim harum ad quietem peruenit febre vacantem. Quocunq; autem modo intermiserint, periculũ abesse significatur, hoc est, siue vehemẽs, siue longa fuerit accessio.



XLIIII

Vibus febres longæ, iis tubercula vel labores in articulis fiunt.



On semper neq; hoc fit, sicuti neque quicquam aliud huiuscemodi, sed magna ex parte videlicet cõtingere videtur. Causa autem est manifesta. Nam propter multitudinem vel crassitudinem vel frigiditatem humorum efficientium febres, in longum tempus morbi extendũtur, cum longum exigant tempus ad coctionem. Par igitur est & tubercula fieri, & ad articulos superfluitatem decũbere. Siue autem per labores dolores intellexerimus, siue læsionem: vterq; intellectus ha-

m iiij


bet rationem. Vtrunq; enim horũ ad abſceſſus ſequitur.

XLV


Vibus tubercula, vel in articulis labores fiunt, ii pluribus vtũtur cibis.



E conualeſcentibus docet. His enim repletis rationabile eſt caſus plethoricos aduenire, & maxime ob virium imbecillitatem.

XLVI


I rigor incidat febre nõ deficiẽte, ęgro iam debili: lethale eſt.


On idem eſt ſi quis dixerit, ſi inciderit, & ſi incidat. Verbum enim inciderit, vnum ſignificat rigoris inſultum, incidat vero plures. Semel igitur rigore incidente, nõdum liquet an mors, an iudicatio optima ſit ſequutura. Poteſt enim & propter viriũ imbecillitatem caſus eſſe lethalis, poteſt autẽ & iudicatio periculoſa bonum tamẽ habere finem. Sępius vero fieri rigorem febre non deficiente, & alioqui bonum non eſt: in virium autẽ factus imbecillitate, pernicioſus. Nam ſi aliqua euacuatio rigorem ſubſequatur, quę nullam faciat intermiſſionem: propter vtrũque diſſolui hominem fit veriſimile, & quia vis imbecillis ferre nõ poteſt rigoris agitationem, & quia ab euacuatione diſſoluitur. Si vero ſolus accidat rigor nulla euacuatione ſubſequente: vtroque modo caſus caret bonitate. Nã & ſicuti mala cauſa, vim corporis tanget: & malum ſignum erit, illius indicãs imbecillitatem, quæ ſolita erat noxios humores in rigoribus euacuare, nunc vero hoc non poteſt efficere.

XLVII


Xcreationes in febribus non intermittẽtibus, liuidę, cruentę, fœtidę, omnes malæ, & villoſę. Et ſi bene exeunt, ſiue per alui excretionẽ, ſiue per vrinas, bo-

næ. Si vero non aliquid eorum quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum.

FOrte conueniens fuerat doctrinę aphoristicę, dici compēdiosius, omnes prauas excretiones cū bene exeūt, ad bonū terminari. Hippocrates vero non ita locutus est, sed primū quidem trium generum excretionum meminit, & eius quę fit per os, & eius quæ fit per aluū inferiorē, & tertiæ quæ fit per vrinas: deinde & eius quę fit per os, magis particulatim. Non enim simpliciter dixit prauas excretiōes bene exeūtes, bonas esse, sed speciatim ipsarū meminit, inquiens: Liuidę, cruentæ, fœtidæ, & biliosę. Vna autē cōmunis est in hisce omnib⁹ ratio: Malæ excretiones sunt prauarū signa dispositionū: & fiunt sępius eodē modo quo in vlceribus putridis, quibus liquores saniosi defluunt, nihil dispositioni conferētes: nōnunquam vero ita sicuti pus, ex abscessu dirupto bene expurgans partem patientē. Indicia vero quòd bene excernatur, maxima sunt & coctio & bona tolerantia, cum ipsis vero & morbi species, & cum his tēpus anni, & regio, & ætas & natura ægrotantis. Quod vero est in fine aphorismi, duobus modis scriptū inuenitur. In quibusdā quidē, vt antea scriptū est: Si vero nō aliquid eorū quę iuuant, excernatur. In quibusdā vero sine particula non, hoc modo: Si vero aliquid eorū quę iuuāt, excernatur. Et erit secūdum primā scripturam sermo talis: Si aliquid eorum quæ nō iuuant excreta, videtur euacuatum: nō est bonū. Secundum vero secūdam scripturā, Si aliquid eorū quæ iuuant, & sunt animali conuenientia, excernatur: non est bonum. Melior autem est scriptura prior.

XLVIII

IN febribus nō intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores vrantur, & sitim habeat, lethale est.

DIgnum animaduersione est nunquid huiuscemodi casus possint in febre fieri intermittēte. Ego enim

m iiij

neq; vidi, neq; animo capio. Videntur siquidem solis accidere in febribus, quæ causones ab incendio nominãtur, perniciosis, vel si aliter libeat appellare, valde malignis, veluti lipyrijs. Nulla vero febris alia profundiora perurit cute refrigerata. Neque enim mitior causon, neq; tertiana: quæ duæ febres præ cæteris sunt calidissimæ. Videtur itaque non distinctionis gratia in aphorismo adiecisse, In febribus non intermittentibus, sed similem protulisse sermonem illi quo dicitur, Vertebrę autẽ quæ in spina sunt: non quasi aliqua alia corporis parte sint vertebrę, sed veluti si ita diceretur: Vertebræ, quibus hoc inest vt in spina sint. & nũc ita sermonem Hippocratis audiemus: Si profundę partes vrãtur, cute refrigerata, lethale est. fit autem hoc in nonnullis febribus non intermittentibus. Causa vero huius talis existit: Quãdo aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori, vel erysipelas euenerit: totus ex toto corpore sanguis ad locum trahitur patiẽtem, atq; ideo vruntur profunda, sed cutis refrigeratur, vt fit in principijs accessionum.

XLIX

IN febre non intermittente, si labrum, vel oculus, vel nasus, vel supercilium peruertatur, vel non videat, vel nõ audiat, iam debili existẽte corpore: quicquid horum euenerit, mors proxima est.

PArtium fiunt peruersiones, extentis atq; cõtractis ijs qui ad eas nerui pertingunt. Quòd autem extendantur, hoc ipsis accidit vel propter inflammationes, vel duros tumores, aut siccitates, aut immodicas frigiditates. Hæc autẽ grauia sunt quando prope neruorum originem fuerint constituta. Quare cum febris cõtinua fuerit, & æger debilis: nõ absq; ratione mortem esse vicinam est existimandum: multo autem magis quando non audiat aliquis, vel non videat, propter virtutis sensibilis debilitatem.

L

VBi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delyrium acciderit, lethale.

FIt quidem nonnunquam ex eadem causa horũ vtrunque, & difficultas spirandi, & delyrium, patiẽte cerebro: & tũc apparet spiritus (vt ipse in Prognosticis inquit) magnus ex multo interuallo, hoc est, magnus, & rarus. Contingit autem propter aliquam earum partium quæ respirationi obseruiunt, passionem, spirandi difficultas. Nam & morbus lateralis, & pulmonis inflammationes, & reliquę thoracis atque pulmonis passiones, spirãdi faciunt difficultatem. Hæc vero omnia periculosa sunt, febre præsertim continua adiuncta. Nam semper cum tali fieri cõsueuerunt. Quare & hic verba illa, Cum febre non intermittente, eadem videntur ratione esse dicta, qua etiam in aphorismo antecedente.

LI

IN febribus, abscessus qui ad primas iudicationes non soluunt, longitudinem morbi significant.

SErmo ita clarus est, vt forte Hippocrate non indiguerit. Liquet enim quòd eoipso quòd ad primas iudicationes non soluuntur huiuscemodi passiones, sint diu duraturę.

LII

QVicunque in febribus vel in aliis morbis sponte illachrymant, nihil absurdũ: qui vero non sponte, absurdius.


DIctum quidẽ & in Prognostico, lachrymari non esse bonum signum, quãdo videlicet oculus ipse nullum affectum habet proprium atque pręcipuum, veluti lippitudinem, vel in palpebris asperitatem, vel tale aliquid. Nam debilitas quædam ostẽditur poten-

tie contentiuæ,quando etsi talia non adsunt,illachrymāt. Non recte autem scriptum fuit absurdius comparatiue. melius enim fuerat absolute absurdum dicere. & mihi videtur hic error culpa magis primi librarij, quàm ipsius Hippocratis contigisse.

LIII



Vibus circa dentes in febribus quidam lentores nascitur,iis fortes fiunt febres.




Eque enim nasci possunt huiuscemodi lentores sine caloris multitudine pituitosiorem humiditatem exsiccante.

LIIII




Vibus plurimum siccæ tusses leniter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.



Iccas tusses illas nominãt,in quibus nihil expuitur.Fiunt autem aliquando ob intemperiem instrumentorum quæ obseruiunt respirationi: aliquādo vero in faucium asperitate,vel aliquo tenui & pauco humore destillante.Quicquid horum acciderit,aliquo modo madescunt loca quę ad asperam pertinēt arteriam, & ideo minus siticulosi fiunt. Nam si asperitas sola fuerit propter motum in tussi factum,ex locis vicinis humor aliquis trahitur.sic autem & si sola fuerit intemperatura.

LV



X inguinum tumoribus, febres omnes malæ,præter diarias.



Ebres diariæ oēs ab ipso vocantur, quęcūq; sui ratione vna die durāt. Tales autē sunt ex tumoribus inguinum,quādo ex causis manifestis cōsistunt. Alios vero tumores inguinum qui sine causa manifesta fiūt,fit verisimile ex viscerum inflāmationib9 fieri: atq; ideo febres quę vnà cum ipsis eueniūt,malas esse.

LVI

FEbricitanti sudor superueniens febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem.

OPortuit hunc aphorismum cum altero paulo antea dicto coniungi, in quo dicit: Sudor multus, frigidus vel calidus semper fluēs. Ipse vero ostēdit quo pacto talem sudorem dixerit esse malum, & propter quā causam. Malus itaque existit quia morbum non soluit: quare & ipsum prorogari significat. Causam vero secundū tempus prorogationis, multam ait esse humiditatem: quam in tempore longiori dissoluente ac concoquēnte natura, necessarium est morbum esse longum.

LVII

QVi a conuulsione aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur.

ESt quidem & distentio neruorum cōuulsio, sed non videntur in ipsa partes conuulsæ: quoniam ęqualiter ante & retro tenduntur: atq; ideo pręcipuum illi nomen est datū distentio: ita quòd omnes conuulsiones sunt numero tres græcis vocabulis: Opistotonus, id est tentio ad posteriora: Emprostotonus, id est tentio ad anteriora: & Tetanos, id est ęqualis tentio, nominatæ. Omnes vero secundum ipsum fiunt conuulsiones vel ex repletione, vel ex euacuatione, partiū videlicet neruosarum. Quęcunque igitur conuulsiones ad febres ardētes sequūtur, has par est fieri ex siccitate. Quęcūque vero ab initio inuadūt, ex repletione habēt generationem. His conuulsionibus febres aduenientes, partim quidem superfluam dissoluūt humiditatem, partim vero cōcoquunt frigiditatem: quę duę sunt medicis remediorum intētiones. Non absque ratione igitur in febribus ardentibus lethales

sunt cōuulsiones, non lethales vero quę febres antecedūt.

LVIII

A Febre ardente habito: rigore superueniente, solutio.

Ostensum enim est in sermone de rigore, ob flauam bilem, quę per mēbra sentiētia veloci motu defertur, fieri rigorem, post quem videlicet & alui soluuntur, & sudores & vomitus biliosi superueniunt. Bile igitur ex qua febris ardēs habuit ortum, expurgata, soluitur febris. Nam febrem ardētem fieri nouimus æstiuo tempore, quādo venæ exsiccatæ acutos ac biliosos ad se liquores attraxerint.


LIX

Tertiana exquisita, septenis circuitib⁹, quod longissimum est, iudicatur.


Tertiana febris, ab ea quę ardens nominatur, humore faciente nō differt. Vtraque enim à flaua bile fit. Differunt autem, quoniam febris ardens habet in venis vnà cum sanguine bilem plurimam ebullientem: tertiana vero eandem bilem habet in toto corpore latam ac motam. Exquisita igitur tertiana erit suiipsius naturam puram seruans atque sinceram. Seruat autem vbi flauam bilem habet (vt dixi) superabūdantem, & motam, & pręterea tempus æstiuum, & locum tempori similem, calidum scilicet ac siccum, & hominis ætatem & temperaturam similem. Statim vero & in tali tertiana accessio fieret vnà cū rigore: & solutio eius, per sudores vel per vomitum aut per aluum inferiorē flaua bile euacuata, vel omnibus istis pariter factis. Erit & huic tertianę tēpus accessionis minus multo quā quietis. Duobus siquidem diebus, & totidem noctibus toto eius perfecto circuitu, exquisitam tertianam nūquam inuenies extra duodecim horas suam accessionem protendere. Talem itaq; ait Hippocrates in septē circuitibus, quod sit longissimū, iudicari. Quod enim in continuis vna dies potest, hoc in

Intermittentibus accessio. Secundum igitur istarum connumerationem, earum fiunt iudicationes. Hoc autem innuit & ipse in Prognostico, vbi de quartana loquitur, ita inquiens: Fit autem & quartanarum consistentia ex ordine tali. Est autem & à nobis obseruatum, tum in quartanis, tum etiam in tertianis, fieri iudicationem secũdum numerum circuituum, non dierum. Statim itaque in tertiana febre ab initio septima accessio ĩ tertium & decimum incidit diem, & sæpius in ipso morbus iudicatur, non expectato quartodecimo. Sicuti igitur in morbis continuis acutorum quidem morborum terminus est quartusdecimus, peracutorum vero septimus: sic in intermittentibus breuissimi tẽporis tertiana febris terminum habet circuitum septimum. Rursus autem sicuti in peracutis, morbus poterat iudicari & in quinto, & in quarto, & ĩ tertio die: sic & in tertiana in eisdem circuitibus fieri solutionem cõtingebat, non expectante natura septimum. Hippocrates igitur tertianam aliquãdo cũm adiectione exquisitam nominat: aliquando vero simplici appellatione contẽtus, tertianam tantummodo: sicuti & nunc quoque consuetudo græcorũ est huiuscemodi res omnes dupliciter nominare.

LX.



Vibus in febribus aures obsurduerũt: sanguis ex naribus fluẽs, aut aluus turbata, soluit morbum.



Ictum quidem & ab ipso antea surditatem fieri si biliosa excrementa retineãtur, & ad caput recurrant: & talem solui surditatem, si aluus turbetur. Dictum autem & nunc ab ipo hoc idem, & præterea de profluuio sanguinis è naribus. Etenim & hoc soluit surditatem, eam scilicet quæ in febribus fit absque vlla propria atque præcipua instrumenti auditus passione. Et nihil mirum si euacuatis aut transmutatis noxijs humoribꝰ cessant passiones.

LXI.



Ebricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare.

NEscio, si hunc aphorismum Hippocrates scripserit, an fuerit à quopiam asscriptus. siquidem in Prognostico dierum iudicantium incrementa ac cõpositiones fieri in quaternis edocuit, & in hoc ipsorum libro Aphorismorum, atq; etiam in Epidemijs, non modo die quartodecimo multos vidit iudicatos, sed etiã in vigesimo, & quadragesimo, & sexagesimo, & octuagesimo. Ipsi vero iudicatur & vigesimaquarta, & trigesimaquarta, & ab initio protinus quarta. Quomodo igitur ait nunc quòd nisi in diebus imparibus febris cessauerit, non sit fida iudicatio? Melius itaque pro imparib9 scribere iudicatorijs, vt quibusdam visum est. Multa tamen exemplaria in numero plurali, & imparibus, & diebus, scriptum habent.

LXII

QVibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum.

MOrbus regius fit aliquando & iudicatorie reponente natura ad totum corpus, & præcipue ad cutem, flauam bilem. Fit autẽ & huiuscemodi casus hepate male se habente. Ipsius vero affectus ex quibus morbus regius solet aduenire, tres sunt: tumor durus, inflammatio, & obstructio. Verum tumor prędurus, diutinus morbus existit: inflammatio vero & obstructio repente fieri possunt. & qui regij morbi ante septimum accidunt diem, ex aliquo istorum ortum habent: nam citius non potest iudicatorie bilis perduci ad corpus. Ante septimum quidem diem, morbum regium esse malum, verum existit: non tamen post septimum vacare periculo, est pariter verum: neque hoc nunc dictum est. Potest enim & inflammatio & obstructio longiori tẽpore permanere, ante septimum tamen bilem iudicatorie efferri est impossibile. In quibusdam vero exemplaribus adiectum est aphorismo circa finem, Nisi humores ex aluo prodeant. volentibus ijs qui hęc adijciunt, per aluum bilem expurgari.

LXIII

QVibus in febribus cotidie rigores fiunt, cotidie febres soluuntur.

CVm bile per omnem corporis habitum mota rigores accidat, atque ideo singulis accessionibus expurgetur atque euacuetur: nō absque ratione ad infebricitationem peruenit talium febrium intermissio. Hoc igitur est quod nunc dictum est ab eo, Cotidie febres soluuntur . ac si dixisset ægrotos cotidie sine febre fieri. Quemadmodum autem si cotidie rigores fiunt, cotidie etiam febres cessant: sic videlicet si & per tertium diem, vel etiam per quartum. quod scilicet fieri videtur & in tertianis, & in quartanis circuitibus, in quibus febres soluuntur, & rursus redeunt, remanet tamen quædam dispositio præter naturam in corpore, à qua secundum circuitum febres & alij casus generantur.

LXIIII

QVibus in febribus morbus regius septimo, vel nono, vel vndecimo, vl'quartodecimo superuenerit, bonum, nisi dextrum ilium obduruerit, si vero non, non bonum.

QVi ante hunc scribitur aphorismus, absque ordine mihi videtur fuisse interiectus. Melius eñ fuisset hūc qui nunc scribitur aphorismum, illi fuisse coniunctum, in quo ait: Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum. vt totus sermo talis procedat: Ante septimum quidem diem morbum accidere regium, malum omnino: post septimū vero, optimum: nisi dextrum ilium obduruerit, id est nisi aliquis malus affectus ex ijs quos antea diximꝰ, visceri hepati acciderit. Expurgato enim in ipso sanguine, & bile translata ex venis ad meatus bilem recipientes, siue obstructio fuerit in locis ad quę transfertur siue inflamma-

tio aliqua, vel durus tumor: necessarium omnino non expurgari sanguinem, & vnà cũ ipso bilem per totum corpus deferri, & hinc morbum regium generari.

LXV




N febribus circa ventriculum & fortis æstus, & cordis morsus vel dolor, malum.

QVòd non solum ei visceri quod sua natura palpitat, cor, nomẽ fuit apud antiquos, sed etiam ori ventriculi, pro confesso habetur apud oẽs: sicuti etiam quòd cardialgian, id est cordis dolorem, huius partis dolores appellant: & verbum cardiossein apud græcos, plurimi exponentium aphorismos, pro cardialgein, id est cordolere acceperũt: nõnulli ipsi9 visceris motum quẽdam palpitationi similem, per cardiogmon verbum intellexerunt. Fortis itaque ventriculi æstus à flaua bile in ipsius tunicis ebulliente generatur. Rationabiliter autem ĩjs qui ita affecti sunt, & ventriculi mordetur os, atque ob id malus est casus. Si quis vero per cardiogmon verbum, quo Hippocrates vtitur in aphorismo, crebrum & velocem cordis motum, & præcipue etiã similem palpitationi intellexerit: extremum ex eo malũ significatur, vim scilicet vitalem maximo incendio laborare.

LXVI



N acutis febrib9 conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum.



FEbres vehementes, veluti ignis neruos exsiccantes, eos extendunt atque conuellunt, atq; hoc modo malas afferunt conuulsiones. Nonnunquam vero & viscera ipsa in tali affectu dolorem sentiũt, propter incendĩj vehementiam, ac siccitatem: atque idcirco malum esse inquiunt. Peior autem fuerit si fortes dolores acciderint. Scim9 autem quòd propter inflammationem, vel erysipelas, vel fortem obstructionem, vel abscessum aliquem, in visceribus dolores fiunt: sed nõ fit ve-

risimile vt de his nunc sermo habeatur ab ipso. Manifestũ enim in ipsis periculum, quod neque necessario adiungitur cõuulsioni. & cum Hippocrates in febribus dicit morbos febriles, intelligit quãdo febres ipsę sunt passio, & nõ casus partis alicuius quę aliquo dictorũ affectuũ laboret.

LXVII

IN febribus, ex somnis timores, vel cõuulsiones, malum.

DIctum ab ipso & antea fuit quòd somnus lædẽs ægrotantem, mortalis: est quia utem non lædit, non est mortalis. vbi & exemplũ sermonis adijciens, inquit: Vbi delyrium somnus sedat, bonum. vti somno existẽte aliquo ex quo delyrium nõ sedatur, sed excitatur aliquando ac generatur. Verum & hic alia dixit exempla noxæ ex somno aduenientis, timores, ac conuulsiones. Quidam vero non timores scribunt, sed labores: & quidem nos sępe vidimus in morbis exitialibus & timores & labores & conuulsiones factas ex somnis. Hoc autem videtur contingere quãdo in somnis ad cerebrum humor infestus peruenerit, tunc magis intra quàm extra natura mota. Et quidem sicuti à cibo ad somnum cõuersi, implent caput: sic in plethoricis dispositionibus, somni ipsum replentes, aggrauant cerebrum. Si igitur ea multitudo magis ad atræ bilis naturam vergit, timores fiunt: sed si talis non fuerit, labores ac conuulsiones. Et somni videlicet semper nocerent, quatenus ad profundũ & viscera materia fluit, nisi coctionis ratione plus afferrẽt vtilitatis quàm sit damnum quod ex motu ad interiora consequitur. Non solum autem in cerebro ipso mali humores aceruati tales afferunt casus, sed & in ipso ore ventriculi: quare & in somnis magis euaporant, cum incocti permaneant: sicuti coctiones vtiles somnos inducunt.

LXVIII

IN febribus spiritus offendens, malũ. conuulsionem enim significat.

SPiritum nunc audiendum est ipsum dicere, sicuti in Prognostico, respirationem: qui vbi offēdit, hoc est in medio sui interruptus substiterit, conuulsionem significat. Etenim fit mouentibus thoracē musculis ac neruis iam conuulsioni paratis: qua dispositione insuper aucta, & plures occupāte partes, manifesta conuulsio hominem appręhēdet. Cum vero duplex sit in respiratione motus: alter quo spiritus fertur ad interiora, inspiratio dicitur: alter quo ad exteriora, contrariam accepit appellationem, expiratio nominatus. Offendit autem spiritus aliquādo quidem inspirātibus, sicuti cū ipse dicit, Duplex intro reuocatio, veluti adspiratio. Aliquando expirātibus, sicuti cum dicit, Et spiritus offendit extra delatus. In his igitur vtriusque partis respirationis seorsum meminit. In proposito vero aphorismo de tota ipsa pronuncians, inquit: Spiritus offendēs. siue in motu ad intra, siue ad extra, siue ad vtraque tale quid patiatur.

LXIX

QVibus vrinæ crassæ, grumosæ, paucę, non sine febre, multitudo veniēs, ex his tenuis iuuat, præcipue vero tales veniunt quibus ab initio, vel breui sedimen inest.

NOn simpliciter vrinas crassas dixit, sed & grumosas adiecit, duorum alterum ostendens, vel crassitudinis quantitatem, vel consistentię inæqualitatem ac diuulsionem, ita quòd plures veluti grumi ipsarum consistentię circunscriptæ appareāt. Nōnulli vero non grumosas scribunt, sed cœnosas, sicuti Mimisianus & Dionysius: siquidem per hoc verbum fœtorem quendam simul ostendentes, plus aliquid quā alij demonstrantes: si vero quasi crassitudinis quantitatē, nihilo plus hoc ipso docētes. Sermo vero Hippocratis totus non videtur de vrinis esse fœtorem habētibus, sed de paucis tātum, ac crassis, vt ex opposito manifestat inquiens: Multitudo ve-

niens, ex his tenuis iuuat. Quare si hoc solum scriberetur: Quibus vrinę crassę paucę: nihil sermoni deficeret. Fiunt autem & sine febribus vrinæ tales, natura expurgāte per renes totius corporis superfluitates. Fiunt autem & cum febre: in quibus quispiam forte existimaret ad contraria transmutationē nō esse bonam: quoniam magna ex parte in febribus, ex vrinis ab initio tenuibus fit ad crassiores cōuersio, tendente iam morbo ad solutionē. atq; ideo mihi videtur ita scriptus ab ipso fuisse aphorismus, id quod raro accidit, edocente. Contingit enim aliquando vel per initia morbi, vel non multopost vrinas factas, crassius habere sedimen. His igitur vrinis sedimen bonū signum nō est, sicuti aliis quę ab initio tenues existētes, ratione totius morbi cōctionis sedimen capiunt. Non absq; ratione autem crassę vrinę sunt multitudine paucę, vt quę vix renes pertranseant. Cum itaque & simul maior pars talium humorum malorū fuerit euacuata, simul autem & residuū concoquitur: tunc excernūtur multo prioribus tenuiores. Melius enim si ita dicatur & nō tenues, absolute: quemadmodum dixit Hippocrates. Quæ enim secundum naturam sunt, non simpliciter tenues existunt, sicuti neque crassę, sed medium tenent inter vtrūq; excessum; & cum mediocritatem habeant, crassiores quidem sunt atq; dicūtur aquosis, tenuiores vero grumosis. multæ vero cum ratione excernuntur, quia prius fuere retentę: quo tempore crassę existentes, difficulter exibant.

LXX


Quibus vrinæ perturbatæ quales sunt iumētorum, iis dolor capitis vel adest, vel aderit.


Hunc nonnulli aphorismū cum superiori coniungunt, tanquā eius partem, ita scribētes: Quibus vrinæ obuersæ, hisce dolores capitis. Et volunt quidam verbū, obuersę, contrarias ostendere iis quas antea grumosas nominauit: nonnulli vero ipsas vrinas perturbatas. Falsum autem est quòd vrinæ tenues sint cū do-

lore capitis. Videtur enim dolores capitis aliquādo antecedere, aliquādo simul esse cū perturbatis vrinis. & qualesnam hę sint, manifeste mōstrauit inquiēs, Quales sunt iumentorum. & tales fiunt materia crassa ac densa à calore agitata. Hę enim videntur maxime & ab extrinseca caliditate in spiritum solui, sicuti bitumen, pix, atq; resina. Nonnullę igitur vrinæ longo tempore manent perturbatę, nonnullę vero cito sedimen crassum habēt, & cito morbum solutum iri significant. Quę vero non resident: si vires affuerint, longum fore morbum ostēdunt. si imbecillitas adsit, ęgri mortem prænunciant. Hæc quidem ex superabundanti à nobis sunt dicta, quoniam non carent vtilitate. quæ vero ad ipsum attinentia aphorismū adhuc dicere oportet, sunt ista: Vrinis perturbatis, capitis dolores necessario aut adsunt, aut aderūt, vt inquit Hippocrates, quoniā spiritꝰ flatuosus vnà cū calore prōpte fertur ad caput. Nō tamē si qs dolet caput, aut doliturꝰ est, huic omnino tales sunt vrinę futurę. Fiunt enim dolores capitis etiā ex calore solo, nonnunquā vero ex flaua bile, quę vel in capite vel in ventriculo continetur, & ex humorū abundantia caput opprimente, vel propter aliquā loci obstructionem, vel spiritu flatuoso habente in parte ipsa generationem: quorum nihil talem facit vrinam ex necessitate.

LXXI



QVibus septima iudicatur, iis nubeculam habet quarta die vrina rubeam, & alia, ex ratione.

SIcuti in pluribꝰ aliјs seipsos imperitos artis Hippocratis ostenderunt plurimi eorum qui eius librū exposuerunt: sic & in isto. Putant enim adiecta fuisse aphorismo, Et alia ex ratione: quæcunq; circa somnos, vel vigilias, vel respirationē, vel accubitum, vel surrectionem, vel tale aliquid, in Prognostico scripsit: vt si hęc omnia bene facta videantur, post septimum futuram speremus iudicationem. Videtur autem ignorare capita maxime ad pręcognitionē facientia. Vigilant enim ma-

gna ex parte, & grauiter se habent, ac febriunt vehementius ægri quanto iudicatio appropinquat. Plures vero eorum prope iudicationem spirant difficulter. Non igitur neque quod ex vrinis apparet signum, sine talibus casibus fit ad firmiorem futuræ iudicationis spem, sed multa alia quæ frequentius quàm istud apparent, de quibus nihil videntur cognoscere qui audent Hippocratis commentarios exponere priusquam totam ipsius artem perdiscāt. Nam cum quarta dies sit index, quemadmodum ipse edocuit, & qualis sit futura septima, nūciet: omne quod in ipsa dignum effatu signū coctionis apparuerit, futuram septima die iudicationem ostendit, adeò quòd non solum rubra aliqua nubes apparens, antea non visa, iudicationem significat, sed & alba multo plus ipsa, adhuc autem magis & sublimamentum album, æquale, atq; consistens. Si vero velociter admodum morbus moueatur: & mutatio coloris & substantiæ sunt sufficientia signa futuræ iudicationis. Tenuis itaq; vrina si mediocriter crassa efficiatur, & si alba russa fiat: in tali morbo iudicationem significat. Vnius itaq; signi nominatim Hippocrates meminit, vrinę scilicet rubrę. Dignum autem existimat, vt sicuti hoc, ita & alia ex ratione intelligamus quęcunq; futuras iudicationes ostendunt. Sunt autē hæc quæ in diebus ab ipso vocatis indicibus & contemplabilibus, fieri consueuere vel in vrinis, vel in excremētis alui inferioris, vel sputis. semper enim hęc talia omnia iudicationes significant, non tamē bonas semper. Solis enim coctionis signis in diebus cōtemplabilibus apparētibus, bonę futurę iudicationes indicantur. Sensus ergo verborum aphorismi talis est. Meminit autem nubis rubeę tāquam signi perrari. Albę enim frequentissime apparent: & sunt signum coctionis manifestum. Rubeę vero raro fiunt: & nisi hoc in loco de ipsis dixisset Hippocrates quòd in diebus indicantibus apparentes futuram nūciant iudicationem, forte nemo talem ipsis adesse vim expectaret: siquidem Hippocrates colorem rubeum quidem salutarem, diutinum tamē esse vult. Nam in Prognostico ita ad ver-

bum scribit: Si vero vrina fuerit subrubea, & sedimẽ subrubeum & leue: magis quidem hæc diutina quàm illa, sed admodum salubris. Nunquid igitur quarta die talis nubes apparens, futuram in septima iudicationem significabit, in alia autem aliqua indice non significabit, diligentius est inquirendum: quod in ipsis operibus est obseruandum. Nam quantum ad rationes attinet, sunt ad vtrãque partem argumenta, & magis ad alteram, quòd nõ significabit, nisi morbus valde vehementer moueatur. Nam si quarto die fiat, ęquale tẽpus priori id quod sequetur, assumens: nõ est impossibile quod iudicationem ostendat. In vndecimo autem apparens, non mihi admodum videtur tribus solis egere, sed etiam pluribus. Verissimum siquidem est colorẽ talem aliquid suffragari solutionibus. Ego quidem raro signum tale in aliis diebus vidi præter quartum. Cui vero in septimo apparuit, hic quartodecimo fuit iudicatus. cui vero quartodecimo, hic in vigesimo. Apparuit autem cuidam alteri in vndecimo, qui decimoseptimo iudicatus est: & cuidam alii in eodem vndecimo rursus, qui vigesimo die fuit iudicatus.



LXXII

Vibus vrinę albę & perspicuę, malę; presertim si in delyrãtibus appareãt.



Rinæ tales extremam cruditatem significant, quare & morbos longos faciunt. quędam vero ex ipsis, cũ anticipauerint vires dissoluere, sunt perniciosę, veluti in delyriis. Nullum etenim vidi delyrãtem, in quo talis vrina apparuisset, saluatũ. Melius siquidem est vt sicuti totus morbus est biliosus, sic & vrinę appareant biliosæ. Aquosę autem vrinę (tales enim sunt albæ atq; perspicuæ) magnam cruditatem ostendunt, & pręterea flauam bilem ad caput solũmodo rapi. Quibusdam enim vrinæ perspicuę, non tamen albæ, quæ scilicet tenuem habẽt substãtiam, colorẽ vero biliosum. Quæ vero perspicuę sunt & albę simul, sunt penit9 aquosę. Si igitur simpliciter scriptum sit, Maxime vero in delyrãtibus,


horum verborum intellectus est manifestus. Si vero fini sermonis adijciatur, sicuti in alijs exẽplaribus videtur adiectum, verbum apparent, sensus erit talis: Aquosæ vrinæ malæ sunt: præcipue vero tales apparent in delyrantibus qui exitio proximi sunt. Neque enim in omnibus, quemadmodum nonnulli libri expositores audierunt, nihil sciẽtes ex ijs quę in ægrotis apparent. In quibusdam exẽplaribus ita scriptus est finis aphorismi: Præcipue vero in delyrantibus tales apparent. & est idem intellectus qui secũdę scripturę antea à nobis dictę.

Alia aph: tertio

LXXIII



Vibus ilia suspensa murmurantia, lumborum dolore superueniente, iis alui humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat. hæc vero in febribus.



Lijs suspensis, hoc est ad maiorem tumorem ex multis causis deductis: quarum vna est propter spiritum flatuosum (de hac nunc differit) simpliciter facta: nonnunquam ex aliquo affectu difficilem habente solutionem partium ad aluum attinentium: nõnunquam vero ex aliqua recenti occasione. Distinguit autem & Hippocrates ista. Nam prior dispositio neque cũ murmure fit. Extenta enim atque inflata instar vtris ilia in ea repręsentantur. Altera vero cum murmure. Sic autem nominatur spiritus sonus cum neque magnus neque mult9 extiterit, cum quadam autem modica humiditate ad inferiora euacuatus. Et quidem accidit tali murmure descẽdẽte ad lumborum loca, vnà cum ipso iliorum tumorem deportari. vnde partib9 quę hic sunt, ex ipso distẽtis, prouenit dolor: deinde hoc pacto humore aliquando ad corpus distributo, solus spũs flatuosus emittitur, nõnunquam vero vnà cum humore. & quidem humor distributus magna ex parte per vrinas excernit. Recte ergo inquit in dictis signis aluum dirumpi, nisi anticipet seorsum quidem

Ilia suspẽsa + vri.

Murmur qd

humor distribui, seorsum vero spiritus in intestinis retentus per sedem excerni. Contingit vero quandoque vtrūque ad corpus distributum, videlicet & spiritū & humorem, cito ad vesicam permeare. Quod vero in fine aphorismi scribitur; In febribus vero hæc: tale aliquid mihi videtur ostēdere, A febrib9 molestari dicebant antiqui illos qui absque inflāmatione, vel abscessu, vel erysipelate, vel (vt simpliciter dixerim) absque aliquo membro præcipue affecto, ægrotabāt. Quòd si propter lateris inflammationem, vel pulmonis, vel talis partis alteri9, febricitarēt: non febricitantes ipsos nominabāt, neque à febribus molestari dicebant: sed pleuriticos aut peripneumonicos, & aliis similibus nominibus, veluti hepaticos & lienosos appellabant. Nunc itaque mihi videtur Hippocrates duorum alterum velle insinuare, vel quòd hæc quæ dixit, febrib9 accidunt in quibus nullum mēbrum affectum est: vel quòd & illis accidunt morbis, non tamen ipsis aluus dirupta sit, vel flatus aut vrinæ prodierint. Neq; em aliquo naturę motu mēbris spiritum flatuosum expellentibus, murmur in illis contingit fieri, sed veluti casum tantummodo.

LXXIIII

QVibus speratur abscessum futurū ad articulos, liberat ab abscessu vrina multa, crassa, & alba facta, qualis ī laboriosis febribus quarto die quibusdam incipit fieri. Si vero etiā ex naribus fluxerit sanguis, breui admodum solutio fit.

DIctum est à me etiam prius quòd abscessus fiūt ad articulos iis qui in his laborem passi sunt, & quibus quouis modo in morbo articuli lassati sunt, & præterea in quibuscunque crassorum humorum multitudo longo tēpore perdurauerit. Si itaque natura valuerit per vrinā expurgare corpus, æger ab abscessu liberatur, humorem ad articulos decubiturum, per vesicā euacuans. Satis aūt habuit laboriosarum febriū veluti in quo-

dam exẽplo meminisse, quæ initium ad vrinam motio-nis in die indice accipiunt. His enim laboriosis hoc inest, quod cito abscessus faciãt, non expectãtibus, vt alię, tem pus prolixius. His vero ipsis & iuxta aurẽ fieri abscessus consueuere, sicuti aliȷ̃s prolixioribus multitudo plus ad inferiora decũbit. Quibus igitur caliditas maior magis materiam subleuauit: vel sanguinis profluuium patiũtur, aut parotidas, id est iuxta aures abscessus habent. Quòd autem solutio hęc ocior fit altera per vrinas, non oportet dicere: quare & in ipsa adiecit Hippocrates: Et breui admodum solutio fit. altera quæ fit per vrinas euacuatione plures exigente dies. Quod autem quarto die dicitur, pro exẽplo positum est: te vero oportet transferre ad omnes dies alios quicunque sunt contemplabiles & iudicatorȷ̃.

LXXV

SI sanguinem aut pus mingat, aut renum aut vesicę exulcerationem significat.

Siue in renib9, siue in vesica vlcus factum fuerit, si quidem in vase aliquo effatu digno cõstiterit, & pręcipue cum aliqua exesione: sanguinis excretio consequitur, sine hoc autem puris tantũmodo. Contingit autem vt facto vlcere in aliquo vrinæ meatuum, & pus & sanguis per vrinam exeat. Hi vero renes ac vesicã interiacent, & oportet hos illis subaudire. Exulcerãtur autem magna ex parte ȷ̃s qui in renibus lapidẽ habẽt, meatus vrinarȷ̃, quando à lapide aliquo acuto aut admodum aspero in ipsis intersepto excoriantur. Vlcera aũt si in pene fiant, etiam sine vrinis & pus exit & sanguis. Exit autem & simul cum vrinis aliquando pus dirupto abscessu in aliquo aliorum locorum. Quare & plures expositores alteram scripturam magis probarũt, in qua cõiũctio, et, scribitur, in hunc modum: Si sanguinem & pus minxerit, renum aut vesicę vlcerationem significat. quasi altero solo scilicet pure per loca vrinę exeunte, fieri possit vt sit signũ non modo renum vel vesicę exulceratæ, sed etiam alicui9

Dnũa ig ab alic! mẽroe. pu̇ẽ ... sang(mite

partium superiorum. Forte igitur & hi aliquid dicũt. Forte autem & verbum, mingat, quod aliud ostendit quàm minxerit, in seipso continet distinctionem. Neque enim idem est vel ita dicere, Si sanguinem & pus mingat. vel illo modo, Si sanguinem & pus minxerit. In vno enim vel duobus vel tribus diebus potuit minxisse pus dirupto abscessu ad vrinę instrumẽta. Multis autẽ diebus ac mensibus vbi hoc factum fuerit, renum aut vesicę exulceratio significatur. Quod autẽ ipsorum magis, & dolor distinguit qui in differentibus accidit locis: & ea quæ cum vrinis excernuntur: de quibus deinceps loquetur. Et quidem de vrinarijs meatibus eadem est ratio.

LXXVI



Vibus in vrina crassa existẽte, carunculæ paruæ, aut veluti capilli vna exeunt, iis a renibus excernitur.



Paruę quidem carunculę renum substantię indicia sunt: qui vero vti capilli, nullo modo renũ. Neq; enim fieri potest vt ad talem substantiæ formam ren dissoluatur. Qui enim hoc aiũt, renum ignorant naturam. Sed neq; vesica resoluta aut exesa, vt quibusdam visum est, tales vrinę exeunt. Sũt enim huius particulę, foliorum similes magis, sicuti & Hippocrates paulopost eas squamas appellat. Sed veritas ita se habet: qđ nobis forte quadam sæpius videre contigit: sed alij quidã medici, quantũuis in operibus artis multũ exercitati, raro se aiunt vidisse vrinas tales. Vocant autem medici hanc passionem capillitium, quoniam capillis similia sunt, & albis magis similia apparent quę in vrina ferũtur. Nuper autem quidam talia corpora tam longa mingebat, vt incredibilis lõgitudo videretur. nam quidam ex ipsis ad dimidium cubitum extẽdebantur. Hic vero toto ferè anno qui antecesserat, in vsu cibario habuerat orobum, & fabã, & sępissime caseum tenerum ac siccum. Et pluribus alijs talia mingere contigit, qui cibis crassioribus vescebantur. Tali igitur humore in renib9 vsto, capillis similes sub-


stantię generantur. Et quidem modus ipse curãdi, rationi quæ de causa habetur, attestatur. Nam ab extenuantibus atque incidentibus medicinis, adhibito etiam alio victu humectante, ægri curantur. Si vero tanta esset exulceratio renum aut vesicę, quòd eorum substantia dissolueretur: non modo nihil ex talibus medicinis iuuarentur, sed supra modũ irritarẽtur. In his itaq;, sicuti & in alijs, Hippocrates dignus est admiratione, eorũ inuentor quę à plu rib9 medicis ad hũc vsque diem fuere ignorata. Ipsa quoque sermonis diligentia magnã habet admirationem, cũ dicat talia ex renibus excerni. Neque enim sicuti in priore aphorismo renum causatur exulcerationem, ita & nunc dixit: verum simpliciter ex renib9 inquit excerni: quemadmodum si aliquo mingẽte lapidem, ex renibus ipsum excerni dicamus, non quòd sit pars substãtię eorum, sed quoniam in ipsis suã habuit consistẽtiam. Paruæ igitur caruncule substãtię renum vlceratorum partes existũt. Qui vero veluti capilli: in renibus quidem consistentiam accipiũt, veluti alij lapides: non sunt aũt partes eorum substãtię. Male ergo in omnibus exemplaribus hic aphorismus sine particula, aut, legitur, Carũculę paruę veluti capilli. Nullo enim modo carunculæ paruæ assimilantur capillis. Verum oportet inter verbum, paruę, & alterum, veluti, mediam ponere dictionem, aut, tanquam Hippocrates non de vna re, sed de duabus faciat suo sermone mentionem, quarum vna est, Carnes paruę: altera vero, Veluti capilli. In ijs igitur quę sunt veluti capilli, semper vrina est crassa: cum pituitosa substantia quam venæ aggregarunt, per renes expurgetur. In carũculis autem non est necessarium. Nũquam tamen talem vidi renum dispositionem: sed quæ sunt veluti carunculę, sępius à me visę sunt in illis febribus in quibus & quæ sunt similia orobis sedimina conspiciuntur, sanguine crasso in renibus aut in hepate exusto. Non tamen veras carunculas vnquam vidi cum vrina exeuntes. Puto igitur posse contingere quòd crassa vrina ab ipso dicatur quę secũdum naturã est mediocris. Hęc eñi tenui quodãmodo opponitur. Neq; nõ

latet quòd proprie quidē secūdum excessus oppositiones ita nominātur: per abusionē autem, & medio & mediocri, extremorū nomina tribuūtur: cū & ad maxime crassum, tenue: & ad maxime tenue, crassum nominet. Qđ si ita audiuerim9, sermo talis erit: Quibus in vrina quę tenuis nō est, ea quę diximus, exeunt: renū est passio. si vero vrina sit tenuis, totū venosum patitur genus. Eundē intellectū mihi videtur etiā in sequenti ostēdere aphorismo.

LXXVII



Vibus in vrina crassa furfurea quædam simul exeunt, iis vesica scabie laborat.




Vādo vrina tenuis fuerit: haud secūdum naturam venę se habēt. Cum vero non tenuem, sed mediocrē habuerit substātiam: (in quo significato crassa accipere oportet hoc loco) ea quę simul cū tali vrina excernūtur, circa renes aut vesicam passionē ostēdunt. Cū enim ex venis vrina veniat, in renibus autē percoletur, in vesica vero aggregetur: quicquid in ea præter naturā apparuerit, aut venas aut renes aut vesicam malę se habere indicabit, sicuti & nūc furfurea vesicam scabie laborare, quando venæ nullum affectū habent. Feruntur enim & ex ipsis aliquādo furfurea, cum earū tunica patitur, quemadmodū & vesicę: vel cum sanguis qui in ipsis cōtinetur, à febre ardēte peruritur. Aptior autē ad hoc est quicunq; humor in eis crassior existit, & magis qui veluti fęx sanguinis est, quē solemus humorē melancholicum nominare. Sicuti enim cutis supficies (quā cutem superiorem nomināt) in scabie, lepra, atq; lichenibus tenue quid abijcit: (quale quod serpentū senectus nominatur) sic vbi in partibus interiorib9 ea quæ est veluti cutis, tale aliquid patitur: & casus erit passionis similis. Hac ratione igitur & venę ipsę atq; vesica scabie laborantes, furfureos cortices vnā cum vrinis emittent. Distinctio autem fiet ex tenuitate ac crassitudine vrinę, vt antea diximus. Tenuis enim vrina venas, nō tenuis autē vesicam pati indicabit.


LXXVIII


Vicunque sponte sanguinem mingũt, iis a renibus venulam ruptam significatur.


Vod dicitur sponte, potest idem quod sine causa exteriori, ostendere: potest & quod veluti repente, nullo casu pręcedente, quales apparẽt vesica vlcerata. In ipsa enim venam rumpi ex influentis sanguinis abundantia, quemadmodum in renibus, est impossibile. Neque enim per eius venas sanguis percolatur, sed solum tantum quantum ipsi sufficiens contribuitur. Praeterea neque venæ quę in vesica, nudæ aut inuestes natura sunt, sicuti quæ renum ventres subintrant, quarum ora aperiuntur, & quæ aliquando dirumpuntur propter humorum multitudinem ac crassitudinem qui in ipsis continentur. Diruptio itaque puris, sanguinis facit euacuationem. Ora autem aperta non vniuersim sanguinem effundunt, pręsertim cum parua est apertio, sed paulatim atque tenuius percolant: vnde totam vrinam subsanguineam efficiunt. Fit autem, vt dixi, & venis vesicę ex exesione laborantibus, sanguinis euacuatio, quam antecedũt vlceris signa in vesica existentis, hoc est & loci dolor, & pus, & ipsius corporis vesicæ quædam veluti frustula. Hac ratione igitur melius verbum, sponte, pro repẽte, accipere: & nõ pro, sine causa manifesta. siquidem sanguis ex renibus sæpius & sine causa excernitur manifesta, vase ex multitudine rupto, sed aliquando ob saltum vehemẽtiorem, vel ex alto casum, vel ictum.

LXXIX


Vibus in vrinis arenosa subsistunt, iis vesica laborat calculo.


On omnino vesica laborat, sed contingit & renes: quare manifeste errat aphorismus, siue quia Hippocrates ipse dimidiã partem sermonis neglexerit, siue quia primus librarius omiserit. Siue enim in

renibus, siue in vesica calculi generantur, vnà cum vrinis exeunt arenosa.

LXXX

SI sanguinem mingant, aut grumos, vel stillicidium vrinę habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinē, & fœmen, circa vesicam labor est.


DVobus modis finis scribitur aphorismi. in quibusdam exēplaribus, labor est. in quibusdam, morb9 est. & ferè in hoc nihil inuicem scripturæ differunt. Communiter autem ambę errant, si quis intelligat circa vesicam ab Hippocrate dici quasi ipsam vesicam laborare dixisset. Nam ĳ quos memorat casus, cōmunes sunt omnibus quę vrinæ seruiunt instrumentis, vesicæ, renibus, vrinarĳs meatibus. Meli9 itaque hoc modo quæ circa vesicam, accipere, non tanquam sola vesica significetur, sed & partes quę illi annectuntur. Adhuc autē magis vt ita accipiamus, hortabitur sequens aphorism9, in quo non quę circa vesicam, ægrotare dicit, sed ipsius vesicę esse exulcerationem: cum nō idem sit, pati aliquid ipsam vesicam, enunciare, vel quæ circa vesicam.

LXXXI

SI sanguinē aut pus minxerit aut squamulas, & grauis odor adsit, vesicæ exulcerationem significat.

SAnguinem quidem & pus vbi quis minxerit, omnium instrumētorum quę vrinæ obseruiūt, sunt signa communia, odor autem grauis, hoc est molestus: adhuc autem magis & squamulæ sunt propria vesicæ. In pluribus igitur exemplaribus, Si sanguinē & pus minxerit: scriptum inuenitur. In quibusdā vero, Si sanguinē vel pus minxerit. Ostēdet aūt hęc scriptura secūda coniūctionem aut, esse ob disiūctiuam, quasi vtrūlibet horū quę dicta sunt, significet vlceratione: altera vero vult ambo assidere, vel simul inuicem, vel alternatim.

LXXXII




Vibus in vrinaria fistula tubercula nascuntur: iis suppuratione facta & eruptione, solutio.




B sermonis breuitatem nihil effatu dignum hoc haberi aphorismo suspicabitur quispiam. Promptū enim est vnicuique intelligere quòd in meatu vrinario qui in pene est, (hunc enim meatum, fistulam vrinariam nominant) si consistant tubercula, & mox rūpantur, fieri solutionem. Verum si diligētius animaduertimus, maius aliquid ex eo ostēditur. Contingit enim vrinam aliquando retineri ob tale tuberculum: ex cuius diruptione sanitas proculdubio sequetur. Verū ex dictis quędam dubitatio suboritur, vtrum solum velit hæc quæ in hoc loco sunt nata tubercula, rumpi, vel sæpius quidē hoc accidere, fieri tamen posse vt etiam dissoluantur: vel exēplum solutionum vnum hoc aliquod scripsit, diruptionem: quod verius existit.

LXXXIII



Ictio noctu plurima facta, paruam significat deiectionem.



Vòd quidem necessarium sit ventris humore distributo, minorem fieri alui deiectionē, vnicuique manifestum. sed cum hoc & vnà illud apparet, quòd eo vnà cum cibis exeunte, aluus quidem humidior fit, atq; ideo plura deijciet, vrina vero paucior excernetur. Docebit autem nos hæc ipsa ratio & alui fluentis, & siccæ remedia. In quib9 enim supra modum humida aluus deprehēditur, ijs potum minorem exhibebimus, ac pręterea illi viam ad vesicam parabimus. in quibus vero siccior, & plus dabimus potus, & distributionē quantum fieri poterit, prohibebimus.

APHORISMORVM GALENI IN Hippocratis Aphorismos Liber quintus, interprete Nicolao Leoniceno.

I



CONVVLSIO ex elleboro lethalis est.

Iis qui elleborum acceperunt, album scilicet: (hunc enim simpliciter elleborum nominare consueuerunt, non sicuti nigrum, cum adiectione) iis inquam si ex purgatione conuulsio aduenerit, casum ait esse lethalem. Fit enim non ab initio purgationis, quando periculum est ne homo stranguletur: sed quando vomentes vehementius lacerantur, propter ipsam quidem maxime quę fit in motibus distentionem laborantibus neruis, ob illam quam habent cum orę ventriculi in patiendo societatem: in quo & alias vidimus, vbi fortius mordetur, fieri conuulsiones, sicuti adolescenti qui ęruginem euomuerat. Præstat enim ęruginem, non ęruginosum vomitum illum nominare. Erat enim talis qualis quæ vera ęrugo nominatur, florentissimus: verum inter vomendum, totum corpus conuulsum est: & ęrugine euacuata, febris statim & conuulsio cessauit. Tale autem erat quod euomuerat, sicuti si quis optimam ęruginem aqua perfunderet, adeo vt ex eorum vnione talis substantia exultaret, quæ defruti crassitudinem repræsentaret. Non impossibile est igitur (vt dixi) & per compatiendi ad os ventriculi societatem, fieri conuulsionem ex elleboro albo: & hæc foret conuulsio minus periculosa. Contingit autem & propter ipsam euacuationem supra mo-

dum ipsis purgatis conuulsionem aduenire:sicuti & cholerā patiētibus,contractiones frequēter adueniūt,& sępius ac maxime eorū qui sunt in suris musculorum. Sed neque & illud est impossibile, propter pharmaci efficaciam ex neruis humiditates ad se attrahentis, ex hac passione fieri conuulsionem. Sed & ellebori aliquando vi ad sui distributionem impulsa vehementius, contingit neruorum substantiam violentius exsiccari. Ipse eñ nos docuit Hippocrates quòd fit conuulsio ex repletione & inanitione, corporum videlicet neruosorum, à quibus secundum electionem motus perficiuntur. Sunt autem hęc, nerui, ligamenta, musculi, & tendones. Sicuti enim in exterioribus videmus lora & chordas extētas, vbi vehemētius exsiccentur, aut multa madeant humiditate: sic & in corporibus animalium par est fieri non raro conuulsionem. Liquet igitur quòd ex repletione conuulsio, sanabilis est per euacuationem. Ea vero quę fit ex inanitione, & neruorū siccitate, non facile admittit curationem. Fit autem (vt dixi) & propter cōpatiendi societatem conuulsio: quā non debemus existimare fuisse ab Hippocrate pręter missam. Eam enim quæ primum fit conuulsionem ostendit, cum ait conuulsionem ex repletione atque inanitione generari. Et quidem nouim9 etiam morsus ratione fieri in ore ventriculi singultum, adeò vt quispiam & neruos itidem pati existimauerit. Et videbitur ista conuulsio ijs qui ab elleboro purgati sunt, non dicta ab Hippocrate, aliquādo fieri: nisi per Iouem illam dixerit quispiā fieri ex inanitione, cum humores mordaces vim habeant exsiccandi. Hi itaque modi sunt eorū qui ex elleboro conuellūtur. Sanatur autē ex ipsis & qui ꝓpter morsum, & qui propter distentionē ex vomitib9 fit. quæ aūt ex siccitate accidit, insanabilis est. Nō absque ratione igitur totū hoc genus Hippocrates ait esse lethale, quoniam nōnullæ eius species cū difficultate sanantur. Vna autem insanabilis est.

Caph. 39

II

Conuulsio ex vulnere, lethalis est.

SIcuti in eo qui hunc antecedit aphorismo, mortalem dixit esse conuulsionem, (quod idem est ac si diceret periculosam, atque ad mortem sæpius terminantem)sic & nunc eam quæ fit ex vulnere cõuulsionem,lethalem dixit esse,nõ tanquam ex necessitate ac semper mortem afferentem, sed tanquam admodum crebro. Sic & in multis ex priorib9aphorismis,lethalis nomine, visus est vti. Ex vulneribus igitur fiunt cõuulsiones ratione sequẽtis ipsa inflammationis, vbi partes neruosas attigerit. Et primum quidem videntur conuelli quę è directo sunt partium inflammatione laborantium : deinde postquam & principium attigerit, passio ad totum extenditur corpus.

III




VBi sanguis plurimus fluxerit: singultus aut conuulsio superueniens, malum.




NOn aliud quidem ostendi, est existimãdum ex priori nomine lethale, aliud autem nũc cum malum dicit. Consueuit siquidem Hippocrates casus illos ita nominare, quos lethum sępe subsequitur. Si cui vero per magis & minus differre hęc nomina videantur: maius periculum per vocem lethale, quàm per malum, ostẽdetur. Quæ igitur fit ex plurima sanguinis profusione conuulsio: ex altero genere causarum ipsam efficiẽtiũ consistit, vt antea dictum est.

IIII




EX superflua purgatione cõuulsio aut singultus superueniens, malum.




QVod aliquando ĳs qui elleborum sumpserunt, diximus fieri: hoc nunc ostẽdit in omnibus qui quouis modo purgantur. Conuelluntur enim qui vltra modum purgantur, easdem ob causas quas diximus. inde ĳs qui elleborum assumpserũt, & ĳs qui hac ratione laborãt, non paruum periculum imminet, siquidẽ

peior est ea quæ fit ex inanitione conuulsio, altera quæ fit ex repletione. Quòd autem & singultus conuulsio sit stomachi secũdum Hippocratem, nos vtiq; nouimus. Singultus.

V



SI ebrius quispiam repẽte obmutuerit: conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit qua soluuntur crapulę, vocem recuperet.



REpletis neruis talis conuulsio fit. Solet autem facillime eos replere vinum, vt quod calidam habeat temperaturam. talis siquidẽ natura prompte omnia subintrat, cum pręsertim non admodum crassam substantiam habuerit. Substantiæ igitur copia neruis affert conuulsionem. Rursus autem qualitate sanat eam quam fecit dispositionem, neruos calefaciendo atque exiccando. & si hoc aliquãdo facere nequeat, mortem subsequi est necessarium. Qua autẽ vi diximus vinum sanare conuulsiones, eadem videlicet & febris sanat. Hic vero maxime obseruanda est Hippocratis consuetudo, qui mutos nominat illos qui quouis modo obstupuerunt. Verum proprie stupor nominatur totius corporis insensibilitas atque immobilitas repentina. Hanc itaq; dispositionem cõsueuit Hippocrates ex vno casuum nominare: & fit proculdubio neruorum principio patiente. Neq; enim aliter potest omnino conuelli corpus, antequam id principium patiatur, vel principaliter, vel per cõpassionẽ, altero prius patiẽte membro. Liquet autem omnem noxam ex vino factam, à græcis cræpalen nominari. Sic quidem igitur & nonnulli vocabuli fecere etymologiam, à carenon, quod significat caput, & pallesthę, concuti. Horam autem qua crapulę soluuntur, tempus nominauit. Est autem hoc tempus non præcisum neque circunscriptum omnibus vna mensura. Quidam enim postridie à crapula sunt liberati, quidam vero sequenti nocte, quidam vero tertio die. & fit hoc pro multitudine ac vi epoti vini, & Stupor?

eius qui potauit natura. Sicuti igitur neq; cibus vnum habet in omnibus tempus coctionis præfinitum, sic neq; vinum. Aut igitur oportet nos ægri naturam habere experientia compertam, aut postremum terminum obseruare: in quo si neque febricitare, neque loqui anticipauerit, conuulsus morietur.

VI

QVicunque a distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt. si vero has effugerint, sani fiunt.

DIstentio morbus peracutus est, vt quæ composita sit ex illa quam græci emprosthotonon, id est ad anteriora distētionem: & opisthotonon, id est ad posteriora distentionem nominant: ita quòd citius in ipsa fit iudicatio, non tolerante natura longiori tempore quem fert distentio laborem. In primo igitur circuitu dierum iudicatoriorum passio iudicatur.

VII

QVibuscunque morbi comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt. quibuscunq; autem vigesimoquinto, commoriuntur.

PRoprie quidē passionis mutationes nominant, quādo ex vna parte transeūt ad aliam: per abusionem autē & omnes solutiones ita nominantur. & mihi videtur Hippocrates secundi significatus vsus esse appellatione. Non modo enim ad alias partes translatis ijs qui morbum comitialem faciūt humoribus, soluitur passio, sed etiā omnino curatis. Sunt enim hi crassi, ac frigidi, & pituitosi. Cessant autem & ob ætatem ad sicciorem naturam transmutatam, & ob exercitationem, & victum exsiccantem, adiunctis ad hæc idoneis medicinis. Verum Hippocrates nunc solum eius meminit mutationis, quæ ex ætate fit: à qua docti, & formam victus

vnà cũ medicinis inueniemus. Quod igitur in altera parte aphorismorum dicit, Qui morbo comitiali laborant,si iuuenes fuerint,mutationibus maxime ætatis & regionũ & victus & locorum, liberãtur: hoc nunc in ipsis passionibus declarauit,morbos comitiales qui ante pubertatem fiũt,cessare ex ætatis cõmutatione : qui vero vltra vigesimũquintum annum processere,commori inquiens. Vnde liquet quòd pubertatis tempus,vsq; ad vigesimũquintum annum extendi arbitratur, sumens initium in secunda septimana. Liquet autem quòd neq; omnibus sanabitur passio ex pubere ætate, nisi & alia recte gesserint: neque quibus in hac accidit,omnino permanet,si bonam victus rationem adhibeant. Verum quòd non habeant ex ætate sanationem,sed quãtum ad eam attinet,passio consenescat,liquido ostendit. Non tamen adhuc manifeste dictum est, quãuis videatur manifestum ĳs qui negligentius accipiũt verba illa,Quibus vero vigesimoquinto anno,cõmoriuntur. Neque enim ĳs solis passio commoritur, quibus vigesimũquintum annum agẽtibus aduenit, sed multo magis etiam ĳs qui vltra hanc ætatẽ progressi sunt. Addẽtes igitur sermoni Hippocratis illud quod deest,verũ ex omni parte ipsum faciemus : Morbi comitiales qui quidem ante pubertatem fiunt,in eius ætatis tempore finiunt:qui vltra pubertatem procedũt,commoriuntur. Tempus autem pubertatis est post quartũdecimum annum vsq; ad vigesimũquintum. Est autem & alia scriptura talis:Quibuscunque vigintiquinq; annorum fiunt, multi cõmoriuntur. significante verbo multi,idem quod plurima exparte.

pubertatis [illegible] longũ.

VIII




Viciniq; morbo laterali laborantes,in quatuordecim diebus non repurgantur,ĭi ad suppurationem vertuntur.



Am quę fit per sputa euacuationem humorum facientium morbum lateralem,solet Hippocrates purgationem ac repurgationẽ nominare,

ſicuti & iſtos expuere,purgari,tam in libro de victu acutorum,quàm in Prognoſtico nominauit. Verum nunc & tempus præfinit purgationis: in quo ſi non fiat,ad ſuppurationem,aut morbum verti lateralẽ : eam videlicet quæ fit ad pus tranſmutationem , ita nominãs omnem,(ſicuti in Prognoſtico ſępius)aut eam quæ fit inter thoracem & pulmonem,puris effuſionem. fit enim vtrunque horum, quando morbo laterali laborãtes nõ expurgãtur per ſputa . Verum ſecundum quod diximus,ipſe in ſequentibus eruptionem ſuppurationis nominauit.

IX




Abes fiunt maxime ętatibus a decimooctauo vſq; ad trigeſimũquintũ.



N ſuperioribus aphoriſmis quando morbos ſecundum ætates enarrabat, Iuuenibus autem, inquit,ſanguinis ſputa,tabes. Nunc vero etiã numerum appoſuit annorum, non propterea eadem rurſus ſcribens quę antea,ſed propter paſſionum thoracis atque pulmonis cõmunionem. Propter quid igitur iuuenes his morbis pręcipue corripiãtur,antea diximus: de annis autem ætatum nunc determinandum,quoniam & Hippocrates dixit tabem maxime fieri ætatibus à decimooctauo vſque ad trigeſimũquintum. Quod enim ætatibus numero plurali dicitur,quandam habet ſignificationẽ quòd nõ eandem Hippocrates ætatem exiſtimat eſſe mediam inter annos enumeratos. Neque ſanè vna eſt,ſi diligẽtius conſideramus:verum ea quę eſt à decimooctauo vſq; ad vigeſimũquintum annum, adoleſcẽtium eſt:quę autẽ abhinc vſq; ad trigeſimumquintum,iuniorum.

X



Vicunque ab angina liberantur,iis ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt.ſi vero has effugerint, ſuppurantur.

DE transmutatione nūc ipsi est sermo, quæ fit ex angina ad pulmonem: quam ait plerūq; ante septimum diem occidere, ægro videlicet strangulato: si vero id tempus possit euadere, fluxione in pus conuersa, suppurari.

XI

QVi tabe molestantur, si sputum quod extussiunt, graue olet iniectū carbonibus, & capilli a capite defluūt, lethale.

EAs quæ sunt in pulmone vlcerosas dispositiōes, nunc tabes nominat, in quibus iubet odorem diligētius perpēdi, id quod expuatur, carbonibus iniiciendo. Sicuti autē prius in vlceribus vesicæ, odorem dixit grauem sentiri, ita & nunc tabidorum sputum grauiter olere. Si vero & ex capite capilli defluāt ita affectis, lethalem esse notam: quoniam & maximus alimenti defectus ostenditur, atq; aliquando humorum corruptio.

XII

QVibuscunque tabe laborantib⁹, capilli a capite defluunt: iis alui profluuio superueniente, moriuntur.

DE iis qui ex tabe iam morti vicini sunt, nūc sermo habetur: quos etiam male se habere ostenderat in defluuio capillorum. Alui autem profluuio superueniente, mortem appropinquare opinandū: cum hic casus, & mala causa, & malum signum existat. Fit enim ex virium imbecillitate, quæ præterea ex ipso casu fiunt imbecilliores.


XIII

QVicūque spumosum sanguinem exspuunt, iis e pulmone eductio fit.

ET pleraq; exemplaria, & quāplurimi huius libri expositores norunt aphorismū in hęc verba scriptum: Quicunque sanguinem spumosum euo-

munt, ĳs è pulmone eductio fit. Et quidam ipsum exponẽtes, aiunt verbum id multitudinem significare, ac propterea à proprio esse translatum: aperte mentientes cõtra id quod apparet. Sæpe enim visus est sanguis spumosus absque multitudine fieri. Si igitur ita Hippocrates scripserit, ipsum abusum fuisse vocabulo dicemus. Neque enim sanguis multus, ex pulmone eductionem significat: paucus vero, ex alio loco. Si vero spuunt, aut expuũt, scriptũ sit: tunc proprio vsum fuisse vocabulo, & ostendere sanguinem talem carnosam pulmonis substantiam (quæ est ipsius vera substantia) affectam vlceribus esse, adeò quòd vere dicatur solius pulmonis vlcera indicari, non autem vere vlcerato pulmone, ex necessitate spumosum expui. Sæpius enim vidimus quibusdam ex alto cadentibus, & calcitratis, atq; in palestra percussis, ab illa maxime ictus parte in qua cuipiam ad solum ruenti, alter super thoracem inciderit, sanguinem plurimum bene coloratum expui sine vllo dolore: quod ratio dictat ex aliquo pulmonis vase prodire.

XIIII



A Tabe habito profluuium alui superueniens, lethale.



PAulo antea dixerat, tabidis cum pus graue olet, & capilli à capite defluuunt, alui profluuio superueniente, mortem subsecuturam. Hic vero simpliciter dixit esse lethale alui profluuiũ in tabe, nulla facta neq; de pure, neq; de capillis mentione, tanquam illud solum sufficiat mortem significare, non tamen ita è proximo, neque tam cito secuturam, sicuti cum defluuium capillorum adiungitur.

XV



QVicunque ex morbo laterali suppurãtur, si in quadraginta diebus purgãtur a die qua fit ruptio, liberantur. Si vero non, ad tabem transeunt.

ADdens suo sermoni ruptionis vocabulum, manifestum se fecit de illis loqui in quibus lateris inflammatione in suppurationem conuersa, deinde dirupta, in spatio thoracis atque pulmonis intermedio pus continetur. His enim omnibus, nisi vt plurimum in quadraginta diebus puris euacuatio fiat per spuitiones purgati: necessarium est pulmonem exedi, pure processu temporis putrescente. Morbo igitur laterali diem quartũdecimum terminum posuit purgationis, suppuratis autẽ quadragesimum. Dictum autem est plenius de differentia & aliorum dierum iudicatoriorum, & horum, in eo tractatu qui inscribitur de diebus iudicatorijs. Quare si quis vniuersam illã legerit cõtẽplationẽ: ea quę ab Hippocrate de dieb9 iudicatorijs dicũtur, prõptius assequetur.

XVI

CAlidum, vbi quis sępius eo vtatur, hęc mala affert, carniũ effœminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectionem: hæc, ad quæ mors.


DE calidi & frigidi vsu immodico & modico dictum est sæpius in libro de vsu humidorum. Dicta sunt autem & hoc in loco aphorismorum omnia ferè capita, & primum hoc ipsum, quòd calidum si quis eo vltra modum vtatur, has facit passiones, carnium effœminationem, hoc est debilitatem: (dictum est enim nomen per translationem, quoniam fœmina debilior est masculo) cui adstipulatur hoc quod subiungitur: Neruorum incontinẽtiam. Hi enim fiunt imbecilles, eorũ substantia à calore dissoluta. Et mentis torpor, mentis est imbecillitas: ita scilicet substantia cerebri, sicuti etiam neruorum, dissoluta. Eodem modo & calidi vsus immodicus facit sanguinis profusiones. Sequuntur autem ad sanguinis profusiones, defectus animi, & ad hos mors, sicuti & ad alia prius dicta: sed ad illa quidem tẽpore pluri, ad

hæc quidem magis, ad hæc vero minus: ad sanguinis verò profusiones, & mentis defectus, statim. Scriptus est autem finis aphorismi vario modo in exẽplaribus: scripturæ vero omnes dictam sententiam ostendunt. Est autem vna hęc: His mors. altera vero hęc: In quibus mors. tertia hæc: Quibus mors. alia: Hæc ad mortem.

XVII



Rigidum autem conuulsiones, distẽtiones, liuores, rigores febriles.



Mmodicum scilicet frigidum hæc facit, conuulsiones, & distentiones, ob neruorum refrigerationem. Sicuti enim non oportet ipsorum substãtiam ab immodico calore dissolui, sic neque vltra modum conuenientem refrigerari, & in vnum cogi ac cohiberi, Et quidem liuores ex refrigeratione fiunt, & rigores febres aduocantes. Melius autem fuisset ita dicere: Rigores facientes & conuulsiones, & liuores, & febres. Plenius autẽ de his seorsum diximus in libro de casuũ causis.

XVIII



Rigidum, inimicum ossibus, dẽtibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: calidũ vero vtile.



Vęcũque ptes sunt natura frigidiores, (sunt autem in animalibus tales, quæcunque sunt penitus exangues) citius ac magis ab imodico frigidi vsu offenduntur: ĩjsdem autem rationabiliter calidũ conuenientius.

XIX



Væcunque refrigerata sunt, excalefacere oportet, exceptis iis quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.



Oc quod nunc dictum est, haudquaquam euertit illud theorema, Contrariorum contraria esse remedia: de quo plenius diximus in eo tractatu

qui de arte curatiua inscribitur:in quo ostẽdim9 aliud esse theorema maxime necessariũ,illa prius curari præcipiens quę magis vrgent,hoc est quę maius periculum afferũt, sicuti & nunc profluuium sanguinis. Ad hoc igitur prius obsistendum est:deinde quod passum est,ad bonam tem periem est reuocandum.

XX

Vlceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat,dolorem insuppurabilem facit,liuorem obducit, rigores febriles,conuulsiones,distentiones.

Si proprio vtamur vocabulo,calidũ mordax est: sensus autem similitudine, & frigida aqua vocatur mordax:non cum in cutem simpliciter incidit,sed vlceratam.Nam quod mordax futurum sit,eius quod morderi debeat substantiã oportet peruadere:quod in cute secundum naturam se habẽte,frigida aqua non potest efficere, quoniam densior est quàm pro eius substantia cutis.In vlceratis autem,vt quę rariora sunt,peruadere potest per eorum substãtiam,in profunda subintrans.Dictum autem est pleni9 de natura mordacium,in libris de potentia simplicium medicinarum.Vlceratis igitur frigidum est mordax: integris autem neq; mordax,& cutem facit duriorem,eius densando substantiam.Et quidem dolorem efficit insuppurabilem,natiuum refrigerando calorem,qui vlcera ad suppurationem perducit, & ea difflari prohibet quę dolorem efficiunt. Quæ autem sequuntur: & prius dicta sunt ab ipso,Et liuores, & rigores febriles, & conuulsiones,& distentiones.

XXI

Est autem vbi in distẽtione sine vlceratione,iuuene bene carnoso,æstate media,frigidæ aquę multa perfusio calorẽ reuocat.Calor autem hæc soluit.

QVæ raro iuuent frigidum ac calidum, post ea quę ante dixit, Hippocrates deiceps prosequitur: & primum quidem de frigido inquit, sicuti in distentione. Liquet autem quòd & in omni alia conuulsione, in medio æstatis tẽpore, cum bene carnosus fuerit æger, ac iuuenis, frigidæ aquæ perfusio calorem reuocans naturalem, passionem sanet. Vnde & illud fit manifestum, quòd non sua vi frigida aqua morbum tũc sanat, sed ex accidenti, quoniam iuuenibus bene carnosis reuocationem caloris facit. In alia igit̃ ætate nil proderit: quoniam neque reuocationem efficit, quãdo neque in hac vllo anni tempore, præterquam æstate media. Nam aquæ frigidę occursus aut vincit natiuum calorem, aut colligit. Vincit quidem cum debilis fuerit: colligit autem cũ fortis, ipsum difflari prohibens. Excipit autem eas quæ sunt cum vlcere conuulsiones, vt quæ nunquam ab aqua frigida sanari queant, neque si æger iuuenis, & natura calidus fuerit, & æstiuo anni tempore, ac regione calida: quoniã (vt & ipse antea dixit) vlceribus frigidum mordax, dolorem insuppurabilem facit. Iis igitur, qui in vlceratione conuelluntur ob neruosorum corporum inflammationem, contrarium vehementer est frigidum, vt quod neque vlcus sedet, neque corporum neruosorum dissoluat inflammationem.

XXII

CAlidum suppuratorium, nõ in omni vlcere magnum ad securitatem indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat: & ex iis quæ ad caput attinent, eius soluit grauitatem: plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis praecipue, eorumque maxime qui in capite vlcera habent, & quęcunque a frigore moriuntur vel vlcerantur, & repentibus co-

mesis,sedi,pudẽdis,vtero,vesicę. his calidũ amicum & iudicãs,frigidum inimicum & perimens.

Sicuti frigidum conuulsiones & distentiones facere natura aptũ,tñ sanat aliquando quãquã raro,distentionem:sic et calidum quantum ex sui natura ad suppurandum efficax,est aliquando prohibens suppurationem . siquidem vlcera putrida , & simpliciter omnia que fluxiones habent, adeo nõ suppurat calidum, quòd his etiam plurimum nocet : & hęc ambo in vnum coniunguntur, & nocere vlceribus , & minime suppurare:sicuti contra prodesse , ac suppurare,maximum est vlceri signum ad securitatem,& pus,& medicamen quod habet id faciendi facultatem. Nihil em̃ male põt aduenire vlceri pus generanti . Quæ igitur cõuulsionem afferunt, non suppurantur omnino. Similiter autẽ & quęcũque vlcera sunt putredini obnoxia , & quę ptes circũstãtes excessas habent,& quę difficulter ad cicatricem perducuntur, vniuersa minime suppurantur : & quæcunque ex malis vlceribus proprijs nominib9 insigniũtur, veluti quę cancrosa , chironia, telephia, & phagedenica , id est carnem comedentia nominantur,hæc omnia vlcera non suppurãtur. Maximum igitur signum vlceri ad securitatem, est pus : & hoc potes conijcere ex calidi vsu. In quibus enim non congruit,videbis hæc à calido insuppurabilia perdurare. Deinceps autem calidi opera quę frequenter apparent,enumerat. Etenim cutem induratam mollit,& crassatam extenuat,& dolorem sedat,& cõuulsiones ac distẽtiones mitigat: non (sicuti frigidũ)dolorem insuppurabilem efficit,quoniam est à natura nostra alienum, quæ est calor natiuus, quem coauget vbi mediocriter adhęrescit. Calor vero extrinsecus facit hæc omnia quæ dicta sunt, nonnulla concoquens, & ad melius alterans:quædam vero discutiendo atque euacuando noxia, ad sanitatem perducit . quòd si non ex toto sanat , saltem dolores mitigat. In capitis vero dispositionibus & facit hęc eadem, & eas quas καρηβαρέιας, id est capitis grauitates nominant,

ſanat, concoquens atque diſſoluens quæcunque moleſtāt. Et quidem fracturis oſſium vtiliſſimum eſt, & magis nudis, hoc eſt carne exutis: adhuc autem magis ĳs quæ in capite fiunt. nam talia frigidum maxime offendit: vt quod non oſſibus tantum, ſed ipſi quoque cerebro ſit inimicum. Et quidem quæcunque partes ex algore emortuæ ſunt, ĳs calidum remedio eſt: ſic quæcunque frigidum exulcerat, ſicuti hyberno tempore calcanea, & digitos, & extrema omnia, & horū remedium eſt calidum: & ſanat etiam ſerpentia comeſa, quanuis ab humore bilioſo calido fiant. nam propter exulcerationem frigidum eſt ipſis inimicum, vt qđ eis mordax exiſtat. Sic & omnibus quæ ſunt in ſede diſpoſitionibus, amicum quidem eſt calidum, contrarium vero frigidum, quoniam neruoſa ſedes eſt, frigidum vero eſt neruis inimicum, & quoniam per communicationem frigiditas facile ex ſede ad ventriculum aſcendit, & eodem modo caliditas. Sic & vtero & veſicæ calidum quidem, amicum & iudicans: inimicum vero & occidens, frigidum. nam & hæ pariter neruoſæ ſunt, & ſupraiacentibus partibus facile tradunt frigiditatem. Quod autem in omnibus quæ in aphoriſmo dicuntur, communiter pronunciauit his calidum eſſe amicum & iudicās, frigidum vero inimicum & occidens, liquet & ſi à me non dicatur.

XXIII

IN his frigido vtendum, vnde fluit ſanguis, aut fluxurus eſt, nō ad ipſa, ſed circa ipſa vnde influit, & quæcunque inflammationes vel inflammina ad rubrum & ſubcruentum ſanguine recenti tendunt. nam veterib⁹ nigredinem affert. Eryſipelas etiā non vlceratum iuuat. nam exulceratum lædit.

CAs quas facit frigidum vtilitates, ac mala, hoc tranſigit aphoriſmo. Primum, in quibus ſanguis fluit aut fluxurus eſt, inquiens conferre ipſum,

non ipsis partibus manantibus sanguine admotum, (vlceribus enim frigidum mordax) sed circũstantibus, & illis præcipue vnde aliquid ad vlcera profluit. Et quidem ait omnes iuuare inflammationes, & quę ipse inflammina nominat veluti ab aliqua deusta flamma, propter humorum à quibus fiunt, caliditatem. Nam & hæc frigido gaudent. Videntur autem hæc omnia intuenti, colore rubra & subcruenta, recenti scilicet, & non antiquo suffusa sanguine. Nam sanguis antiquus floridum non habet colorem. Quare frigido admoto liuere, & nigras fieri contingit partes patientes. Eodem modo & erysipelas non exulceratum iuuatur à frigido, sicuti vlcerato mordax est frigidum, & dolorem affert: & hac ratione nocet, cũ partes dolentes semper ad seipsas moueant fluxiones.

XXIIII

FRigida qualis nix & glacies, pectori inimica, tusses mouent, & sanguinem, & destillationes.

HActenus de aqua calida & frigida sermonem habuit, nunc autem de niue & glacie differit, illud ostendens, quòd tanto magis hæ nocere possunt, quanto sunt aqua frigida frigidiores, & quòd thoracis partibus sunt inimicissimæ, cum & tusses moueãt, & vasis diruptis sanguinem sępius manare faciant, & ex capite destillationibus thoracem offendãt atque pulmonem: nam has quoque nix facit & glacies cerebrum refrigerantes.

XXV

HVmores articulorum atque dolores absque vlcere, & podagricos quoque, atque conuulsa, horum plurima frigida aqua large effusa leuat, & extenuat soluitque dolorem. nam modicus torpor dolorem soluit.

QVod quidem aqua frigida horum plurima iuuet, ostendit. Sed quænam vnquam hæc sint, dicere prætermisit: tanq̃ ex illis quæ antea tetigit, non sit admodũ difficile inuenire. Quæcunque enim inflammationes vel inflammina ad rubrum & subcruẽtum recenti sanguine tendunt, à frigida ait aqua sanari, quæ influxum scilicet cohibet, & hac ratione corpora euacuat: quapropter & dolorem in talibus soluit, quia & ei9 causam abscindit, & refrigeratio etiam partium longius affert torporem mediocrem, qui & ipse dolorem soluit sensum hebetando.

XXVI

AQua quæ cito calet, & cito refrigeratur, leuissima est.

NOn pondere talem esse leuissimam dicendum est. Sic enim nihil magnum edoceret, præter id quòd per quendã circuitum illud inuenit quod facile erat statim inuenire. Nã si pondere leuiorem aquã dignoscere quęrit: prõptum ad proprium eorum quę põderantur iudicium perducere, eius rei per lancem ac pondus faciẽtes inquisitionem. Sed nũc leuiorem dixit aquã quæ ventrem non grauat, & quæ cito permeat: sicuti isti contrariam, grauem vocamus, quę cito non permeat. Liquet autem quòd non solum hoc iudicium existit virtutis aquæ, sed quòd quũ alia in propatulo sint, & ab omnib9 nota, hoc vero aliquid habeat artificiosum: sic ad id prodendum scripto, Hippocrates venerit. Sed quænam sunt alia? Primum quidem, si neque turbida, neque cœnosa, neque in gustu aliquã absurdam qualitatẽ prę se fert, deinde & illud quod nunc Hippocrates dixit, si cito refrigeratur & calet. nam perspiciuũ existit, talem esse bene alterabilem. Sicuti autem cibi virt9 est esse bene alterabilem, ita & aquæ: siquidem facile transmutari volumus quicquid concoqui debeat ab instrumentis quibus est coctionis munus à natura demandatum. Quicunque vero sola potantium dispositione, optimam aquam iudicant: certis-

ſimo quidem vtũtur iudicio;verum ſi hoc tantum aſſumpſerint,non recte faciunt. Prius enim oportet de aqua ex dictis ſignis iudicare, antequam ad talem veniant experientiam.

XXVII




Vi noctu bibere appetunt, iis admodum ſitiẽtibus,ſi ſuperdormierint,bonum.




Eque ſi dandus,neque ſi minime dandus ſit potus ĳs qui noctu admodum ſitiunt, quicquam oſtendit,ſed hoc tãtum, quòd ſuperdormire,cõfert. Coquitur enim per ſomnum, vt liquet, & ſubdeſcendit id quod efficit ſitim. Non tamen illud eſt in obſcuro, quòd valde ſitientibus potus eſt dandus,ſiue ex potatione vini meracioris,ſiue ex defectu potus ſitis aduenerit. Nã & defectui ſuccurrere confert: & illam quę facta ex vino caliditatem,aqua reſtinguere, theorema eſt medicinale. Si tamen modice ſitierint,non omnino eis dandus eſt potus,ſed conſiderandum nunquid ex defectu humidi tale quid patiãtur,ſiue ex nimia vini potatione. contingit enĩ his ex ſomno iuuari.

XXVIII



Vffitus aromatum, muliebria ducit: ſæpius vero & ad alia vtilis eſſet,niſi capitis faceret grauitatem.



Vliebria dicit,vt liquet,ea quæ ex vtero mulieribus euacuantur in menſtruis purgationib9, & à partu. Clarum etiam illud eſt, quòd & hoc in loco,illas quæ vel propter vteri inflammationẽ, vel euerſionẽ,aut talẽ aliam cauſam non purgantur,non aliter recte curabimus, quã eam curãtes paſſionem, cuius eſt caſus ſuppreſſio menſtruorum. Quæ vero ſine hac paſſione parcius purgantur, ĳs qui nunc ab ipſo docentur ſuffitib9 curat. In his enim vel ſanguinis craſſitudo cauſa eſt retentionis,vel obſtructio vaſorum quæ pertingũt ad vte-

rum, vel horum obſeratio, vel totius ſubſtantię denſatio. Quodcunque vero dictorum in cauſa fuerit, ex aromatibus ſuffitus ſanat diſpoſitionem: qui ſua vi aperit quidem vaſorum extrema obſerata, extenuat autem humorum craſſitudinem, obſtructiones vero incidendo exobſtruit. Multoties vero & ad alia, inquit, vtilis eſſet, niſi capitis faceret grauitatem. Nam totum corpus poterat cõtinuo ſuffiri per vterum in omnibus frigidis atque humidis diſpoſitionibus, niſi timeremus illam quæ fit ex ſuffitu capitis grauitatem, prę ſertim in febribus. Quòd vero omnia aromata natura apta ſint facere capitis grauitatẽ: & experientia oſtendit, & ratio docet. Quęcunque enim ſatis calefaciũt, oĩa ferè capitis grauitatis ſunt cauſa, vtpote ſui natura calido ſuperiora petente. Calida autem eſt ſufficienter omnium aromatum natura, & præcipue Caſię, Coſti, & Cinamomi, & Amomi.

XXIX

GRauidas purgare turgente materia a quarto menſe vſque ad ſeptimum, minus vero has. Recẽtiores autem & ſeniores vereri oportet.

HIc aphoriſmus dictus eſt & antea vbi de purgatione ſermo habebatur. Sed & hic vbi de muliebribus agitur, in quamplurib exemplaribus inuenitur. Quidam vero eximunt ipſum, ne bis ſcriptus inueniatur. Noua autem expoſitione nõ indiget prę ter illam quam retro ſcripſimus.

XXX

MVlierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale eſt.

NOn abſque ratione. Si enim ſit cum febre morbus, neceſſe eſt ipſum febres habere continuas. Talis enim eſt morb9 acutus: & in hoc duplex periculum. Vnum quidem propter febrem ipſam fœtum occidentem: alterum vero quòd ex longo interuallo cibũ

dantes, ex alimẽti defectu fœtum destruemus. Si vero vt seruemus hunc, non verebimur crebro cibum exhibere, febres continuas victu intempestiuo augentes, mulierẽ grauidam occidemus. Sic & si absq; febre aliquis alius morbus acutus fiat, veluti morbus comitialis, morbus attonitus, quem græci apoplexian vocant, conuulsio, distentio, propter magnitudinem morbi & acutiem, impossibile est laborantem euadere.

XXXI




Vlier vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit, & magis si fœtus sit maior.



X defectu alimenti fœtus destruitur, nõ modo misso sanguine ex vena, sed etiam ex longiori inedia. Ostendemus autem hocipsum paulo post & per alios aphorismos. Non absq; ratione autẽ & maior fœtus magis destruitur misso sanguine ex vena mulieris, quia plurimo indiget alimento.

XXXII



Vlieri sanguinem euomẽti, mẽstruis erumpentibus solutio.

On absq; ratione. Erit enim retractio simul atque euacuatio sanguinis ad superiora tendentis. Hoc quidem igitur & experientia comprobat vtiliter fieri: nos vero ex ipsa permoti, naturę opera quæ bene gerũtur, imitabimur: & mulieres hac passione laborantes, misso sanguine ex vena, euacuabimus.

XXXIII



Enstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens, bonum.



Vòd quidem sit necessarium eum qui singulis mensibus bene euacuatur sanguinem, quando ob aliquam dispositionem fuerit retentus, mu-

lierem lædere, & quòd per aliam partẽ euacuatus, omnẽ corporis tollet læsionem, vnicuiq; est manifestum. Cũ vero multa sint loca per quę potest euacuari, omnibus alijs aut maius aut minus inest detrimentum: sola quæ fit per nares euacuatio innoxia est, quam nũc laudat Hippocrates. Nõ tamẽ si aliqua etiam alia euacuatio sine noxa est, propterea aphorism9 est falsus. Neq; enim quòd sola per nares euacuatio deficientibus mẽstruis bona sit, dixit, sed hanc simpliciter laudauit, nõ adiuncto quòd sola. Et si igitur alteram quę fit per sedem, dixerit ita affectis mulieribus vtilem esse, hoc non aduersatur aphorismo. Videtur enim aliquando Hippocrates per vnũ exemplũ de omnibus alijs similibus pronunciare.

XXXIIII



Mulieri in vtero gerenti si aluus plurimum profluat, periculum est ne abortiat.



Ratione euacuationis & nunc Hippocrates inquit periculum abortus esse, quemadmodum & antea in missione sanguinis ex vena, ostendebamus.

XXXV



Mulieri quæ vterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum.




Vnum in aphorismo verbum habet obscuritatẽ, vterinis scilicet. Nonnulli enim per id accipiunt omnes quę vtero adueniunt dispositiones, nonnulli vero illas tantum in quibus passio contingit quam vocant vterinam strangulationem: quæ tamen non est vere strangulatio, sed defectus anhelitus. Alij locos siue secundas intelligunt. nam & has vteros nominant. Verum hi aperte aberrant, quãuis maxime verum dicere videantur: quoniam secundę contentæ in vtero, ex sternutatione

dirumpuntur. Alius enim de his aphorismus est ab ipso perscriptus. Et plurimũ refert, an vterum dixeris, an vterina. Falsum quidem est de omnibus vteri passionibus dictum esse ab ipso sermonem. Neque enim exulcerationes, neque inflammationes, neque erysipelata, sicuti neque abscessus, sternutatio iuuat. Verum autem, quòd in vterinis strãgulationibus superueniente sternutatione, patiens aliquantulum leuatur, non solum quia bonum est signum sternutatio sponte adueniens ijs quæ ita se habent mulieribus, sed quoniam & causa, vt quæ sit huius passionis remedium. Signum itaque bonum existit, quia naturam ostendit & propriarum meminisse motionum: & quæ prius erat emortua, excitari ac reuiuiscere, quando aliquam ejcit superfluitatem. Ostensum est enim in libro de causis accidentium, sternutationem fieri hoc modo. Causa autem ob quam iuuat, est quia vehementiore concussu atque feruore partim quidem naturam excitat, partim vero excernit quæ partibus corporis firmiter infixa adhærent. Sic enim & singultum solet sanare.

XXXVI



Mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus venientes, purgationem indicant esse necessariam.



IN multis exemplaribus scripturam ita se habẽtem possumus inuenire: Mulieri menses tardi, nec per idem semper tempus veniẽtes. Possunt quidem & menses tardi, hoc est qui post consuetum veniunt circuitum, purgatione indigere humoris pituitosi, ob quem & decolores fiunt: non tamen & hac sola necessario. nam & per extenuantem aliquando victum tales dispositiones sanabimus. Sæpius autem scriptum à nobis est de hoc victu, libro vno seorsum. Et suffitus aromatum, & qui eandem isti vim habent pessi adhibiti, & epotæ medicinæ, quæ incidunt, & humorum crassitudinem extenuant, quale est quod ex calamento fit, quo nos

assidue vtimur, sępius ciere solent tardantes mēsium purgationes. Nam intētio sanationis in ipsis est, ora quidem adaperire vasorum quæ pertingunt ad vterum, sanguinem vero extenuare. Et quidem purgatio totius corporis, vt dixi, quãdo crassi euacuantur humores, tales sanat dispositiones. Si vero decolores scriptum sit, multo magis purgatio sanabit ita se habentes mulieres. Neq; enim propter humorem pituitosum tantummodo, sed & propter melancholicum & biliosum menses fiunt decolores. Quomodo igitur dignoscere oporteat humorem superabundantem, ipse in primo de muliebribus docuit: nunc autem quòd per purgationem euacuandum sit, ipse mon strauit. Verba autem illa, Nec per idem semper tempus venientes, huic scripturæ magis consonant: vt totus sermo sit talis: Si menses decolores fiant, & non per idem tempus veniant quo antea venire consueuerant, mulier purgatione indiget. Contingit enim in mulieribus quæ malos humores habent, non modò decolores apparere menstruas purgationes, sed etiam tempus periodi nō seruari: si quidem crassiores fuerint humores, & difficilius fluentes ijs qui secundum naturam se habent, morando, & longius tempus expectando: si vero contrarij, hoc est humidiores ac tenuiores, consuetum terminum anticipando.

XXXVII

Mulieri vtero gerenti si mammæ graciles repente fiant, abortit.

Hic pariter aphorismus ex illorum numero est quos diximus defectum alimenti fœtui significare. Communes enim quędã venæ sunt mammis ac vteris: quæ vbi patum habuerint sanguinis, graciles quidem mammas ostendunt, inedia vero nonnunqnã fœtum perimunt, nonnunquam vero ad excretionem excitant, illam ob causam quam ipse in libro de natura fœtus, per hęc verba explicat: Alimētum atque auctio à matre veniens, non adhuc est infanti sufficiens quando de-

cem menses præterierint, & fœtus auctus fuerit. Trahit enim à sanguine ad se id quod dulcissimum: simul autē & lactis parte aliqua fruitur. Vbi vero hæc illi rariora fuerint, & iam infans molem corporis habet, plus cibi requirens quàm illud quod adest, calcitrat, & membranas dirumpit, initiūq; partus matri affert. Liquet igitur quòd & ante decem menses fœtus est indigens alimēto, & calcitrans, & membranas dirumpens.

XXXVIII

MVlieri vtero gerenti si altera mamma gracilis fiat geminos habenti, alterum abortit: & si quidē māma dextra gracilis fiat, marem: si vero sinistra, fœminam.

QVod suprascriptus aphorismus de ambabus māmis dicebat, hoc in altera iste dicit, propter illam quam diximus de venis cōmunibus causam: eo qui ē directo est mammę factæ gracilioris fœtu abortum patiente. Quòd autem existentibus geminis, altero mare, altero fœmina, si dextra quidem mamma gracilis fiat, solus mas: si vero sinistra, fœmina sola corrūpatur: ex illa ipsius pendet opinione, qua mares quidem in dextris, fœminas vero in sinistris magis cōcipi opinatur.

XXXIX

SI mulier quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet: huic menstrua defecerunt.

RAtio quidem longior existit: & oportet illum qui eam exquisite assequi debeat, exercitatum esse in libris de potentijs naturalibus. Tantum tamen de his nunc à nobis dicetur, quantum breuissime dictum possit ad pręsentia conferre. Hoc quidem cōmune est omnibus animalis partibus quæ aptę sunt humores aliquos vtiles generare aut partibus alijs, aut ad generis

propagationem, aut ad conceptus nutritionem, esse humorem illum quandam veluti superfluitatẽ partis ipsum generantis. Non enim quia norit ad quid vtilis erit humor animali, ipsius facit pars generationem, nisi debeat talem habere intellectum, qualem habere oportere arbitrantur ciuitatum gubernatores, sed animalis quidem opifex illum habet intellectum, ipsa autem pars (vt ostẽsum est) potentijs regitur naturalibus, tum alijs quibusdam, tum alteratiua, per quam assimilat alimentum sibi ipsi. Quantum igitur alimenti ab ipsa alterati fuerit nutrito corpori exquisite assimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eam. & hoc est quod ipẽ ait: Alimẽtum autem, quod alit. Alimẽtum etiam, quod est veluti alimentũ, & quod debet alere. Superfluum vero derelictum, similis quidem naturę partis humor existit, in ossibus quidem id quod in eius cauernis continetur, in hepate vero sanguis. Ex hoc genere est & spumeus humor qui in carne pulmonis continetur, & qui in articulorum compagibus glutinosus humor, & id quod in testibus, & in vocatis assidentibus semen, & qui in lingua, cui nomen saliua. Sunt autem & quidam in mammis adenes, vim habẽtes id quod ad eos influat, alterandi. Cum ergo hi sint exangues & albi, proprium efficiunt humorem, talem qualis est lac, quando plus alimenti defertur ad ipsos. Plus vero defertur octauo & nono mense conceptionis, quando abundanter oppletę sunt communes venæ mammarum & vteri, sicuti in animalium prægnantium resectionibus manifeste conspicitur. Fit autẽ & tale quandoque licet raro, cũ mulier grauida non est, quando ad similem peruenerint venæ repletionem ex menstruorũ retentione: cuius nunc dispositionis Hippocrates meminit.

vasis

XL



Qvibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

Quòd quidem sanguis ad mammas feratur, deinde ab adenibus qui inibi sunt, in lac transmutetur, in statim antea scripto dictum est aphorismo. Nunc autem quando intransmutabilis manserit hic qui ad eos sanguis peruenerit, furorem ait Hippocrates significari. Ego quidem nunquam hoc accidisse vidi: & siquando eueniat, ex ijs est quæ raro eueniunt. Hippocrates vero, vt qui viderit, scribit. & si verum sit, talem ipsi9 oportet causam existimare. Adenum natura, & illorum pręsertim qui in mammis sunt, exãguis est, & liquet quòd frigida: (omne em̃ exangue, frigidum) & quidem eius qui defertur ad ipsos, facit sanguinis alterationem ad frigidius declinantem. Quanto enim adenes hi sunt hepatis carnę frigidiores, tantò lac sanguine. Cum igitur plurimus aliquando sanguis feruens per totum labitur corpus, & caput præcipue petit: in furorem vertuntur, quoniam sanguis talis occupat caput. Qui vero ad mammas defertur: ad contrariam naturam alterari non poterit ita vt lac fiat, tum propter habitum talem, tum propter exuperantiam.

XLI

Si velis noscere an conceperit mulier: cum dormitura est, ei aquam mulsam potandam da: & si alui tormina patietur, concepit: si minus, non concepit.

Tormina fiunt quidẽ & propter mordacitatem, fiunt autem & propter spiritum flatuosum, qui facilem non habet exitum. Quæ etiam tormina fieri nunc est arbitrandum in mulieribus quæ conceperunt, propter eam quę fit ex vtero angustationem. Dat autem aquam mulsam mulieri dormituræ, crudam videlicet: quoniam qualitas flatuosa (si noscere volumus) est necessaria: volens & quiescere simul, & plenam esse cibis mulierem. hæc enim ambo conferent ad torminum generationem.

Tormina vñ

XLII

MVlier si marem concepit, bene colorata est: si vero fœminam, male colorata.

ET ad seipsam muliere collata videlicet, non autem ad alteram, dictum est ab Hippocrate indicium quod ex bono colore ac malo sumit. Nã quæ fœminam concepit, minus seipsa colorata apparet: quoniã frigidior est fœmina mare. Nunquam vero talem cõcepisset, nisi viri semen vel vterus mulieris frigidior eo tempore fuisset in quo concepit. Quare quod dicitur, ex eorum numero est quæ sępius eueniunt. Contingit enim ita omnia recte agere mulierem post tempus conceptionis, quòd bene colorata fiet. Liquet autem quòd & alia signa sunt marem esse conceptum: sicuti ipsius conceptus plurimę ac valide motiones: quę neq̃ ipsę, signa ꝑpetua sunt. Cõtingit eñ aliquãdo, licet sit rarum, quod cõcepta fœmina sit mare robustior, & multis ac validis motibus moueatur: & aliquando mas sit debilior fœmina, ac paucioribus debilioribus'que motibus cieatur.

XLIII

SI mulieris grauidæ in vtero sit erysipelas, lethale.

EN solũ erysipelas in vtero mulieris grauidæ cõstitutum putat esse lethale, vel illam etiam quæ proprio noĩe dicitur inflãmationem? Quòd eñ facto in vtero erysipelate, fœtus moriat̃ ex necessitate, manifestum. siquidẽ & febres acutæ aliquãdo sine inflãmatione ipsum interficiunt. Si vero & vtero inflãmationem patiẽte, potest aliquãdo fœtus viuere: dignũ inquisitione.

XLIIII

QVęcunque pręter naturam tenues existentes, vtero gerunt, abortiunt prius quam crassescant.

SEcũdum tres modos audierũt expositores libri huiꝰ pręsentis aphorismi intellectum. Quidam enim oĩno arbitrãtur ipsas abortire: quidam vero nisi crassescãt & reficiantur, sed maneant absque refectione, ac tenues: quidam vero cum reficiuntur, tunc maxime eas existimãt abortire. quod minus fit, quàm prius dicta, verisimile. Veruntamẽ ita exposuit Numesianus, dictum inquiens esse aphorismum in ĳs quæ præter naturam sunt extenuatæ, & quas prius refici oporteat. Sed cũ concipere anticipent, non refici ait absque quòd sanguis ad conceptus alimẽtum deputatus, ad eius quę concepit nutritionem recipiatur: quare nõ absque ratione fœtus sufficienti indigẽs alimento, corrumpitur. Sed & verba illa, Præter naturam tenues: quidam ita acceperunt, sicuti Numesianus, vt pręter suiipsius naturam grauida mulier sit extenuata. Quidam vero magnum excessum volunt significari, volente Hippocrate nobis insinuare, non quòd mediocriter extenuatæ, id ex necessitate patiãtur, sed quæ valde sunt extenuatę. Vtraq; aũt expositio nõ caret rõne.

XLV

QVæcunque mediocriter corpora habẽtes abortiunt secundo aut tertio mense sine occasione manifesta, ĳs acetabula vteri plena mucoris sunt, & non possunt ex pondere fœtum cõtinere, sed dirũpuntur.

SIne manifesta occasione ait, febre vehemẽte, & alui fluxu, vel profluuio sanguinis, vel erysipelate in ipso vtero constituto, vel saltu grauidæ mulieris vehemẽtiore, vel clamore, vel ira, vel timore, vel victu parciore, vel tali aliquo actu seu passione. Fit enĩ verisimile, in his esse plena mucore ora vasorum venientium ad vterum, ex quibus secũdæ pendent: quæ ora, acetabula nominauit: nõ (sicuti quidam arbitrantur) adnatas ipsis carnes adenosas. Nam vti ipse inquit i primo libro de passionibꝰ muliebribus, Si acetabula plena fuerint pituita, mẽ

ſtrua fiunt pauciora. & Praxagoras in primo de naturalibus, Acetabula inquit ſunt ora venarum & arteriarum, quæ ferunt ad vterum.

XLVI




Vęcunque pręter naturam craſſę, non concipiunt vtero, iis omentum os vteri comprimit: & prius quam extenuentur, non concipiunt.




Erba, pręter naturam, dupliciter etiam audiunt hoc loco, quidam exceſſum ſignificari arbitrantes: quidam præter ipſius mulieris grauidæ naturam. Verior autem prior acceptio: nam ab omenti pinguedine cõprimitur atque anguſtatur vteri os ijs quæ ſupra modum craſſę ſunt. Dicit autem nunc os, illud ſcilicet quod intus eſt, vbi vterus deſinit, collũ vero incipit: quod magis proprie os vteri diceretur. Nam altera colli extremitas quæ mulieris pudendis coniungitur: non vteri, ſed ipſius colli os haud ſine ratione diceretur

XLVII



I vterus in coxam vergẽs ſuppuratur, neceſſe eſt linamentum fieri.




Vm neceſſarium eſt fieri per linea fila curationem, linamentum nominauit. Quòd autẽ vterus ſuppuratus, & pręſertim ad exteriora, (nã hoc nunc videtur dicere) curatione tali ex neceſſitate indigebit, non eſt obſcurum.

XLVIII



Oetus, mares quidem in dextris, fœminę vero in ſiniſtris magis.



Vòd propter temperaturam quę ſtatim ab initio calidior exiſtit, fœtus maſcul9 generatur, in commentarijs de ſemine, eſt demonſtratum. Calidior vero temperatura fœtibus aduenit non minime ob locum qui eſt dextra vteri pars: hic autem ipſe calidior

existit, propter hepatis vicinitatem. Conferet autem aliquid ad conceptus caliditatem & muliebre semen, profusum quidem ex propriis testiculis per vtrunque corniculum, pars vna in dextrum vteri sinum, pars altera in sinistrum, dissimiles ambæ: vt & hocipsum ostendimus. Siquidem serosior est atque frigidior quæ in sinistro testiculo continetur: & iuxta hoc conceptus in læua parte vteri cõstitutus, nõ absq; rõne esset frigidior. Dictũ aũt est de oib9 talib9 sufficiẽter in quĩto libro sectionis Hippocratis.

XLIX

VT secũda procidat, sternutatorio apposito, & nares apprehendito, & os.

NOn cum accentu circunflexo vltimam syllabã verbi græci ὑστερῶν, legere oportet, vt significet vterum, sed cum graui, vt secunda intelligatur. Neque enim vult vteros ipsos excidere, tẽtione facta cum medicinis sternutare facientibus, sed ea quæ loci vocantur atque secundæ.

L

MVlieri si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone.

SIcuti mẽstruorum quę aut nullo modo, aut parce fluũt, docuit Hippocrates curationem: ita & nunc illorum que vltra modum euacuantur, iubens nos cucurbitulam quàm maximam ad mãmas apponere. Melius autem non ad ipsas mãmas, sed sub ipsis partibus inferioribus firmare cucurbitulam, vbi maxime sunt eæ quæ ad ipsas venæ desubter veniunt. Vult autem maximam esse cucurbitulam, vt fortiorem faciat ex vtero ad superiora attractionem, per communes id venas artificio se molitus.

LI

QVæ vtero gerunt, iis vteri os comprimitur.

MAximum hoc est mulieris quæ concepit indicium, si obstetrix potuerit immisso digito os vteri tãgere. Statim enim cum semen intra seipsas acceperint, totum sui interius contrahunt spatium, & claudunt os. Videtur autem & propter durum tumorem & inflammationem os vteri comprimi. Distinguitur autem ab eo qui in grauidis, ex duritie vteri.

LII

MVlieri vtero gerenti si lac multum e mammis effluat, fœtum imbecillem significat. si vero mammæ solidæ fuerint, fœtum significant saniorem.

Illo videlicet tempore fluit lac quibus visum fuerit fluere, quando natura fert vt in grauidis generetur. Neque enim in primis generatur mensibus. Quòd autem omnino fluat, & non maneat int9, hoc ideo fit, quia plurimum ex eo colligit. Plurimum vero colligitur oppletis venis cõmunibus quæ à mammis pertingunt ad vteros. Sed adhuc magis implentur quando minimum conceptus absumit. Hoc vero ipsum fit ob eiusdem conceptus imbecillitatem. Liquet igitur quòd neque mammas tenues oportet apparere, sicuti in muliere non grauida: (hoc enim signum defectum sanguinis ostẽdit, & hac ratione fœtus in ipsis corrumpitur) neque adeò plenas vt lac effluat, sed tantum subleuari, vt solidæ tangentibus videantur. Media enim hęc consistẽtia inter renitentes propter nimiam repletionem, & molles ac laxas propter defectum sanguinis. Quare merito laudat hoc signum Hippocrates, vt quod indicio sit neque fœtum esse imbecillem, neque deficere ipsi alimentum.

LIII

QVæ corrupturæ sunt fœtus, iis mammæ extenuãtur. Si vero rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non corrũpet.

PRius dixerat: Mulieri vtero gerenti si mammæ repente extenuentur, abortit. Dixerat autem et si altera mãma extenuetur geminos habenti, alterius fœtus abortum secuturum. Nunc vero ordinem consecutionis cõmutauit, & non à signis ipsis, sed à mulie ribus fœtum corrumpentibus fecit initium, ipsis præcede re inquiens mammas tenues. Non est autem omnino idẽ vel si dicatur ad mammas tenues sequi corruptionẽ, vel debente fieri corruptione mãmas tenues præcedere. Qui enim ait ad mãmarum extenuationem sequi corruptionem: hic non solũ istud ostẽdit esse signũ futuræ corruptionis. Qui vero dicit ĳs quæ debent corrumpere fœtus, mãmas extenuari: solum hoc videtur ostendere signum præcedere fœtus corruptionem. Quare diligentius inquirendum, & diligentius obseruandum in mulierib⁹ grauidis, si nunquam aliter fœtum corrumpunt, sed semper præcedit mammarum extenuatio, vel saltantibus, vel valde vociferantibus, vel ira excandescentibus, & nimio repente pauore correptis cõtingit mammarum nõ pręcedere extenuationem. Cõtingit aũt & quibusdam vt propter magnitudinem febris, aut factum in vtero erysipelas, vel ꝓpter mucorem acetabulorum, seu tale aliquid, fœtus corrũpatur absque mammarum extenuatione. Nam videtur Hippocrates hanc semper præcedere existimare. & mihi sępius obseruanti, visę sunt in supradictis ocasionibus ante corruptionem mammę fuisse extenuatę. Nec forte igitur quando citra aliquam huiuscemodi causam mammę extenuantur, defectum sanguinis esse in causa existimemus qui in venis est vtero mammisque communibus: vnde propter inediam fœtus corrumpitur. In alĳs vero causis in quibus interit propter passionem aut dirumpitur fœtus, cum ipsum membranę continentes diuelluntur, natura os vteri adaperiente, & dolores excitante, ob has ipsas causas sanguinem ad genitales deferri partes. Hæc enim est quędam ratio communis, in quib⁹ natura aliquid violenter excernit, eo sanguinem ac spiritum tendere: quibus duobus veluti instrumentis natura

vtens, ea quę infestant, per vim expellit. Hac ratione igitur, & dolentibus partibus inflammationes adueniunt, natura excernere atque expellere causam doloris properante: vt vero hoc faciat, sanguine ac spiritu locum implente. Hæc itaque à me dicta sint in primam partem aphorismi: secūda vero quę sequitur (in qua cōtrarię mammarū meminit dispositionis) talis est: Si vero rursus mãmæ duræ fiant. Quomodo vero dictio rursus, duo significet in huiuscemodi locutionib9, alterum quidem quod antedictę cōiūgitur dispositioni, alterū vero qđ per alia verba dici cōsueuit vice versa: mihi verius, & magis Hippocratis sentētiæ cohęrere videtur secundū significatum: vt quod in toto dicitur aphorismo, sit tale: Mammæ quidē tenues omnino præcedunt fœtuum corruptionem: & non possunt isti corrūpi sine earum extenuatione pręcedente. Durę vero, corruptionē quidem non significant, sed dolor quidam dictarum partium ad ipsas cōsequitur: vt sicuti mammę tenues, defectus sanguinis significationē habent: sic duræ, multitudinis: differentes ab illis quas prius dixerat solidas: in quibus rursus reponēte natura ad quasdam partes materiam inutilem, illæ dolent, sed fœtus nullam habet offensionem. Quæstio autem occurrit hoc loco, ob quam causam ad corpus vteri natura nunquam materiam reponit inutilem, & non facit inflammationē: vel cur inflãmato vtero, fœtus nō corrumpitur? An quod ab Hippocrate dicitur, aliud est? Neque enim quòd nunq̄ ad mammas duras corruptio fœtuum sequatur, putandū est fuisse ab Hippocrate dictum, sed quòd non semper, (quemadmodum in tenuibus) verum si ad alterum locū natura reponat superfluitates, (quod ex dolore cognoscimus) corruptio non sequit. Et fiet rursus, si ita audierim9, sermo talis: Mulieribus quæ corrupturæ sunt, semper mãmę extenuatę præcedunt: durę autem ac plenę, non semper. Omnino enim in his ad alterā partem materiam inutilem natura reponit. Si vero ad vteros ipsam expellat, fient & tunc omnino tenues. Nam secūdum Hippocratis (vt apparet) sententiam, si propter aliud quicquam, &

non defectum alimēti abortus fiat, omnino precedet mãmarum gracilitas, ob causam antedictam: ita quòd si etiã ob acetabulorum humiditatē conceptus effluet, tunc etiã ipsum natura expellēte ad excretionem, motio sanguinis erit ad vteros, & hac ratione mammæ fient graciles magis quàm prius erant.

LIIII

QVibus os vteri durum est, iis vteri os comprimi est necessarium.

DIctum est & antea quòd os vteri comprimi, cõmune est signum & tumoris alicui9 in eo preter naturam existentis, & conceptionis in muliere, & quòd oportet id ex duritie distinguere. Grauidis em̃ molle est, & secundum naturam. In quibus aũt est tumor preter naturam, siue inflammationi similis, siue duritiei, durum. Melius itaque fuerat hunc aphorismum post illum scribere in quo dicebatur, Quecũque vtero gerũt, ĩ̃s os vteri compressum est.

LV

QVæcunque vtero gerentes a febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariũt, & cum periculo, aut abortum facientes periclitantur.

ACcidit quibusdam grauidis in quib9 vitiosi humores priusquam cõceperint, sunt aceruati, nõnunquam à febribus vehementibus corripi, ita quòd ex necessitate abortiunt: nonnunquam vero mediocribus: sed cum non purgentur sufficienter, aliquid superest reliquiarum humorum in corpore vitiosorum, ex quibus febres sunt institutę, vtpote non potentibus medicis mulieri grauidę aliquod forte auxilium adhibere, neque exquisita victus ratione in ipsis vti. Ob hãc igitur causam febris in ipsis frequenter reuertitur, & magna temporis

parte grauiter se habent. Non sine ratione igitur fœtus ali quando nequit obsistere, sed ex febre & vitio humorum corrumpitur: nonnunquam vero perdurat quidem vsque ad tempus partus, sed cum & ipse valetudinarius sit, vt qui longo tempore laborauerit, & matrem habeat imbecillem, non sine periculo paritur. Nam ad bonum partum, duorum corporum vigore est opus, & grauidę mulieris, & infantis.


LV



IN fluxu muliebri si conuulsio & animi defectus aduenerit, malum.

NOn statim fluxu constituto hęc fiunt, sicuti & aliorum nihil, quęcunque in sequenti sermone quibusdam aliis ait aduenire, sed cum vel validiora fuerint, vel diu perdurauerint. Defect9 quidem animi, communis omnis immodicę euacuationis est casus: conuulsio vero etsi non communis existat, ad plures tamen ex ipsis consequitur, & magis si pars quæ patitur, neruosa fuerit.

LVII



SI menstrua plura fiant, accidunt morbi: & si non fiant, ex vtero morbi contingunt.

QVibusdam medicis visum est ex multitudine quidem plurimos fieri morbos, ex defectu autem nullum. Verũ Hippocrates arbitratur etiã ob defectum fieri aliquando morbos, non solum mulieribus, sed etiam viris. Siquidẽ ad defectus consequitur aliquando siccitas, aliquando frigiditas, aliquando vtrunq;. Ostensum autem est quòd intemperaturę quęcunque tãtam habẽt magnitudinem, vt possint iam lędere operationẽ, sunt ex morborũ genere. Verũ secũdũ hoc, neq; falsum, neq; obscurũ est ab Hippocrate dictum. Quatenus autem in pluribus quidem menstruis simpliciter dixit fieri morbos, neque ex vtero adiecit: in defectu autem eorũ

istud adiunxit, dignum est inquisitione nūquid in vtrisq; affectibus dictus, cōmuniter ex vtero subintulerit, vel hoc proprium est defectus mēstruorum. Hoc autem scire exquisite, est impossibile, nisi omnes nouerimus causas ob quas vel plura quàm opus sit, vel pauciora veniant menstrua. Possibile est igitur si ora vasorum quæ pertingūt ad vterum, vltra modum aperiantur, & si sanguis vel calidior vel tenuior fiat, & totum corpus propter malum habitum aliquem aggrauetur sanguine, & si modum naturę conuenientem sua multitudine non excesserit, quare ipsum expellit ad venas quę in vtero sunt, vt in fluxionibus accidit: possibile est inquā alias ad aliā partē immodicas fieri menstruorum euacuationes. Eadem vero menstrua possunt fieri pauciora, vel quia venę ferentes ad vterum mēstruam purgationē, comprimūtur, vel obstruuntur, adeò vt quod influit, nō admittant. Quodcunque autem horum fuerit, necesse est processu tēporis & ipsum vterum pati aut similem inflāmationi dispositionem, aut erysipelati, aut duro tumori, aut cancro: quibus denuo totum compatitur corpus. In immodicis vero euacuationibus nulla talis accidit vteris passio adeò vt per cōpatiendi rationem totum corpus vnà laboret. quare fit veri similius in sola retentione mēstruorum dixisse Hippocratem morbos contingere ex vtero.

LVIII



REcto intestino aut vtero inflammationem patiēte, vrinæ stillicidium accidit, et renibus purulentis vrinę aduenit stillicidium.

QVando aliquis parum, & frequenter mingit; hæc passio, vrinę stillicidium nominatur. & fit aliquādo ex imbecillitate potentię retentiuæ in vesica; nonnunquā vero ex acritudine vrinę. In hepate vero per inflammationē patiente singultus aduenit. Imbecillitas ergo fit propter intemperaturam, & aliquem tumo-

rem præter naturam, acritudo autem vel propter renum passionem, vel quia talis ad ipsos venit ex venis superfluitas serosa percolata. Recte itaq; Hippocrates inquit vrinę stillicidiū recto intestino, & vtero inflāmatione patiente, & renibus suppuratis aduenire. In recto quidē intestino & vtero, per compatiēdi rationem vesica patiente: in renibus autē purulentis, pure per vesicam euacuato. Hoc igitur sui acritudine mordēs vesicam, excitat ad excretionem. In vteri autem vel recti intestini inflammatione, vicinitatis ratione pati vesicam est necessarium, vt quæ & intemperaturam participet & inflammationem, & præterea prematur atq; angustetur à tumoribus pręter naturam qui in illis existūt. Dictum autē est à me prius quòd nō simpliciter altera passio aduenire apta est, sed ījs quæ magnitudinē habent effatu dignam. Sic igitur & hepate inflammationem patiēte singultus accidit propter neruorum cōmunicationem, non quidem semper, sed quando ad maximam attollitur inflammationem.

LIX

SI mulier non concipit, scire autem velis si cōceptura sit, pannis circumtectā desubter suffias: & si odor videatur per corpus ire ad nares & os, scito ꝙ ipsa non ex seipsa sterilis est.

VErbum suffias, materiam indicat quæ naturam habet vt suffiri possit, Tus videlicet, & Myrrham, & Storacem, & quęcūque alia talia quę calidam habēt temperaturam, & sunt satis odorata. Vult enim ad totum deferri corpus eam quæ ab ipsis fit vim, vt cum & os & nares attigerit, à muliere manifeste sentiatur. In ījs igitur solis totum non peruadet corpus qualitas suffitorū, quibus durum est ac densum vteri corpus. cum vero sit tale, non est aptum ad conceptionem: sicuti & paulopost ipse inquiet: Quæcunque frigidos habent vteros & densos, non concipiūt. Quod autē in fine apho

tissimi scribitur, Scito quòd ipsa non ex seipsa sterilis est, indicat eius rei necessitatem. Sæpius enim vt permaneat genus ad quod pertinet vel dignitas sacerdotij, vel regni, student ciuitates vt prolem habeant virorum seu mulierum ad quos solos peruenerit genus: deinde vbi mulieres non concipiũt, quæritur vtrius causa hoc accidat, vt facto diuortio mulieres concipiant. & hanc Plato in Theęteto innuit esse bonarum pronubarũ artem. Totus autem sermo dicetur paulopost, quãdo omnes exponemus qui ad ipsum pertinent aphorismos.

LX

SI mulieri vtero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtũ esse sanum.

ET verbum purgationes, numero plurali dictũ, & alterum eant, adiunctum, ostendunt non esse paucum illum qui excernitur sanguis, neque semel, sed sępius, & multum. Qui enim semel aut bis paucus excernitur, sæpius apparet absq; hoc quòd fœtus patiatur. Cũ vero nihil deficit multitudini purgationis menstruorum, & seruat deinceps terminum circuituum per menses, impossibile est fœtum esse sanum. siquidem ille qui fortis est, ad sui alimentum vtitur illo qui ex toto corpore ad vteros fertur. Verum excretio quę grauidis fit, videtur ex venis quæ in collo sunt, apparere. Nam ab interioribus quæ in cauitate vteri sunt, loci pendent, quare nihil per illas potest in muliebrem sinum excerni.

LXI

SI mulieri cessent purgationes, neque febris, neq; rigor superueniat, & fastidia incidant, iudica ipsam in vtero habere.

IN ijs quæ recte purgantur mulieribus, & quibus repente sine causa manifesta supprimũtur purgationes, sermonem fecit, docẽs nos ea quæ plurimę mulieres ipsa experientia didicerunt. Cũ enim fa

stidium patiuntur menstruis suppressis, tunc se cōcepisse conijciunt. Fit autem fastidium eadem qua pica ratione, læso ore ventriculi in mulieribus grauidis. Contingit autē & propter vitiosos humores totum corpus occupātes, tale aliquid accidere, verū hoc cum horrore & febre patiuntur, & his distinguuntur à grauidis.

LXII

QVæcunque frigidos & spissos vteros habent, non concipiunt. Et quęcunque præhumidos vteros habent, non concipiunt. extinguitur enim in eis genitura. Et quæcunq; siccos, magis & adurentes. nam ex defectu alimenti corrūpitur semen. Quęcūq; vero ex vtrisq; mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ sunt.

SI mihi liceret omnibus aphorismis ordinē congruentem apponere, non essem veritus paulo antea dictum aphorismū in huius locum transferre: vt finito sermone de purgationibus, ille qui de ipsis esset vteris, deinceps scriberetur, docēte ipso quot modis mulieres steriles fiant. Primus igitur illis erit aphorismus in quo dixit, Si mulier non concipit, scire autē velis si conceptura sit, pannis circūtectam desubter suffias. Secūdus autem iste propositus, cuius summa est, quòd benè temperati vteri ad conceptionem sunt idonei: male autē temperati, si parum à bonitate recedūt, difficulter concipiūt: si vero nimiū, mulieres steriles fiunt. ita quòd simul etiam datur intelligi vnde viri sint steriles. sed hęc multos latet. Qui vero ea quę dicta sunt, diligentius considerat: primū quidem sciet quam ob causam & quidā viri omnino steriles sunt. Secundo loco post hoc de viris quidem ac mulieribus bonam habentibus temperaturam, quòd semper generabunt, etiam si cum malam habentibus cocant. De

habentibus autem malam temperaturam; quòd cum solis ijs qui contrariam habent, coeuntes, gignent. Prius autem dicetur de mulieribus sterilibus, quarum vterus statim ab initio est male temperatus, exuperante scilicet vel vna duarum qualitatum, vel duabus: quemadmodum in cōmentarijs de temperaturis determinauimus, ostendentes octo esse numero omnes intēperaturas, simplices quidem quatuor, quarum nunc Hippocrates meminit, compositas autem alias quatuor his simplicibus inuicem complicatas. Vbi igitur frigiditas immodica exuperat, adeò quòd vterus spissior efficiatur, angusta quidem sunt supra modum ora vasorū quæ ad ipsum pertingunt, mulieres vero steriles, cū loci siue secūdæ nō possint adnasci ad ora vasorum: neque si hoc fiat aliquando, possit bene nutriri conceptus. vel enim nullo modo fiunt hisce mulieribus purgationes, vel oīno paucæ, & hæ ipsę vitiosæ, solo tenuiore atque aquosiore sanguine perlabēte. Sed & hæc quoq; ora facile obstruuntur & propter natiuam angustiam, & quoniam magna ex parte hę mulieres humorem aggregant pituitosum. siquidem & corpus totum omnino est vteris simile. Contingit autem & maris semen in talibus vteris refrigerari, nisi sit natura calidissimum. De prima itaque frigida temperatura Hippocrates fecit mentionem, inquiens: Quæcunque frigidos & spissos vteros habent. Non per Iouem volens simul coniungere in ipsis cum frigiditate densitatem, veluti si siccitatem aut humiditatem addidisset. Harum enim neutra semper consequitur frigiditatem, & propterea ipsi modo vna, modo altera adiungitur. Densitas vero ex necessitate valde frigidos vteros comitatur, ob quam non possunt concipere, vt diximus. Quare ita sermonem totum huius aphorismi audiemus: Quęcunque frigidos vteros habent, non concipient propter substantię ipsorum spissitudinem. Cur vero spissitudo aduersetur conceptioni, dicere prætermisit, vt nobis potentibus intelligere. Et quæcunque vteros nimis humidos habent, nō concipient. Extinguitur enim genitura, quemadmodum in terra palu-

stri cerealia semina. Et quæcunque siccos siue adurentes habent vteros, propter defectū alimenti non concipient. Nam in siccis vteris tale quid accidit, quale vbi aut arenæ, aut argillosæ terræ, aut petrosę mandantur semina. In habentibus autem immodicam caliditatē, quale vbi valde calidę terræ semina cōmittūtur, queādmodum in æstibus sub Cane contingit. Sic quidem quatuor qualitatum Hippocrates meminit, singularum seorsum facultatem exponens: vt si quando inuicem misceantur, manifesta sit earum cōmixtio. Post hæc autem inquit: Quęcunque vero ex vtrisque modice temperatæ sunt, fœcunditatem habent. Ex vtrisque autem, nō qualitatibus scilicet, (sunt enim quatuor) sed quæ sunt secundum ipsas oppositionibus. Sicuti enim dictum est in libro de temperaturis, vna quidem est bona tēperatura, mixtis modice inuicem calido ac frigido, altera vero humido ac sicco. & fieri potest vt sit aliquis vterus secundum vnam quidem oppositionem bene temperatus, secundum alteram vero male. Sed ne mulier concipiat, potest altera efficere intemperatura. Mulierem vero esse fœcundam, sine ambabus bonis temperaturis est impossibile. Hippocrates quidem sicuti totum sermonem anteriorem de muliebribus scripsit, sic & nuper dictum de ijs quas habent vteri temperaturas: nō tamē etiam audient de viris sermonē, vel quia promptū nobis sit ex ijs quę dicta sunt, easdem intemperaturas ad semen transferre, vel quia distulit ad sequētia, sed postea oblitus est. Quidam tamen alterum deinceps aphorismum de maribus adscripsere, cuius initium: Similiter & in maribus. Sed probatissimi aphorismorum expositores aiunt ipsum & ab Hippocratis mente & modo elocutionis manifeste deficere. Et quidem secundum proportionem illorum quę de mulieribus scripsit, licet nobis ad viros transcendentibus dicere quòd propter temperaturæ frigiditatem non bene semen concoquitur: atque ideo si mediocris quidem sit intemperatura in ipso, indiget vtero calido sufficienter. Si vero immodica sit, est omnino sterilis, vel propter humiditatem rursus ne-

que concoquitur: & hoc etiam indiget, si modica sit intēperatura, vtero calidiori ac ficciori. si vero immodica, sterilis est. Eodem modo & propter excedentem calorem semen fit tosto simile. Ob siccitatem vero, vbi primū excidit, neque extendi potest: quod maxime fit necessarium si mulier debeat cōcipere. Ostensum est enim in sermone de semine, quòd nisi per vteri cauitatem parte plurima semen extēdatur, mulierem non cōcipere. His veluti quibusdam elementis à nobis adstructis, deinceps dicamus id quod ab initio distulimus dicere, quod etiam à Platone in Theęteto proponitur. Inquit em̄ & hoc esse maximum opus obstetricum, scire coniungere inuicem corpora apta ad cōceptionem, (quod nūc in sermone dictum est) & simul posse discernere qui viri sint infœcundi, & quæ mulieres steriles. nam immodicæ intemperaturę, horum sunt causę. modicę vero si sint, & contrarijs coniungantur, tūc concipient mulieres. si vero similibus, non concipiēt. Neque enim fieri potest vt frigidum semen in vtero frigidiore sit fertile, neq; siccum in sicciore, & aliorum alterutrum eodem modo: sed indiget semen quidem frigidius, vtero tanto calidiore, quanto deficit ab optima temperatura: & humidius sicciore: & in alijs eodem modo. Cognitio autem omnium immodicarum vteri intemperaturarum est quam pauloante dixit Hippocrates in suffitu qui per aromata fit. Frigiditas enim spissitudinis ratione nō permittit vsq; ad os & nares ferri aromatum exhalationem. Eodem modo & siccitas. Humiditas vero sicuti ab ipso dicta est extinguere genituram, sic & aromatum qualitatem. Reliqua est vehemens caliditas. siquidem ea ratione quòd vincit aromatum facultatem, alterat atque corrumpit: ac propterea non permittit ipsa seruantia sui naturam sinceram, circa os & nares referri sufficienter. De hisce naturis ex suffitu aromatum cognitio pręstabit. Si vero non potest hæc sufficienter haberi, ex alijs indicijs nobis erit talis natura inuēstiganda, hocipsum cognoscentibus, quòd rara admodum est huiuscemodi temperatura in mulieribus, siquidem fœmina est mare frigidior. Vnde ob hoc

ea quam facit Hippocrates ex aromatum suffitu dignotio, in sterilibus mulieribus vtilissima est, vel quia omnis immodica intemperatura isti subijcitur, vel quia rarissime vna ipsam subterfugit in mulierib9 illis quę tenues apparent & nigræ & hirtæ: ita quòd ex his signis percipitur earum immodica intemperatura sine suffitu aromatum.

LXIIII

SImiliter autem & in maribus. Aut enĩ propter corporis raritatẽ spiritus extra fertur, vt semen non transmittatur ad os, vel propter spissitudinem humor non exit foras, vel propter frigiditatem non concalescit, ita vt ad hunc colligatur locũ: vel propter caliditatem hoc idem accidit.

QVi hunc interposuit aphorismum, neque proprias voces intellexit. Nã cum profiteretur eũdem in viris sermonem se facturum sicut Hippocrates in mulieribus scripserat, non adimpleuit hoc. Cum enim ille de quatuor intemperaturis fecisset mẽtionem, oportuit hũc etiam quatuor in maribus, vt nos fecimus, in medium adducere: verũ non sic iste, sed primum quidem statim damnat corporis raritatem, quæ in mulieribus fuit prætermissa. Neque eius sermo, si ipse seorsum diligentius examinetur, verus depræhendetur. Videntur siquidem viri multi habẽtes rarum corpus, semen tamen habere fœcundissimum. neque id mirum. Raritas siquidẽ corporis in calidioribus atque humidioribus prouenit tẽperaturis, quæ plurimo semine & fœcundissimo abũdãt. Nam & materiam habẽt ex qua semen generatur copiosum, & vim à qua cõcoquitur. Vasa autem seminaria sua intentione expressum semen extra iaculantur, & non spiritus est ille qui propellit. siquidem substantia spiritualis cum humore miscetur seminis, quæ & ipsa indiget exprimentibus, sicuti & humor, qui tantum siccum superexcedit, quãto & celerius extra eijcitur, & ad lõgius spatium

defertur. Hęc igitur sunt ab eo ignorata qui aphorismum adiecit, & præterea cum ait humorem propter spissitudinem nō exire foras. Si enim alium humorem à semine dicit, sermo delyrus est. Si vero ait semen propter corporis totius spissitudinem non exire foras, ignorat omnino quę sit structura instrumētorum quæ seminaria vocātur. melius enim fuerat ipsorum causari angustiam. Et quidem id quod deinceps est dictum, vsque ad aliquid verum, nō habet id quod sequit, intelligibile. Nam quòd propter tēperaturę frigiditatem semen non cōcalescat, ac propterea sit infœcundum, verum existit. Quòd autem colligi nequeat ad locum hunc, superfluo adiectum est, præter id quòd neq; locus ab ipso explicatur, sed à nobis intelligendus relinquitur: & tamē id verbum hūc, ad ea quæ prius dicta sunt, habet relationem. Sed hæc quidem parua sunt: qui vero circa finem error, est magnus, cū dicat propter ipsius caliditatem hoc idem euenire. nam manifeste ad illud quod antea dictū est, sermo iste refertur. Dictum aūt antea fuit quòd propter frigiditatem non cōcalescat adeò vt ad hunc locū colligatur. Quare propter calorē oportet intelligere non cōcalescere neq; colligi in vasis seminarijs semē. Hoc aūt est aperte absurdū. Nam torreri aut assari aut tale aliquid semen pati propter calorem, rationem habet: non concalescere autem, est oīno perabsurdum.

LXIIII

LAc dare caput dolētibus, malum: malum vero & febricitantibus, & quibus ilia suspensa murmurāt, & siticulosis: malum autem & quibus in febrib9 acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Conuenit autem & tabidis dare qui non valde multum febricitāt, & in febribus longis, & partiis, si nullum ex supra dictis signis affuerit, & pręter rationem consumptis.

QVòd lac facile alteretur, & quòd duplicem habeat alteratioñe:quando pluri adhęreat calori, statim euaporãs:quãdo autem pauco, cito acescens:tibi licet perdiscere partim statim cum ex mammis excidit, ad ignem elixanti:partim ipsum iacere per seipm permittenti. Nam elixato ad fumum euersio fit, iacẽti autem omnino aduenit acor vel citius vel tardius. Sic autem & in sanis, si non bene cõcoquatur, in quibusdam acescit, in quibusdam autem euaporat. in vẽtriculo quidem frigidiore acescit, in calidiore vero euaporat. Lac vero quod bene cõcoquitur, nutrit, & bonos facit humores: & dum concoquitur, his pariter attollit ilia, & tãgit caput. Hos effectus & passiones in sanis etiã videbis. Verũ quę ęgrotis accidunt, percurrit Hippocrates: quæ semper quidem experiri volentibus manifestantur: & possunt etiam ante experientiam cognosci. Vbi em̃ in ĳs qui integra sanitate fruũtur, videmus lac capiti dolorem afferre, & ilium inflare: nihil mirum excogitãti quòd ĳs qui iam caput dolẽt, vel suspensa habent ilia, sit inimicissimum. Recte autem dixit ilia suspensa, licet dicere potuerit inflata & flatuosa. Neq; em̃ hæc sola lac potest offendere, sed & alia omnia quæ sunt quouis modo suspensa, propter aliquam talem qualis est inflãmatio, vel erysipelas, vel tumor prædurus vel laxus, passionem. Adhuc autẽ magis si abscessus nondum sit in ilio diruptus, non est neq; his vtile lac. Hęc itaque omnia per vnum verbum ostendit Hippocrates, inquiens: Ilia suspensa. Nocere autem ait & murmurãtibus lac, quæ alia sunt ab inflatis & distentis. flatuosa quidem ac neruosa & hæc sunt. Maior itaq; offensio ilĳs distentis, minor vero murmurãtibus: sed tamẽ neq; his est vtile lac. Acescit em̃ in ipsis. Serum tamen lactis sale & melle condiẽtes, plurimis talib⁹ exhibuimus: & iuuãtur citata ipsis aluo. Et sitientibus malum inquit lac esse. Supponit enim in ipsis, siue natura sitierint, siue ex aliquo tẽpore sitis aduenerit. Et quidem quibus biliosa deĳciuntur, & in ĳs equidem dicerem lac euaporare. Non minus autem & ĳs qui talia euomũt. Nam in vniuersum didicimus quòd ce

lentime ab omnibꝰ causis calidis lac ad fumosum alteratur. Rationabiliter itaque ĳs qui acute febricitant, nocet. Et mihi videtur sermo melius in hunc modum se habere, Malum autem & quibus biliosę deiectiones, & acutis febribus. Neque enim vtrisque simul iunctis tantummodo noxium est lac, sed seorsum in alterutro. His igitur passionibus lac plurimum aduersatur. Vtile autem est ĳs quæ sequuntur ab Hippocrate scripta in hunc modum, Conuenit autem tabidis non valde febricitantibus dare. Nam primum de tabidis facit mentionem. Intelligendum autē est ipsum ita nominare illos qui tabem ex vlcere pulmonis patiuntur. Nam alios qui alia ex causa sunt extenuati, ipse deinceps nominabit in verbis illis quorum initium est, Et in febribus paruis. Commune autem in omnibus qui lacte indigent, quòd cibus bonum generans succum, & qui cito per venas distribuatur, illis est necessarius. Neque mirandum est si lac dicimus bonum succum generare, cum quid habeat flatuosum. Nam in vniuersum, bonū succum generare dicimus quæcunque post coctionem ad bonum humorem transmutantur, hoc est ad sanguinem. hic enim humor est nobis amicus. Cur autem cum dixisset, Cōuenit autem tabidis, adiecit, Non valde multum febricitātibus: mihi videtur dignum inuestigatione nō parua. nam sufficiebat etiam sine valde dicere. Nunquid & multum febricitātibus lac exhibet: solis ĳs qui valde multum febricitāt, haudquaquam exhibens: an ab aliquo adiectum fuit verbū valde, sicuti & pleraque alia? Hęc itaque quispiam per ocium inquirat. Sciat autem eam à nobis addiscēs, lac multum febricitantibus dandum non esse. Miror autem quomodo in illis in quibus lac dari iubet, adscripsit, Nullo eorū quę prius dicta, pręsente. quod fuit à breuitate aphoristica alienum. id enim erat ex ĳs quæ prius dixerat, cognitum etiam hoc non adiecto quòd dādum est tabidis, & pręter rationem extenuatis lac, nisi caput doleat, aut iliū intumuerit, aut biliosę sint deiectiōes, aut tale aliquid aliud ipsis adsit. Vel non simpliciter, neq; semper seruare breuitatē videtur Hippocrates, sed in qui-

bus magnum aliquod periculum imminet si negligentius quod ab ipso docetur, audiatur, in his bis ter'ue repetere eadem non veretur.

LXV

QVibus tumores in vlceribus apparēt, non conuelluntur maxime, neque insaniunt: verum his euanescentibus, derepente quibusdam a tergo conuulsiones & distentiones fiunt, quibusdam ante insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi.

οἴδημα quid Hyppocr: sit.

OMnes prçter naturam tumores Hippocrates οἰδήματα, id est inflammatiōes nominat, sub quibus videlicet etiā tumentes inflammationes continentur. & hoc ipsum nomen inflammatiōis antiqui omnes magis inflammationibus quç sine vllo sunt tumore, adaptabat. Quod igitur dicitur, tale est: Quib9 tumores vlceribus adueniunt, non admodum conuelluntur, neque insaniunt. Hoc autem indicio est quòd nonnulli quidem in ipsis conuelluntur & insaniunt, sed raro hoc patiuntur, quando videlicet magnitudinem effatu dignam vel malignitatem assumpserint. Si vero tumores derepēte euanescant, conuulsiones ac distētiones, quādo in partib9 retro, hoc est in dorso vlcera fuerint. Quç vero deinceps dicūtur, si in partibus anterioribus fuerint, consequi dicit. Posteriora siquidem neruosa sunt, anteriora venosa atque arteriosa. Quando igitur ab vlceratis partibus humor qui fecit tumorem, ad aliquam partem principalem se contulit: in partibus quidem retro neruosis conuulsiones fient ac distentiones; (nam hç sunt neruorum passiones) in anterioribus vero insania, si feratur ad caput: lateris autem dolor, si ad thoracem humor cōuertatur. Sæpi9 vero & hi suppurantur, si humor non dissoluatur. Difficultatem vero intestinorum fore inquit, si tumoribus rubentibus conuersio repente fiat: illam quidem intestino-

rum difficultatem,quam sanguineam nominant,quæ est sanguinis euacuatio per intestinum absque exulceratiõe. Quod igitur si vel in dorso,vel in partibus anterioribus illi oppositis contigerit aliquando tumores derepente euanescere, in tales ægri incidunt passiones, nos vidimus: non tamen ipse nobis Hippocrates manifestauit si de his partibus solis loquatur, an simpliciter de omnibus, ita quòd etiam membra extrema hoc sermone comprahendantur. In tibijs itaque neque sunt in partibus anteriorib9 musculi in chordas validas desinẽtes. In coxa vero in partibus genu anterioribus magnam videmus chordam: in qua per compatiendi rationem,rationabile magis fieri cõuulsionem, quàm in aliquo musculorum qui sunt in partibus coxæ posterioribus. Sũt enim omnes carnosę. Quare nõ verum videretur id quod vniuersaliter dicitur,quòd ex partibus tantum posterioribus accidunt conuulsiones. Videtur quidem magna ex parte id fieri,non in cruribus solis,sed etiam in manibus, forte quoniam hæ partes oẽs è directo sunt dorsalis medullæ. Nascuntur autem ab hac & membrorum extremorũ nerui, & dorsaliũ musculorũ.

LXVI

SI in vulneribus fortibus & prauis tumor non appareat,ingens malum.

POtest quidẽ & vltimo verbo aphorismi malũ, adiungi ingens: potest autem & priori parti aphorismi. Fiet ẽm sermo talis: Vulnerib9 prauis existentib9,si tumor non appareat,ingẽs est malum. Vel talis, Vulneribus prauis existẽtibus, si tumor ingens non appareat,malum. Cõtingit autem & verbum ingens,cõmuniter dici,ac si ita dixisset: Si vulneribus prauis existẽtibus,tumor ingens non appareat,ingens est malum. Melior vero ex tribus sermonib9 meo iudicio est talis: Si vulneribus prauis existentibus,tumor non appareat,malum est ingens. Dictum autem & antea est quòd tumor generaliter dicitur de omnibus tumoribus præter naturã. Vulnera autem praua dici existimandum est quæ sunt in ca-

pitibus aut finib9 musculorum, & maxime neruosorum. Nam in capitibus musculorum, musculis nerui adnascuntur, ex finibus autem chordæ oriuntur. Sicuti igitur paulo prius damnabat omnes tumores derepente tumescentes, ita nunc illos qui neq; omnino adueniunt vulneribus prauis. Nam & in his suspicandum ne humores ad vulnera defluentes, ad partes principaliores trāsmutentur. Et hoc in illis præsertim fieri vulneribus est existimādum, in quibus adest quidem dolor, & propter ipsum omnino aliquid influit, à medicis autem reprimitur cum valde infrigidantibus aut adstringētibus medicamentis: sicuti si dolor absit, neque fluxio mouetur. Maxime autem dolores patiuntur partes neruosæ, quæ medicinas calefacientes atque exsiccantes desiderant.



LXVII

Olles boni, crudi vero mali.




Ic sermo pars est antecedentis, docente Hippocrate omnes tumores quicūq; molles sunt, optimos esse: contrarios vero prauos. Proprie igitur molli opponitur durum atque renitens: Hippocrates vero crudum ipsum nominauit. Neque enim fieri potest vt sit tumor renitens bene concoquente membri natura humores ad ipsum confluentes.



LXVIII

Olenti partem capitis posteriorem, in fronte recta vena incisa prodest.



On solum studet Hippocrates vbi sit opus euacuare, sed cum auersione. Auersio autē ad contraria fit secundum longitudinem quidem supra infraque, secundum latitudinem vero hinc & inde, hoc est à dextris & à sinistris, secūdum profundum vero ante & retro. In doloribꝰ itaq; partis capitis posterioris, cum auersione euacuatio ex fronte fiet: sicuti & in anterioribus, ea quæ secundum occiput. Sic itaque diuturnæ oculorum fluxiones sæpius sanatæ sunt, ex partibus secū-

dum occiput sanguine misso, vnà cum cucurbitulæ vsu.

LXIX

RIgores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput, sed & viris parte corporis posteriore magis quam anteriore, veluti femorum, cubiti. Sed & cutis rara: indicio autẽ est pilus.

RIgores omnes incipiunt quidem cum sensibili frigore: paratiores autem non solum ad suscipiendam, sed etiam sentiẽdam frigiditatem, sunt dorsi partes: quare non absque ratione hinc rigores incohãt: & hi citius fiunt mulieribus, quoniam fœmina est natura frigidior atque imbecillior. Recurrit autem hinc rigor incipiẽs, ad principium neruorum, scilicet caput, celerrima facta per spiritalem medullam cõpassione, quoniam & ipsa natura frigida est, sicuti & cerebrum, & propter substantię mollitiem similiter facile alterationem suscipiens. Ex partibus autem anterioribus rigores non incohant, quoniam calidiorem habent quàm partes posteriores temperaturam. & horum argumentum sumit ex cutis raritate: huius vero ipsius rursus ex pilorum multitudine. Dictum autem à me est de generatione pilorum sufficiẽter in commentarijs de temperaturis.


LXX


A Quartanis capti, non admodum a cõuulsionibus capiuntur. Si vero prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur.

QVę quidẽ fit ex euacuatione cõuulsio, acutissima est & pniciosissima: que vero ex repletiõe partium neruosarũ, qualis in morbo comitiali, neque acutissima, neque similiter periculosa. Meminit autem Hippocrates nunc non de tali conuulsione. nam ver-


ba capti & capiuntur, longitudinem temporis ostendũt. Hanc itaque conuulsionem quartana non solum prohibet fieri, verum si fieri anticipauerit, soluit. Fit autem ab humoribus lentis ac pituitosis qui partibus neruosis inserti sunt. Cum vero horum humorum duplex sanatio sit, excretio scilicet & coctio, ambas habet quartana, excretionem quidem ex rigore, (hæc enim sola agitatio sufficiens est crassum excernere humorem) coctionem vero, caloris febrilis ratione, qui rigorem consequitur.

LXXI


Vibus cutes circumtenduntur aridæ & siccæ, sine sudore moriũtur: quibus vero laxę & rarę, cũ sudore moriũtur.


Orituri, qui quidem squalidas, duras & siccas habent cutes & extẽtas, sine sudore moriũtur: quãdo vero cõtrario, laxas videlicet & molles & raras, cum sudore moriũtur. prioribus siquidem humiditas vel omnino deest, vel cuti: aliĳs vero inest cuti.

LXXII


Vi regio morbo laborant, non multum ventosi sunt.


Entosos ab ipso nunc dici est existimãdum illos qui in ventre colligunt multitudinem venti flatuosi, qui vel per ructus vel flatus excernit, vel remanet, & extendit quæ inibi sunt. Fit autem hoc nõnũquam quidem ob debilitatem, & partium ad vẽtrem attinentium imbecillitatem, nonnunquam vero ex pituitoso & frigido humore. Hi itaque qui propter pituitosum humorem ventosi sunt, contrarĳ sunt regio morbo laborantibus, qui ex bile accidit. Quare hi nunquam ob humoris exuperantis naturam ventosi fierent. Contingit aũt ipsos ob partium imbecillitatem fieri aliquãdo ventosos. Quare sermoni adiecit, Non admodum: continuum quidem negationi adimens, ostendens autem maiori ex parte quod prius dixerat, fieri. Neque enim admodum inueni-


te contingit regio morbo laborantes habere partium ad ventrem attinentium imbecillitatem.

GALENI IN Hippocratis Aphorismos Liber sextus, interprete Nicolao Leoniceno.

I



N LONGIS leuitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat qui prius nõ erat, signum bonum.



EVITAS intestinorum est velox exitus eorum quæ comedũtur atque bibuntur, quæ talia deijciuntur, qualia fuere deuorata. Si quis vero vellet breuiorem afferre definitionem, diceret esse carentiam coctionis, cum neq; secundum consistentiam, neque secundum colorem, vel odorem, vel vllam omnino qualitatem, in ventriculo facta fuerit mutatio ciborum. Tale autem nomen hæc passio sortita est, existimantibus illis qui prius talem ei indiderunt appellationem, fieri ipsam propter intrinsecę superficiei intestinorum leuitatem, ob quam cibos qui continẽtur in eis, non amplius appręhendunt, vt eum suam seruarent sibi à natura inditam asperitatem, retinebãt. In pluribus itaq; alijs, qui primi nomina rebus imposuere, collaudandi: non tamen in leuitate intestinorum viros accepto qui ignorauerint quòd ipsius ventriculi proprium est cibos amplecti, ac se circũstringẽdo, certo tempore retinere, & rursus ad inferiora demittere.

Et ſicuti in veſica fit vrinę ſtillicidium, non expectante vt illa colligatur, ſed ſtatim tanquã mordentẽ aut aggrauantem expellente: ſic & in vẽtriculo veloces exitus. hi enim ſunt omniũ excretionum cauſæ: quas ſi illi ſciuiſſent, qui primi hanc paſſionẽ leuitatem inteſtinorum nominarũt, talem de ea opinionẽ abieciſſent, & vice eius, totius ventriculi atq; inteſtinorũ imbecillitatem in cauſa poſuiſſent ob quam hæ partes corporis grauatæ à cibis aſſumptis, ipſos confeſtim excernunt. Fieri autem poteſt aliquando vt à quorũdam humorum mordacitate in ſuperficie exulceratis. fiat hæc paſſio, etſi ipſa vis non multum patiatur tunc enim erit neceſſarium, vt permeantibus cibis, partes exulceratę dolorẽ ſentiant, atq; ideo illos propellant, atq; à ſeipſis citiſſime emittant: quo in omnibus partibus facto, velocitas exitus ſubſequetur, & nullum fiet initium coctionis. Verum tali inteſtinorum leuitati cuiuſdã morſus inerit ſenſus. In illa vero quæ accidit propter ventriculi atq; inteſtinorum imbecillitatẽ, abſq; vllo doloris ſenſu fiunt deiectiones. Adeſt autẽ & hæc haud parua vtriq; differẽtia. Quæ enĩ abraſa fit, humorũ acritudine in ventriculi atq; inteſtinorum ſuperficie, ceſſante humorũ malignitate, ſtatim ſanatur cibis ac potibus qui vim denſandi habent. Quòd ſi longiori tẽpore perſeueret, in alteram paſſionem quæ dyſenteria, id eſt difficultas inteſtinorum nominatur, tranſmutatur. Quę autem potentię retentiuę ſequitur imbecillitatem, omnino quidem fit ex intemperatura, ſed vel ipſorum corporũ quæ iam habitum quendam non facilẽ ſolui contraxerunt, eſt diſpoſitio, vel propter humorem aliquem qui in ventriculo atq; inteſtinis continetur, euenit: ex quibus humoribus vnus eſt pituita. Vnde & acidos ructus, qui tali paſſione laborant, habent, quos græci ὀξυρεγμίας nominant: qui ſine aliqua pituita quandoq; in ventriculo frigidiore fiunt: & in quibuſdam leuitatibus inteſtinorũ quæ ex frigiditate ortum habẽt, vnà fiunt, ſed progreſſu temporis ceſſant. Nam ab initio paruo quodam tempore cibi in ventriculo retinentur, procedente autem atq; aucta paſſione, neq; hoc tem-

pore retinentur. In quibus igitur paruo remanent tempore, fit quoddam veluti initium coctionis, & propter hoc non sortitur effectum. Nos vero didicimus imperfectas coctiones ex frigiditate prouenietes, ructus acidos facere. In quibus autem cibi nullum habet coctionis initium: neque vlla ab initio fit secundum qualitatem mutatio, adeò quòd neq; ructus acidi, nisi pituita præsertim acida in ventriculo abundet. propterea Hippocrates non simpliciter dixit bonum esse signum acidos ructus in leuitatibus intestinorum, sed primũ quidem in longis adiecit, quasi cũ incipientibus, vt dictum est, sæpius vnà eueniant: deinde vbi prius non fuerint, inquit. Quęcunque enim à pituita vẽtriculum refrigerãte fiunt leuitates intestinorum, semper cum ipsis sunt acidi ructus, vt casus quidam. Illis igitur quę neque incipiunt, neq; ex pituita fiunt, non insunt acidi ructus. quòd si aliquando fiant, significant tantum aliquando tempus cibum in vẽtriculo retineri, quòd principium mutationis accipiunt, & naturam suorum operũ teminisci. Et iam, vt arbitror, satis impleſſe videor expositoris officium. Si quis vero eorum quę dicta sunt, vult capita omnia scientia comprẹhendere: in tractatu qui de potentijs naturalibus inscriptus est, non paucas habet de vẽtriculi viribus demonstrationes: in causis autem accidentium, de omnibus quæ velociter excernuntur. Quoniam vero Erasistratus in secundo de ventriculo mentitus est de medicis se ætate superioribus, turbauit autem atq; confudit intestinorum leuitatis notionẽ: melius mihi visum est hæc superaddere, & primum ipsius Erasistrati verba subscribere, quę ita se habent: De ea quæ leuitas intestinorum nominatur, dicẽdum: quam priores medici in tres partes diuiserunt, in difficultatem intestinorum, in leuitatem intestinorum, & tentionem. & quidam in ijs quę excernuntur, differentias considerantes passionis, atque dicentes. Quando enim sanguinolenta atque mucosa exeunt quæ à ventriculo fuere concocta, tunc difficultatem intestinorum nominabant. Si vero exeuntia cruda, mixta autem sanguinolentis atq; mucosis, leuitatem intestinorum vo-

cabant. Cum vero biliosa mixta cum sanguinolentis atque mucosis excernũtur, tentionem passionem appellabant. Hæc igitur Erasistratus inquit, nescio qua ductus opinione, adijciens crudis excrementis mucosa ac sanguinolenta. Hoc enim nullus apposuit, neque eorum qui eius ætate claruerunt medicorum, veluti Philotimus, Erophilus, Eudemus, neque eorum qui posteriores fuerunt Archigenis sectatores, neque quos ipse citat, medici superiores, hoc est ipso Erasistrato seniores. Diocles siquidem in libro de curatione causę passionis, scribit in hunc modum: Tertia fit magna ex parte ex difficultate intestinorum. Vocatur autem leuitas intestinorũ, ad quam sequitur deiectio humida ac spumosa, & cruda, & multa, & cita post cibum assumptum, ac potum. Praxagoras autẽ in secundo de assidentibus, inquit: Intestinorum leuitate laborantibus, quoniam lubricum est intestinum, ieiunum præsertim, necesse est cito ciborum fieri deiectiones. Post hæc deinceps quòd necessariũ sit cito exeuntia esse omnino cruda, Praxagoras scribit, maximã quidem passionis proprietatem in cita ponens deiectione: quòd vero cibi omnino incocti permaneant, hoc vnum faciens ex ijs quæ necessario consequuntur. Neque enim quia omnino incocti permanent cibi, ideo cito deijciuntur: sed quia cito deijciũtur, idcirco nullam habent coctionem: atque ideo nos, & alij medici plurimi, citam ciborum nullam habentium coctionẽ deiectionem, dicimus esse leuitatem intestinorum. Sic & de ipsa videntur sentire & alij medici antiqui. Nam & in libro de passiõibus Hippocratis, siue eius sit liber, siue Polybi eius discipuli, hæc de leuitate intestinorum scripta inueniuntur: Cibi deijciuntur imputridi, humidi, absque dolore, corpus autẽ extenuatur. Liquet vero fuisse morem antiquũ illorũ virorum, vocare imputrida quæ nos incocta nominamus. In libro autẽ de victu salubri, qui etiam & ipse Hippocrati adscribitur, (licet qui adulterinũ censent, nonnulli ad Aristonem, nonnulli ad Philistionẽ, quidam ad Phestam referant) scribũtur hęc verba: Patiuntur nonnulli talia: cibus eis deijcitur humidus, incoctus, non

propter morbum, veluti leuitatem intestinorum: neq; aliquem ipsis affert dolorem. Hi quidem viri omnes Erasistrato seniores. Mille autē alij, quos dixi, omnes qui Erasistrati ætate viguerunt, in eandem sententiam de intestinorum leuitate scripserūt. Quare nescio qua causa ductus de priscis hominibus mentiatur, illos inquiens arbitrari in leuitatibus intestinorum sanguinolenta atque mucosa cibis incoctis commisceri.

II

Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur: quibus vero contraria, salubrius degunt.

IN sicciorībus secūdum naturam temperaturis nulla omnino superfluitas manifesta neq; sensibilis per nares effluit ex cerebro, sicuti neq; per cutem sudor: sed illa quæ à medicis difflatio occulta nominatur, superflua extenuata per modum vaporis euacuat. Humidioribus vero naturis sensibiles fiūt superfluitates, præsertim cerebri, quoniam est natura frigidius. His vero & eisdē genituram, hoc est semen ipsum, ait esse humidiorē: sicuti in sicciorib9 aquosa humiditate cōsumpta, crassius ac siccius est semen. Eos igitur qui sunt humidiores, siue secūdū cerebrū tantū, siue corpus vniuersū: nō cōtingit salubrem vitam omnis expertem noxæ traducere, verū continuo destillationibus ex parua occasione capiuntur: & si superfluitas eis ad inferiora per palatum descendat, partes subiectæ offendūtur, fauces, guttur, aspera arteria, pulmo, gula, ventriculus. Tusses itaque in ipsis fieri, & difficiles anhelitus, & anginas, cruditates'que, & ventris profluuia, est necessarium, nonnunquam vero & difficultates intestinorum, qnando quod destillat, salsum quodammodo fuerit. Dixit autem & ipse de his in libro de aquis, de aere, & de locis, sicuti & in libris de morbis ac passionibus.

III



N lõgis difficultatibus inteſtinorum, inediæ ex faſtidio, malum: & cum febre, peius.

Difficultates inteſtinorum fiũt quidem ex humoribus acribus, ſunt autem inteſtinorum exulcerationes primum quidem ſumma occupantes, progreſſu autem temporis & profundiora, omnino habẽtium & vlcera putrilagini obnoxia: quo maxime tempore etiam ventriculus ipſis compatiens, ad concoquendum offenditur: qua offenſione magis ac magis ad ſuperiora perueniente, quando & os ventriculi vnà afficitur, ſunt cibum faſtidientes, hoc eſt inappetẽtes. Sunt quidem & ab initio nonnũquam cibum faſtidientes propter malos humores fluentes ab hepate, à quibus diximus abradi inteſtina, præſertim cum hi amarę bilis naturam habuerint. Nam pars eorum ſuperfluitans, ad os vẽtriculi effertur. In longis vero difficultatibus inteſtinorum cum hic caſus euenerit, mortem quandam ipſi adueniſſe ventriculo compatiendi ratione ſignificat, in qua omnino interijt appetentia, opus ad vitam neceſſarium. Si vero vnà cum inappetentia febris adueniat difficultati inteſtinorũ, duorum alterũ, vel putredo aliqua eſt circa vlcera, vel digna effatu inflammatio: atque ita, vt dictum eſt, toto patiente ventriculo, ægri ſe habent exitialiter.

IIII



Vlnera circunglabra, praua ſuut.

QVando ſcilicet videris pilos defluentes à circũiacentibus vlceri locis, vel cutem ſquamulas ẽ ſumma parte dimittere: ſcito ijs qui ita ſe habent, prauos humores ad partem confluere, qui vlcus erodunt. Neque enim radices quidem pilorum poſſunt corrumpere, loca autem vlcerata permittere ad cicatricem peruenire.


V

Dolores qui sunt in lateribus & pectoribus atque aliis partibus, si multum differant, perdiscendum.

Perdiscere oportet nō modo locū dolētem, qualisnam sit, sed & magnitudinem doloris in eo, quāta sit. Hoc aūt confert & ad loci patiētis dignotionem, & ad pręcognitionem eorū quę circa ęgrum futura sunt, & pręterea ad curationis inuetionem. Si ergo in lateribus magnus fuerit dolor, primum hic esse nō potest quin mēbrana quæ subcingēs nominatur, patiatur: secundo aūt neq; absq; periculo est: deinde & maiore indiget curatione: si quidem ad clauiculam dolor pertingat, venæ sectione: si vero ad ilia, purgatione: quēadmodum ipse in libro de victu acutorum edocuit. Si quidē mediocris fuerit dolor, & præterea nō pūgat, vt qui in mēbrana subcingēte est, neq; ad clauiculam pertingat aut ilia, contingit ipsum carnosis costarum partibus patientibus fieri, atq; ideo neq; esse periculosum, neq; magno auxilio indigere. Sic & in singulis aliis partib9 doloris magnitudo est cōsiderāda: veluti si renum pars carnosa patiatur inflāmationem, dolor est grauis: quēadmodum ipse inquit in Epidemiis, ita illum nominās, qui veluti cuiusdam ponderis loco incūbētis inuehit sensum. Aliis vero partib9 quę sunt in rene, patientibus: dolor sentitur acutus. Dico autē alias partes quę sunt in tunica hūc obtegēte, & vētrem eius interiorem, & eas quæ ad hunc terminātur arterias ac venas: ac pręterea ortus vasorum vrinariorum. Sic pręterea se habet res etiā in hepate. Nam eius parte carnosa inflammationem patiēte, grauis fit dolor. Tunica vero circūducta, vel vasis, acutus: & ipsius doloris acuti quantitas maior aut minor, causæ facietis affert indicium. humor siquidem biliosus & acutus dolorem auget, sic & spiritus flatuosus non habēs exitum: exoluit autem pituitosus. Non solum autem magnitudo qualitatis aliquod nobis dat doloris indicium, sed etiā quantitatis. Augetur eīn nō cuiusli

bet causæ efficientis opus eius aucta substantia. Si itaque vniuscuiusque doloris volens à nobis magnitudinem considerari, hunc aphorismum scripsit Hippocrates: sufficienter ipsius vsum exposuimus. Si vero non solum secũdum magnitudinem, dolorum differentiam dicit fore considerandam, sed generalius quoddam ac veluti vniuersalius ostendit, consulens nobis omnes effatu dignas dolorum differentias inspicere: maiorem adhuc ex eo fructum vtilitatis percipiemus. Fiet enim huiuscemodi sermo: Non simpliciter partium dolorem considerare oportet: neq; arbitrandum eandem esse in omnibus dispositionem: veluti si prius quidem Dion, postea vero Theon coltam doluerit: non eodem modo vtrunque se habere existimandum, sed discere oportet nũquid maxime inuicem in dolore differant, an quodammodo similes existant. Fit autem ex duob9 perspicuum, & ex doloris specie, & ex vehementia. Ex specie quidem, si pungenti similis vel tendenti, vel torporem inducenti, vel grauanti, vel stimulanti, vel ferięti, vel cõtinuus, vel cũ intermissione, vel æqualis, vel inęqualis. Secundum autem vehementiam quis sit maior aut minor, aduertendum: quæ paulo antea secundum magnitudinem differentia in doloribus dicebatur. Consueuere siquidem medici verbo abutentes, omne vehemẽtius, maius nominare, siue sit secũdum qualitatem, siue secundum quãtitatem. Quare neque cessant febrem magnam vel paruam vel mediocrem omnes nominare, quæ suam habet in caliditate substãtiam. Quare nihil miradum si & dolorem vehemẽtiorem, maiorem appellãt. Adhuc autem & minus dignum admiratione si quęcunque inuicem distãt speciebus, aiunt magnum habere discrimen: veluti dolorem qui ponderis cuiusdam similitudinem gerit, ab eo qui videtur ferire, vel aliquod aliud pati ex ĳs quæ antea diximus.

VI



Enum & vesicę vitia in senioribus difficulter sanantur.

IN fenibus vix(inquit)fanātur,hoc eſt multo negocio ac tempore quæ in renibus ac veſica ſunt vitia,quoniam earum opus indeſinēs eſt, quiete autem opus eſt ſi quid ſanari debeat : & quia ſuperfluitas acris apta irritare,ſiue vlcus,ſiue inflammatio, ſiue aliqua alia paſſio in ipſis conſtiterit. Multo autem difficilius ſanantur in ſenibus veſicę paſſiones : quoniam & omnes alij morbi,præcipue longi. Tales autem & ipſe ſuperius dixit commori omnes.

VII

DOlores vētris ſublimes,leuiores : qui vero non ſublimes,fortiores.

SVblimes nunc audiendi ſunt, non ſecūdum longitudinem corporis,ſed profunditatem. Interſtinguuntur autem hi in locis ad ventrem attinētibus,membrana interiore abdominis, adeò quòd quicunque ſupra hoc fiunt,ſublimes vocātur : qui vero infra, hoc eſt in ipſis inteſtinis atque ventriculo & in profundo, non ſublimes dicūtur. Liquet autem quòd tales dixit eſſe fortiores.

VIII

AQua intercutem laborātibus, vlcera in corpore facta,difficulter ſanantur.

DOcuit ipſe in libro de vlceribus,non prius ad cicatricem perdūci vlcera,quàm ſufficiēter exſiccētur:hoc autem non facile fieri in ijs quos aqua intercutem male habet,ob humiditatis immoderātiam.

IX

LAtæ puſtulæ non admodum pruriunt.

SIcuti tubercula omnia duplicem habent differētiam,quoniam quędam tendunt in acumen,& altum petunt: quędam ad maiorem extenduntur locum , non tamen in altum attolluntur : ſic & puſtu-

læ nonnullæ ſublimes, nonnullæ latę fiunt. Sublimiores autem puſtulæ atque tubercula à calidiore humore generantur, humiliores autem à frigidiore. Quare ob duplicem cauſam latæ puſtulæ non admodum pruriunt. Diſtantur enim in latitudinem extenta, & faciẽtem ipſas humorem minus acrem habent.

X



CAput dolenti, & circũdolenti, pus vel aqua vel ſanguis effluẽs per nares aut os aut aures, morbum ſoluit.



CLura & alia ſic oſtẽſus eſt Hippocrates dicere: in quibus niſi quis animum aduerterit, videbitur quod ab ipſo dicitur, ſolum ad curationem paſſionis proficere, aliud vero nihil. Verum ipſe non hòc tantum dicit, ſed ſimpliciter quòd pus vel aqua effluens per nares vel aures, morbum ſoluit. Et ſi vtique cõueniẽs dixiſſet, quemadmodum ego nunc, ſermo foret irrepræhenſibilis. Quando enim vel propter inflammationem, vel humorum crudorum multitudinem in capite aceruatorum fieri dolorem contigerit, tunc inflammatione ſuppurata, aut humore excreto, ſolutio fit morbi. Si vero propter ſpiritum flatuoſum, aut ſanguinis multitudinem, aut bilem mordacem, aut omnino ex intẽperatura dolor acciderit, per alia ſanabitur.

XI



ATra bile vexatis, & renum paſſionibus, hẽmorrhoides ſuperuenıẽtes, bonum.




NOn ſolum ratione euacuatiõis hæmorrhoides ſanant huiuſcemodi paſſiones, ſed & ipſa qualitate humoris euacuati. Hę etenim ſanguinem craſſum conſueuerunt euacuare, humore plenum melancholico, talem habẽte in ſanguine conſiſtẽtiam, qualis eſt in vinis fæx: quare nihil mirum ſi atræ bili & renum paſſionibus conferunt.

XII


Diuturnis sanatio hæmorrhoidibus, si vna non seruatur, periculum est aquã intercutem vel tabem aduenire.


Aemorrhoidas fieri impossibile absq; hoc quòd propter multitudinem & crassitudinem sanguinis ora quarũdam venarum aperiantur, hepate ad ipsas reponente fęcem, & quandoque sanguinem melancholicum. Si quis igitur ei hoc intercludat iter, vnà & duritiem in hepate facit, & simul multitudine grauans ac crassitudine, calorem in ipso natiuum extinguit, cum tale quid accidat, quale in flammis exterioribꝰ, in quibus multa ligna superingestã strangulãt ignem atque extinguũt. Si igitur à natiuo calore generatur sanguis, clarum quòd ipso extincto non generabitur amplius. Aqua vero intercutem fit cum sanguinis generatio frustratur. Si vero aliquando possit hepar propellere multitudinem ad venas pulmonis, hic vase aliquo rupto tabidi fiunt. Non frustra igitur consulit vnam saltem seruare hæmorrhoidem, vt per hanc euacuetur fęculenta ac vitiosa materia hepatis, prȩsertim in quibus solita est tempore longo per tales venas excerni.


XIII


Singultu habitum sternutatio superueniens liberat.


Vthor est ipse, sicuti cõuulsionem, ita & singultum, vel ex inanitione, vel plenitudine fieri. Quãdo igitur à plenitudine fit, (magna autem ex parte ita fit) violento opus est motu, vt veluti conclusæ ipsum efficientes humiditates diffientur atque euacuentur. hoc autem facit sternutatio. Eos vero qui ex inanitione fiunt, qui sunt rariores, non sanat sternutatio. Quòd vero ex plenitudine singultus iugiter fiat, indicant pueri crebro singultientes cum sunt repleti. Rigor autem & frigiditas omnis, qui omnia neruosa corpora efficiunt ad dif-

flandum difficilia, sunt causa vt hæc repleãtur, atque ideo in ipsis singultiunt.

XIIII



B aqua intercutem habito, si aqua e venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus.




T hoc exemplum est earum quæ sponte fiunt & vtiliter euacuationum. Spontaneum autem dicim9 non quod sine causa fit, sed sine causa ex nobis fit. Quando enim data à nobis medicina aquam trahente, talis fiat euacuatio: non etiam & hanc spontaneam nominamus.

XV



Longo alui profluuio habito, spontaneus vomitus superueniens, morbum soluit.



T hoc pariter exemplum est eorum quæ recte fiunt à natura, quæ medicũ imitari oportet. Vtilitas vero ratione retractionis.

XVI



Morbo laterali vel pulmonia habito, alui profluuium aduenieus, malum.



Vm partes aliquæ patiuntur, nõ simpliciter aliq compati sunt natura aptæ, sed cum forti passione detinentur. Secundum hoc igitur, & hepate fortiter patiẽte, singultus superuenit, compatiente stomacho: tussis autem, & difficilis anhelitus, compatiẽtibus ĳs quę respirationi obseruiũt instrumẽtis. Sic & his ipsis pessime affectis hepar compatitur. & hocipsum manifeste ostendit Hippocrates, cum nõ simpliciter dixerit, In morbo laterali vel pulmonia aluum turbatam esse malum signum, sed adiecerit, habito, ac si dixisset detento atq; vexato homini à talibus passionibus profluuium alui super-

ueniens, malum esse signum, quoniam ita se habentibus id solet aduenire non potente hepate ad se trahere alimẽtum, neque conuertere in sanguinem, & quandoque ventriculo idem alimentum corrumpente. In mediocri autẽ morbo laterali atque pulmonia profluuium alui superueniens potest prodesse ratiõe euacuationis, & magis cum signa coctionis apparuerint inesse passionibus, neque adest timor, sed morbꝰ est citra periculum. Communiter autem & in his & in omnibus aliĳs quæcunque eodem modo dicuntur, illud meminisse oportet, quòd nullus alius extemporaneus & manifestus casus superuenerit, veluti & nunc alui profluuium non ex cibo aut potu aliquo, sed morbi rõne contingat. Nam si alia ex causa, & nõ vi morbi fiat, non potest eius morem significare: siquidem oportet aliquid signo quod ab ipso ostenditur, connecti.

XVII

LIppientem alui profluuio corripi, bonum.

NOn veluti signum hoc oculorum bonum dictũ ab eo est, sed tanquam causa, quia humorũ abũdãtia simul euacuatur, atq; ad inferiora retrahitur. Est autem & hoc apud ipsum exemplum vnum eorũ quę sponte & vtiliter euacuantur, quę medicum imitari oportet videlicet: & ita omnes faciunt in lippitudinibus, aluum & clysteribus & purgationibus subducentes. NB

XVIII

VEsica dissecta, aut cerebro, aut corde, aut septo, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale est.

HOc verbum lethale, sæpius dixit in aliĳs, & in hoc ipso libro de ĳs qui ex necessitate sunt morituri, sæpius autem & in ĳs qui magna ex parte. Quare neque nunc est manifestum si omnino secutu-

ram mortem disscissis his partibus, velit ostendere, vel in quibusdam raro hominem seruari contingat. Quòd quidem igitur cor vulneratum mortem affert necessario; vnum ex ijs est quæ in confesso habentur: non tamen in alijs æque recipitur, vulnus quodcunque mortem afferre ineuitabilem, sed illud quod magnum est atque profundum: quod rationabile est à verbo disscissa, significari: vt tota vesicæ tunica diuisa vsque ad spatium interius intelligatur: atque in singulis alijs eodem modo. In vesica quidem, confessum, tale vulnus non coalescere, sicuti & in parte septi neruosa, & in tenuibus intestinis. In ventriculo autem dubitatur. nam quosdam in eo vulneratos dicunt aliquando, sed raro, fuisse sanatos. Hepatis autem non solum profundum vulnus in fibris eius factum, sed etiam fibram abscissam aiunt fuisse sanatam. Neque nos latet quòd in libro de vulneribus exitialibus, quędã ex his eius libri author conatur sanare. Quòd vero partes ipsę diuisę agglutinari non possint, in corde quidem ac septo transuerso ex iugi eorum motu cõtingit: in vesica autem, quia neruosa est ac tenuis & exanguis. eius profecto collũ videmus quotidie sanari cum lapis extrahitur, quoniã carnosum est. Hepar vero vulnera habet plurimo manantia sanguine: atque idcirco mori anticipãt, qui ita sunt vulnerati, priusquam vulnera agglutinẽtur. Dixi autem sic, volens intelligi etiam venam esse dissectam. Ob hocipsum igitur, qui vulnera in summa eius parte consistentia aiunt sanari, & fibras hepatis abstulisse, verum vidẽtur dicere. Cerebrum autem vulneratum sæpius sanatum vidimus, & semel & bis in Smyrna Ioniæ, viuẽte adhuc pręceptore Pelope: & erat vulnus satis effatu dignum. Hoc igitur rarissimum est. Verum autem est quòd magna vulnera quæ consueuit Hippocrates nominare disscissiones, afferũt mortẽ, & fatetur omnes. Vulnera cerebri quæ vsque ad aliquid in ventriculos penetrant, etiam afferunt mortem. Tenuium autem intestinorum natura, & ventriculi magis, non parum participant carnosæ substãtię: & ideo in summa parte vulnerata sæpius agglutinãtur. Tota au-


tem diſſciſſa vſque ad eorum cauitatem, rariſſime. Hoc autem nō (vt mihi videtur) propter eorum ſubſtātiam accidit, ſed quoniam non poſſumus æque intrinſecis ſicuti extrinſecis imponere vulneribus medicamentum. Quapropter per potiōes conatur author libri de vulneribus perniciosis inſcripti, ſiue Hippocrates fuerit, ſiue quis alius, ſanare ventriculum.

XIX

Cum diſſciſſum fuerit os, aut cartilago, vel neruus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coaleſcit.

Augeri vocat talem aliquam generari ſubſtantiā qualis abſciſſa, ſicuti in cauis vlceribus videtur caro germinare: coaleſcere autem quando diſſciſſi corporis labra agglutinantur. Quòd quidem neque cartilago, neque os generentur, eſt in confeſſo. An vero agglutinentur, nonnulli dubitant. Inquiunt enim perſpicuo videri oſſa perfracta agglutinari. Hi vero aberrāt, & doceri poſſunt in brutis quorum pars aliqua fracta contraxit callum. Hæc enim, ſeu viua, ſeu mortua, ſi quis velit inſpicere diſſecando, videbit manifeſte à callo quodā veluti vinculo circunſcripto partes oſſium diſſciſſas eſſe conſtrictas: quas ſi abraſerint, fracturæ profundum videbunt nō glutinatum. Sic igitur de ĳs quę diximus, ambigunt, nonnulli augeri dicentes, non tamen coaleſcere: quidam vero etiam coaleſcere, ſed raro augeri. Igitur illa deſiderant, quæ per exeſum ſunt vlcerata. & nullum vidi taliter affectum cui non increuerit caro. Agglutinari autem illa que diuiſa ſunt, & non diſſciſſa. Hæc enim inuicem differunt, cum diſſciſſa diuiſionem habeant vſque ad finē peruenientem: quę nunc Hippocrates inquit non coaleſcere, non ob id tantum quòd neruoſa ſunt atque tenuia, ſed quoniam etiam ex eo quòd talem habent naturam, labra vulneris non ſunt parum diſtantia inuicem.

XX



I in ventrem sanguis præter naturã effunditur, necesse est suppurari.

QVidam sine articulo apud grçcos ventrem scribunt, volentes omnem significari cauitatem. quib9 adstipulatur, quod præter naturam adijcitur: per quam adiectionem tale quid ostẽdit Hippocrates, Si vnquam sanguis à propria cauitate in aliam quancunque peruenerit: vt sanguis permaneat, est omnino impossibile. Sic igitur & in inflammationibus, & illis quas græci ἐκχυμώσεσ nominãt, fieri videtur. In inflammationibus quidem, per minimas partes disperso sanguine ad eas quæ sunt in musculis cauitates, quas sola ratione cõtemplamur: in ecchymosibus autem, in spatia effuso quç vasis circuniacent. Suppurari autem non est recte dictũ, cum nomen sit vnius mutationis in sanguine factæ. quare nonnulli ipsum ad generalius transferunt, ad corrumpi videlicet, hoc ab ipso dicẽtes significari. Sic enim videtur fieri non permanere sanguinem, cum à suo loco exciderit naturali, sed aliquando quidem suppurari, aliquando vero liuescere, aliquando in grumos verti, præsertim quando in magnam cauitatem exciderit prçter naturam.

XXI



N insanientibus si varices vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.



Ic insaniam illam quæ proprie melancholia dicitur, vocat, non illum qui fit ex bile furorem. Est autem varix cum venæ latiores fiunt in coxis & cruribus: quod ex crasso & melancholico humore contingit, adeò quòd pellente natura ad partes ignobiliores eos qui insaniam efficiunt humores, & præsertim cum melancholici fuerint ac crassi, dictarum sequitur passionum generatio, & insaniæ solutio.


Varix? id melius di 13 [illegible] fine.


XXII


Væcunque rupta ex dorso ad cubitum descendunt, venæ sectio soluit.


Elius quidã scribunt: Quicunque dolores. nam ruptum ipsum descendere, vnum est impossibilium. siquidem diuulsa ac rupta musculi parte carnosa, fit ruptum. Videtur quidem nonnunquam manifeste admodum collectus in loco ruptionis sanguis: & discussione sanatur. Reliqui vero qui sunt in dorso dolores, ex defluente humore generantur, solo aliquando, sed magna ex parte crasso ac flatuoso spiritui associato, quẽ excipere oportet atque euacuare per venæ in cubito existentis sectionem, quando huc apparet fluens. Est enim eius prçceptum, secundum quòd humores repunt, facere euacuationes. Idem autẽ significant & verba hæc: Eo ducendum est quo repunt, per loca opportuna. Si autem de ruptis sermo est scriptus ab eo: eos qui fiunt compatiendi ratione dolores, intelligẽdum est dici ab ipso descendere ad cubitos, non ipsam carnosç partis diuisionem. Et quidem fieri potest vt & talis venç sectio vtilis sit, communi euacuationis ratione.

XXIII


I timor atque mœstitia longo tempore perseuerent, ex eo atra bilis significatur.


I quis non ex causa manifesta metuat aut mœstus sit, sunt atrç bilis casus manifesti, etiã si nondũ tẽpus acceperint. Sed si propter causam manifestam incipientes, deinde inueterascant, non te lateant insaniam significare. Nam & plures visi sunt furore correpti, qui ab excandescentia vel ira vel mœstitia principium habuere, ipso scilicet corpore tempore illo promptè se habente ad incidendum in tales passiones.

XXIIII

SI quod inteſtinorum gracilium diſſcin datur,non coaleſcit.

HOc & in aphoriſmo paulo antea dicto monſtrauit, cuius initium, Veſica diſſciſſa,vel cerebro. Neſcio igitur quo pacto nunc fruſtra fuerit adſcriptus. Hoc autem ipſum profecto vidimus, & in pluribus alijs aphoriſmis:quos melius fuerit eximere.

XXV

ERyſipelas ab exterioribus verti ad interiora,nõ eſt bonum:ab interioribus autem ad exteriora, bonum.

NOn ſolũ eryſipelas, ſed aliud quodcunque quod ex profundis & principalioribus partibus transfertur ad cutem,bonum eſſe ſignum ac cauſam debemus exiſtimare. Si vero contra ad interiora & profunda tranſmutetur,malum. Sed & alia multa videtur dixiſſe Hippocrates quædam veluti exempla ſermonum vniuerſalium, à quibus eius quod ſolet euenire,experientiam poſſumus habere manifeſtiorem. Talia etenim exempla oportet eſſe.

XXVI

QVi in febribus ardentibus tremores fiunt,delyrio ſoluuntur.

SIue Hippocrates tales ſermones ſcripſerit, quædam veluti exempla magis generalium atque vniuerſalium ſermonũ,ſiue alij interpoſuerint, alijs perquirendum relinquentes,illud tantum in ipſis obſeruabimus,quod & antea dictũ,& nunc in febre ardente docetur. Quæ enim hanc febrem efficiunt cauſæ in venoſo genere exiſtentes: quando ad neruos transferuntur, primum tremores faciunt: compatiente vero principio, etiam delyria. Sicuti igitur in febre ardente tranſlatio,ſic & in omni alia febre poteſt fieri, & omnino ex arterijs &

venis ad neruos transfluxus humorum noxiorum, ficuti rurfus ex neruis ad has. Improprie igitur dictū eft febrem ardentem à tremóre folui. Hęc enim arbitratur quibufdā fuperuenientia, eorum foluere confiftentiam, quæcunque omnino hominē liberant, non quæ alteram generant paffionem quæ nihilo minus fit prima periculofa.

XXVII



Viamque fuppurati, aut aquam intercutem patientes vruntur aut fecantur: fi pus aut aqua vniuerfim effluxerit, omnes moriuntur.

Suppuratos præcipue confueuit nominare qui pus habēt in fpatio inter thoracem atq; pulmonem: quos quomodo vrere oporteat, dixit in libro de paffionibus, cuius initium, Pulmonis arteria. Quidam vero hunc librum infcribunt de fuppuratis. Vftione igitur indigent qui plurimū habent pus, adeò vt defperēt per fpuitiones poffe expurgari. Hos vero ipfos & difficultas anhelitus maxime infeftat ex loci anguftia: quę etiam nos cogit vt eos vramus. In ĳs autem qui aquam intercutem patiuntur, illę quæ à græcis παρακεντήσεις, id eft punctiones nominantur, funt magis in vfu medicorū. Verum hoc vtiq; cōmune eft vftioni ac punctioni, quòd in vtraq; Hippocrates confulit caueri vniuerfam euacuationē. fic enim videtur contingere, vti ait. Dictum eft & ab Erafiftrato exquifitius ac plenius de ĳs qui aqua intercutem labotant, ac fi ipfe dicat fe compertū habuiffe experiētia, vniuerfam euacuationem febres ac mortē afferre. Videmus & in alĳs partib9 ęque atq; in thorace, quādo aliquis magnus tumor fuppuratur, periculofam effe vniuerfam euacuationem, cum è veftigio deficiat anima, & vires debilitētur, & poftea debilitas ifta remediū non habeat. Videtur in his propter magnam diftantiā corporum, & puris àcritudinem, ora quorūdam vaforum arterioforum effe adaperta, quæ prius veluti quoddam em-

brisma pus continebant: quo vniuersim euacuato, multi spiritus vnà cum eo exeunt atq; excernūtur: vnde periclitantur. In aqua vero intercutem non mòdo ob hāc causam ea laborantes offenduntur, sed & durities visceris, vt quod non sustentatur ab aquosa substantia, & septū transuersum deorsum trahit, & viscera quę sunt in thorace.

XXVIII

Eunuchi neq; podagra laborant, neq; calui fiunt.

Eunuchos sectio testiculorū similes efficit fœminis. Sicuti ergo in eis caluities nō accidit, sic neque in eunuchis, propter temperaturę humiditatem. Eunuchos quidē Hippocratis tempore podagra nō laborasse, verū existit: nunc vero non ita, propter immodicum ocium, & victum intemperantem. Res autem tota ita se habet. Necesse est pedes natura esse imbecilliores, si quis podagra corripi debeat: sicuti & cerebrum, si morbum comitialem passurus sit. non tamen est omnino necessarium alterutrum pati, si nihil in vita deliquerit. Disces autē aperte quòd imbecillitas partis non sit sufficiens ad generandam passionem ex intermedio tēpore accessionum, in quo nulla ferè infestantur, quāuis natiua imbecillitas continua sit. Clarum autem & hoc, in podagricis manifestissime apparens, quòd influente aliquo ad pedes humore superfluo, passio generatur. Si igitur neq; hic humor influxerit, liquet quòd neq; vnquam accidet passio. Nō influet autē si omnino vacans superfluitatibus corpus extiterit. Erit autē vacās superfluitatibus, si mediocri vtatur exercitio, & homo bene cibum concoxerit: vnde & desidiæ & crapulę eis nocent. Nocent autē & potus multorum & fortium vinorū, præcipue cū aliquis ea ieiunus potauerit. Hęc enim neruosam substātiam promptissime offendūt, sicuti & coitus. Aetate quidē Hippocratis pauci podagra laborabant, propter vitę moderatiam: nostris vero tēporibus vsque adeò auctis eduliis vt nihil eis addi posse videatur, infinita est podagrarū multitudo, cū non-

nulli sint qui nihil exercitantur, & cruditatibus atq; ebrietatibus offendantur, & ante cibum assumptū bibant vina potentia, ac venereis vtantur immoderatis: nonnulli vero etsi non in his omnibus, in vno saltem aut duobus ex ijs quæ sunt dicta, delinquāt. Sed cum peccatum fuerit magnum: sæpius in vno eorum quæ diximus, deliquisse sat erit. Ob hanc igitur causam etiam eunuchi podagra corripiuntur, quāuis nullum habeant vsum venereorum. Talis enim est eorum desidia, insatiabilitas, ebrietas'q;, quòd etiam sine venereis podagra corripi possunt. Hęc eadem de articulari morbo existimes dicta. omnes siquidē qui eo laborant, magna ex parte prius podagrici fiunt. Accedit & ad has causas ob quas pleriq; incidūt in podagras, quòd multi & patres & auos habuere podagricos, in quibus semen erat vitiatum, atq; ideo natis vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.

XXIX



Mulier podagra nō laborat, nisi menstrua defecerint.



Mulieres nō fiunt podagricę, ratione euacuationis. Ostensum est enim in pręcedente sermone, quòd nisi humores superabundauerint, ex sola partium imbecillitate nō potest podagra fieri. Verū rursus & hic prius quidē erat verum, vbi non omnino menstrua defecissent, quia parua erant delicta quę ætate superiore mulieres admittebant: nūc vero ob eorū magnitudinem, quædā podagra laborant antequā mēstrua deficiāt, cum nōnullis pauca exeant, nōnullis autē vel mediocria.

XXX



Puer podagra non laborat ante vsum venereorum.



Quòd magnam vim habeat ad podagrę generationem vsus venereorū, liquet etiam in pueris, & ex ijs quæ paulo antea de eunuchis dicebat. Eunuchos itaq; vidimus quosdam podagra laboran-

tes, pueros autem non vidimus. Verum & si quis tali est passione correptus: vnà & genuum articuli & manuum intumuerunt, instar morbi articularis repente factū à plenitudine ex multis cruditatibus aceruata.

XXXI


Dolores oculorū, meri potio, aut balneum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum soluit.

Singula horum quę dixit, magis experientia, & nō ratione aliqua videtur mihi Hippocrates cognouisse. Nil enim mirū si homo dolēs cū isset ad balneum, dolore fuit liberatus: vel si non permissus bibere vinum, deinde nullā ex hoc sentiens vtilitatē, motus est ad bibendū, alioqui multum appetēs vini, & posthac melius se habuit. Sicuti igitur & plura alia quæ medici hoc modo inspexere, sunt ab eis scripta absq; aliqua determinatione: ita & hæc mihi videntur ab Hippocrate, neq; vt rationali dicēte, dispositiones, neq; vt empyrico, cōcursus. Vtilitas autē quæ nobis potest aduenire ex sermonibus hoc modo scriptis, est inquirentibus dispositiones in quibus meri potio, & balneū, & singulū eorū quæ seriatim dicta sunt, vtile sit: quod & mihi contigit. Nā quòd omnino sint aliqui oculos dolentes, quorum nōnulli meri potionibus, nōnulli balneis iuuētur, fidē Hippocrati adhibens, eram persuasus. neq; enim illud scripsisset, si non vidisset. Non tamen ab aliquo præceptorū tale auxiliū aliquod animaduerti fuisse adhibitū. Cum itaq; omnes quęsissem dispositiones in quibus sit necessariū non in oculo tantum, sed & in aliјs partibus fieri dolores: deinde mihi ipsi persuasus aduenisse, hinc consideraui earū indicia dispositionū: & postquā etiam his credidi, tūc ausus sum remedia afferre dolentibus: & primū quidē adolescentē balneaui, cui medicus nō absq; ratiōe in die secūdo ab initio venam secuerat, & deinceps curauerat medicinis quas experientia cognouerat, cū inflāmatio sola obsideret oculos. Dolebat autē vehemētissime in quibusdā insultibus,

in quib9 aiebat ipse sentire se acutos humores,qui vniuer- sim defluebāt ad oculos, mox post eorū excretionem ve- hementia doloris sedabatur,non tamen dolor omnino cessabat. & hoc illi per totam quintam accidit diem, maius semper habens incrementum. Cum igitur dolorem non posset tolerare, me & quēdam alterum ex ocularib9 medicis aduocauit in vrbe Romana probatissimum. Illi itaque videbatur vtendum esse collyrio quodam ex ijs quę emplastica nomināt & anodyna,id est dolorem sedantia: cuiusmodi sunt quę ex Cerussa lota,Amylo,& Papauere cōponuntur. Nam sic maxime posse reprimi per emplastica id quod influebat,& simul sensum torpescere per infrigidātia sperabat.Ego vero ab initio suspecta habui talia medicamēta. Neque em̄ vehemētes reprimūt fluxiones, sed excerni prohibēt:atque ideo si humores fluentes acres extiterint,corneā erodi cōtingit:si vero multi, magis irritari ac vehemēter extendi,ac si rūperet:ex quib9 nisi medicamētum fuerit vehementer stupefaciēs,dolores impatibiles excitantur. Si vero fuerit adeò vehemēter stupefaciens,vt ex eo oculi maximam inflammationem non sentiant,necessarium est simul quidem vim visoriam offendi,adeò quòd cessante inflāmatione, vel debiliter vel nihil omnino videat: simul autem & quandam præduram dispositionem,& quæ difficulter sanari possit,in oculorū tunicis derelinqui.Cū igitur ista nouissem,atque animaduerterem humorem influentem non paucum, & fortiter acrem ac calidum:primum fomento vtendum censui,experientiæ gratia, tanquam ex ea certius cogniturus qualisnam foret dispositio. Solet enim in his fomētum vsque ad aliquid dolorem mollire, sed alterā fluxionem aduocare.Qua enim ratione potest id quod in oculis continetur,discutere:eadem etiā alteram ex vicinis attrahere.Verum quū primum & aquam calidam & spōgiam afferri iussi,æger ipse se dixit expertum esse tota die idem remedium, primum quidem dolorem minuere, sed paulo post maiorem facere. Quæ ego cū audissem,medicum ocularem dimisi,pollicitus ipse expectare,& ęgrum abs-

que medicamento frigido à dolore liberare. Cum autem solo balneo vsus essem, ita dolorē sedaui quòd tota nocte dormiuit ęger, & neque semel aliquem qui iuxta dormiebant, aduocauit. Abhinc in reliquis in quibus per signa cognoui influere quidē humores acres ad oculos, nō tamen corpus esse plenum: balnei vsu dolorem sanaui. Alium autem quendam adolescētem qui iam pluribus diebus inflāmationem patiebatur in oculis, tura colētem, non procul ab vrbe vidi: postmodum quoniam passio perseuerabat, cum ad ciuitatem venisset, squalidos habētem oculos, sed valde tumidas ac plenas sanguine eas quæ in ipsis venas erāt: cui iussi vt se lauaret, ac potu vteret meraciore, & ita se sopori traderet. Et quidē somnus ipsum profundus inuasit, & mane sine dolore surrexit: mihi'q̧ prębuit audaciā, in quibꝰ sanguinis copia crassioris in oculorū venulis cōtinetur sine plethorica in toto corpore dispositione, vtēdi, vini potione vtpote diffūdere sanguinē atq̧ euacuare potēte, & sui motꝰ vehemētia obstructiones aperire. Hęc igitur sunt fortia remedia doloris oculorū. Securissimum autem fomētum est, & oīno aliquam afferēs vtilitatem, vel tanquam signum ad dignotionem, vel tāquam causa sanitatis oculorū. Quādo em̄ nihil omnino influit in oculos, fomentum dissoluens eam quæ in ipsis continetur superfluitatem, eis sanitatem restituit. Cum vero adhuc influit: cū primum adhibetur, suo calore aliquod affert mediocre leuamen, sed paulopost dolorem auget, & tunc fit signum dignoscitiuum, ex quo nos dispositionem cōprehendentes, ad totius corporis euacuationem peruenimus: ipso quidē sanguine redundante, per venæ sectionem: sed malitia humorum infestāte, per purgationem. neq̧ enim est difficile admodum distinguere alteram ab altera.

XXXII



Albi ab alui profluuio maxime capiuntur.

Sicuti pselixesthe, id est balbutire, linguevitium est, non vocis: sic & traulizein, eiusdem verbum si-

gnificationis in sermone græcorum, non potente lingua exquisite eas dearticulare voces quæ per t & r, proferuntur, qualis est hæc ipsa traulosis, & hæ aliæ similes, trechi, tribi, trachy, trochos, tripheros, & quæcũque aliæ tales. Hæ siquidem omnes exigunt linguam se ampliãtem ac prioribus dentibus innitentem. Quando igitur in quibusdam fuerit imbecillior, pejus firmatur, & sonũ t & r, nequit dearticulare, sed ad t & l, facile labitur. Hoc autem & ei potest accidere quoniam sit breuior quàm ipsi conueniat: quod rarissimum existit. Sed & quia molliorem atque humidiorem habet temperaturam: quam ob causam & pueri balbutiũt, cum tale ipsis contingat, quale etiam in ambulatione. nam & hãc nonnulli eorum neque omninò habent, nonnulli vero non sufficienter, cum crura nequeant in eis propter mollitiem firmiter stabiliri. Quibusdam verò eorum etiam ætate integra, cum in loquendo laborauerint, balbutire contingit, sicuti & illis qui plurimum tibia cecinerint, & quibus vires ex morbo sunt debilitatæ, sicuti & quibusdam quibus lingua est vehemẽter exsiccata. Verũ siccitas tanta nulli inesse potest qui habitum seruet naturalem: atque ideo solius humiditatis immodicę est casus in ĳs qui natura balbutiũt, id linguæ detrimentum, cum eius musculi nequeant firmiter stabiliri: quod ei potest accidere vel propter suã, vel propter neruorum imbecillitatem, quos videlicet à cerebro suscipit. Quare & ebrĳ aliquando balbutiunt, tum quia multa humiditate perfunditur cerebrum, tum quia etiam ab ipsis multitudine prægrauatur. Continget igitur ĳs qui sunt balbi natura, alterũ horum, aut cerebrum habere humidum, vel linguam, vel vtrunque. Et cerebro quidem talem sortito temperaturam, defluere ab eo multas par est humidas superfluitates, atque inde fluentes in ventrem suscipi: vnde & longis profluuĳs homo capitur. Lingua vero admodum humida ex natura existente, & ventriculum talem esse par est, vt qui alteram sui tunicam cõmunem habeat ad linguam. imbecillis autem ex humiditate ventriculi propria passio est diuturnum profluuium.

Ebrij cur balbut

XXXIII

QVi acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.

ACidum eructantes, hoc est acidum ructum habentes, raro inquit capi à morbo laterali. Nam quod dicitur, non valde, idem ostendit quod raro, non nullo modo: vt quidam libri expositores scripserunt. Dictum autem à nobis est vbi de morbo laterali sermonem habuimus, quòd hic quidem vnà cum flauis ac ruffis fit sputis, ex biliosis humoribus ortum habens: hic vero cũ spumeis, ex pituitosis: sicuti qui cũ nigris fit sputis, ex melancholicis: qui vero cum rubeis, ex ipso sanguine. Est enim hic morbus inflammatio membranæ quæ subcingens nominatur, aduenien̄s. Cum vero vnaquęque inflammatio ex alicui9 humoris fiat superabundãtia, secũdum eius naturam & sputi species morbo laterali laborãtibus aduenit, & spes salutis ac mortis habetur. Nõ æque autem membranæ ac pulmo sunt natura aptæ humores suscipere. densa siquidem est membranarum substantia, pulmo vero parte in omni rarus ac laxus: quare huic quidem promptum est omnes suscipere humores, membranæ autem subcingẽti plus biliosos. Ob hanc igitur causam quibus pituita natura superabundat, raro à morbo laterali corripiuntur, pręsertim si salsedinem atque acritudinem aliquam sibi adiũxerit. Talis enim intestina mordens, irritat ad deiectionem: in qua cõtingit non solam pituitam, sed plures alias etiam superfluitates excerni. Dicebat vero ipse in libro de aere & aqua & locis, eos qui habent ventrem natura humidum, minime morbo laterali atq; aliis morborum generibus corripi.

XXXIIII




QVicunque calui sunt, iis magnæ varices non fiunt: quibus vero caluis varices magnæ superueniunt, ii rursus capillati fiunt.

QVando in viri sapientis libro sermo inuenitur aliquis manifestum habens mendacium, non sine ratione legentes contingit dubitare, & primum quidem sibiipsis diffidere, quasi neque illa quę sint manifesta noscētibus, deinde suspicari ne quod falsum fuerit interiectum. Quis enim nesciat caluitium esse passionem insanabilem? Sed neque verum quod magnæ varices caluis nunquam adueniant: sicuti neque quòd varicibus aduenientibus, caluities cesset, nisi forte (vt nonnulli inquiūt) vocatum à medicis capillorum defluuium, caluitium nominet. Illud enim cum à vitiosis humoribus (sicuti quæ ophiasis & alopeciæ passiones capillorum nominantur à græcis) generetur, cum ijdem humores ad crura decumbunt, possunt varices facere, & capillos restituere. Si enim prius à vitiosis humoribus corruptis, eorum radicibus corrumpi contigerat: nunc fit verisimile, vt eisdem humoribus alio transpositis, ad primam naturam capilli redeant.

Caluities insanabilis

XXXV



Qua intercutem laborantibus, tussis superueniens, malum.

SVperuenire passionibus alias passiones & casus, prisci medici dicere consueuerunt quæcunque ipsius passionis adauctę ratione contingere consueuerunt. Talis enim est Praxagorę liber de superuenientibus inscriptus. Sic autem & nunc de tussi dictū est. Neque enim cum ex alia fit occasiōe in homine aquā intercutem patiente, tussis signum est exitiale, sed quando ipsius morbi ratiōe. Cum enim in passione tali aquosa humiditas tantum adaucta fuerit, vt iam asperas occupet arterias, deinde superuenit tussis, periculum imminet ne homo haud ita multopost strangulettur.

XXXVI



Issicultatem vrinæ, vena secta iuuat: secare vero interiores.

Hic sermo verus non est, nisi &, coniunctionem assumpserit, ita vt aphorismus talis fiat: Difficultatem vrinę & venæ sectio soluit. Revera enim & venæ sectio soluit difficultatem vrinę, illam videlicet quæ propter inflammationem & multitudinem fit. Quod autem dicitur, Secare vero interiores: si de venis manuũ dicitur, caret veritate, neque confessum Hippocrati. Videtur siquidem in omnibus libris suis, in partibus quę supra hepar sunt, ex manibus sanguinẽ mittere; in inferioribus vero eas quæ in genu vel talo sunt, secari iubet. Si vero de his ipsis ipsum dixisse arbitretur, Secare autem interiores: hoc dictum paruam vim habet. Ab vna enim ambę nascũtur, cum ea quę in genu est, trifariam diuidatur, quoniam & vna vena ad hoc peruenit membrum, nõ sicuti ad manum duæ. Melius itaque sit & hũc aphorismũ vnum ex adiectis opinari.

XXXVII

Ab angina habito si tumor fiat in collo, bonũ. foras enĩ morbus deducitur.

Sermo verus est, & causa in promptu. siquidẽ ex intimioribus & principalioribus partibus passiones confert ad cutem transferri.

XXXVIII

Cancros occultos omnes melius est non curare. Curati enim cito pereunt: non curati vero longius tempus perdurant.

Occultos cancros dixit vel eos qui sunt sine vlceratione, vel absconditos, hoc est non apparẽtes: quod rursus idem significat ac si diceretur, qui in profũdo corporis sunt. Sed & curare, duplex est. Vnũ quidem omnia agere vt particula patiens ad sanitatem perducatur: alterum autem eam adhibere prouidentiam quæ passioni congruat, hoc est ipsam mollire, ac mitiorẽ facere, & tum præcipue cũ adest exulceratio. Tunc enim

est necessarium vt si non aliud agam9, saltem saniem abluamus, humido aliquo vtentes, non quocunque, sed vel per experientiam, vel per indicationem inuento, quod neque putrefacere, neque irritare partem patientem sit natura aptum. Ab hac igitur curatione neque absistere conuenit: neque illi qui sunt sine vlceratione cancri, indigent ea. Aliam vero quę fit per sectionem vel vstionem, (quę sola sunt remedia cancrorum) consulit vt in cancris occultis non adhibeam9. Quòd igitur illi qui sunt in partib9 penitioribus, talia remedia non desiderant, etiam experientia docet. Equidem scio omnes qui huiusmodi cancros curare tentarunt, magis illos irritasse, & breui homines interemisse. Nam & qui cancrum in palato constitutum, & in sede, & in sinu muliebri, vel vsserunt vel secuerunt, non potuerunt vlcera ad cicatricem perducere, & homines in cura afflictos ac maceratos, vsque ad mortem pertulerũt: qui si nullam curationem adhibuissent, longiori tempore vitam cum minori molestia trãsegissent. Tales igitur cãcros nullo modo curare tẽtemus: ex eis vero qui in sũma parte corporis hęrent, illos tantummodo quos possumus vnà cum radicib9 ipsis, vt quispiam dixerit, resecare. Neque enim malum est veluti radices quasdam cancri, nominare eas quæ plenę sunt sanguine melancholico venas, & vsque ad loca circũstantia distenduntur. Multi eñ magnæ authoritatis medici, neque hos manus opera curari permittunt, sed illos tantum qui exulcerati, simul'que laborantes molestant, adeò vt ipsi vltro manu curari desiderent, & simul sunt in talibus partibus siti, quas possumus vnà cum radicib9 resecare & exurere. Quidam vero neque hos amoliri permittunt, sed omnino absistendum cõsulunt à remedijs potentibus in omni natura cancri. Q đ vero Hippocrates nunquam consuluisset curare potenter cancros in partibus corporis penitioribus conditos, ex ipsa passionis natura licet coniectari: si vero & eos qui in summa parte coporis hęrent absque vlcere, incertum est, quantum ex verbis aphorismi conijci potest. Ipsum vero scripserunt Artemidori & Dioscoridis sectatores, vsque

ad ea verba: Non curare melius est.

XXXIX


Onuulsio fit vel ex repletione, vel inanitione: ita vero & singultus.



Onuulsio (vt & ipsum indicat nomen) cōuulsis fit ad propria capita musculis, vt autem clarius diceretur, reuulsis, sicuti etiam est motus eorū secūdum naturam: verum hic haudquaquam fit sine animalis appetitu. Conuulsio autem passio est inuoluntaria, ad similem venientibus neruosis partib9 in eis dispositionem, quam etiam in mollibus factis secūdum appetitum assumpserunt. Nam ex repletione fit, sicuti etiam in excedentibus secundum humiditatem aeris ambientis constitutionibus accidit chordis. Nam & propter hanc causam sæpe rumpūtur. Sic autem & in siccioribus constitutionibus afficiuntur. nam in seipsas colliguntur ac conuelluntur omnia neruosa corpora violētius exsiccata: sicuti quę ad ignem longo tempore lora calefiunt, simile quid patiūtur, & quę sol ęstiuus exsiccauit. Conuulsio igit non absq; ratione à cōtrarijs fit causis. Singultus vero cōcedatur cōuulsio stomachi nominari, quando aliud fuerit sermonis propositum. Quādo vero hoc solum studuerimus, vt passionis substantiā cognoscamus: melius fortassis fuerit non conuulsionem nominare, sed quendam motum eiusdem cum vomitibus generis, intentum autem, & illo vehemētiorem. Nam stomachus appetens eorum aliquid quæ in ipso continentur, expellere, ad duos mouetur casus, vehementiorem quidem in singultibus, mediocriorem ille in vomitibus. siquidem in vomitibus appetit ea tantū quæ in vētriculi spatio latiori continentur, expellere: in singultibus autem & ea quæ sunt in ipsius ore penitiora. Per stomachum nunc à me intellexeris non solum eum qui ita proprie nominatur, sed & vētriculi os. Quæ enim in hoc continentur, ipso appetēte ventriculo expellere, singultus fit. Quòd vero eorum quæ difficulter excemūtur, & quæ veluti absorpserit vētriculi os, fiat per singult9 excretio, di-

scere licet ex iis quæ cotidie eueniunt, omnibus ferè, vel magis, vel minus. Si enim solum quid acutum, veluti piper deglutierint, siue cum melle, siue aliquo alio, postea vinum biberint aqua calida temperatum, statim singultiunt, calore quidem potus piper ad interiora deuehente, eius vero acutie ventriculũ molestante: vnde conatur motu violentiore rem infestantem expellere. Ostensum est in libro de causis casuũ, quòd & tussis, & sternutatio, & rigor, ex talibus motibus sint.

XL



Vibus dolor circa ilium fit absque inflammatione, iis febris superueniens morbum soluit.




Equitur quidem & ad morsus dolor: sed consueti sunt morsus nomine, non doloris, tales casus appellare. Fit autem dolor propter quandã similem inflammationi dispositionem. Sic autem nominata est, quoniam & erysipelata dolor cõsequitur. Quãdo igitur non ob talem dispositionem dolor ilium occupauerit, & morsus sensus abfuerit, reliquitur vt dolor fiat, vel propter obstructionẽ, vel propter spiritum flatuosum, vel aliquã intẽperiem inæqualem, quæ febrilis calor aptus est natura sanare, hæc quidem incidens, extenuans, atque dissoluẽs, hæc vero ad tẽperaturæ æqualitatem perducẽs.

XLI



Vibuscumque suppuratio in corpore existens non innotescit, iis ob crassitudinem puris aut loci non innotescit.




Vplex est huius loci scriptura, & duplex expositio, & vtraque non caret ratione. Nam & propter puris crassitudinem, & propter loci, sæpius occultatur puris in aliquo loco comprænhensi notitia. Recte ergo nonnulli scripserunt: His propter loci craf

ſitudinem. nonnulli vero: His propter puris craſſitudinē non innoteſcit.

XLII



Orbo regio laborantibus ſi fiat hepar durum, malum.



Orbum regium hoc loco dicit, qui fit ex hepatis inflammatione. tunc enim durities oſtendit σκίρρωσιν, id eſt tumorē prædurum, vel inflammationem in hepate exiſtētem, quemadmodum & ſine hac contingit quidem aliquando, propter eius obſtructionem, morbum regium aduenire: contingit & ipſa natura quandoque per modum criſeos ipſum humorē exuperantem in venis contentum, ad cutem expellente.

XLIII



Viamque lienoſi a difficultate inteſtinorum capiuntur, iis ſuperueniente longa difficultate inteſtinorum, aqua intercutem, aut leuitas inteſtinorum aduenit, & moriuntur.



Portuit hunc aphoriſmū illi præordinari in quo dicit: Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, bonum. Sed hic quidem inter ſequentes ſcribitur poſt quatuor alios intermedios: nobis autem neceſſarium iam ipſius meminiſſe. Quicunque enim lienoſi ſunt, hoc eſt qui durum habent lienem, iis ſuperueniens difficultas inteſtinorum, ſoluit diſpoſitionem, quando ſcilicet ratione tranſpoſitionis atque euacuationis humorū craſſorum ac melāchólicorum lieni inſertorum euenerit. Sed quoniam ſæpius huiuſcemodi euacuatiōes vltra modum extenduntur, & noxiæ ſunt laborantibus: conueniēter Hippocrates, quem finem habeat immoderata difficultas inteſtinorum, oſtendit, quæ talibus aduenit diſpoſitionibus. Læſis ſiquidem inteſtinis à tranſitu vitioſorum humorum, & vis eorum laborat, & temperies natiui ca-

loris aboletur. ob hãc igitur causam, & aqua intercutem, & leuitas intestinorum, superueniunt: leuitas quidem intestinorum, ex sola intestinorum læsione: aqua vero intercutem, propter hepatis compassionem, atque lienis, & omnis venosi generis.

XLIIII



Quibus ex stillicidio vrinę, ileos superuenerit: in septem diebus pereunt, nisi febre superueniẽte, satis vrina fluxerit.



IN ileo nihil exit inferius, neque siquis acerrimo vtatur clystere. Vomitus autem stercoris aduenit ijs qui exitialiter se habent. Quòd igitur interclusa via exitus, hęc passio fiat, & quòd in tenuibus intestinis, non autem crassis, omnes ferè fatentur. Et quidẽ quòd propter inflãmationem & propter obstructionem stercoris sicci, vel humorum crassorum atq; tenacium, dictum est à pluribꝰ. Mihi vero videtur inflãmationem, vel durum tumorem, vel abscessum, tantam facere posse loci angustationem, vt nihil possit ad inferiora trãsmitti. Quod autem humores crassi atque tenaces in causa sint, nõ admodum mihi videtur probabile. Verum & hoc si libeat ponito, & si quid aliud dicatur præter hoc. Verum quod videtur omnibus qui aphorismos exposuerunt, admodũ mihi videtur difficile creditu. Aiunt enim quòd vesica inflammata, angustia loci facta ex compressione, in intestinis passionem affert quæ ileos nominatur. Ego vero multos me puto in tota vidisse vita, nonnullos tantum periclitantes, non paucos vero etiam mortuos, nõ potentes mingere, quibus tunc manifeste omnibus secũdum propriam circunscriptionem plena vesica apparebat, adeò quòd supra modũ erat extenta: & dolor, vt par est, inde accrescebat: quorum tamen nullus factus est ileosus. Quomodo igitur quispiam vnquã persuaderetur, ob vesicæ inflammationẽ angustiore facto intestino, ileon prouenire? Nõ magis sanè quàm ex tumore vteri in muliere grauida. Atqui vsq; ad ilia eius tumor extenditur, & magis premere

potest atque angustare intestina tenuia : vesica vero si in tumorem attollatur, solum potest rectum premere intestinum. Quidam vero etiam dicunt absurdius, quòd febris superueniens conferat ileo. Nam febris quidem in inflammatione vesicæ non absque ratione fieret, quin quanto illa maior ac grauior, tantum augeri febrem contingeret, cum casus sit inflãmationis. Ileos vero (vt ipsi aiũt) ex inflammatione ortum habuit, & vnam tantum spem habet solutionis, inflammationis cessationẽ, cum qua etiam febrem sedari est necessarium. Bonum igitur signũ solutionis earum quę sunt in ileo passionũ, est febris, vel remissa, vel soluta. Neq; vero signum, neq; causa bona, ipsa, vel superueniẽs, vel aucta. Nouimus enim solũ illis morbis cõferre febrẽ, qui ex frigiditate fiunt, aliquãdo sola, aliquando cũ humoribus crudis pituitosis, & flatuosis spiritibus. Melius itaque si fateamur nos ignorare quæ in hoc aphorismo Hippocrates dixerit. Neq; enim ratio, eorum indicat veritatem, neq; experientia docet. Tertium autem nihil habemus ad fidem, si vnquam talis ægrotus sit visus aut ab Hippocrate, aut ab aliquo alio. Neq; enim, neq; si legitimus sit hic aphorismus, habeo dicere. Multitudinẽ igitur humorũ crudorum vnà cum multa frigiditate, melius est talium in ileo casuũ qui dicti sunt, causam arbitrari. Sic enim tantũmodo febris esset medicina dispositiõis, & retentarũ vrinarũ euacuatio. Sic enim cõsueuere crassę, & plurimę, atq; omnes simul ipsis cõcoctis euacuari.

XLV



Vlcera quæcũque annua sunt, aut etiã diuturniora, os abscedere est necessariũ & cicatrices cauas fieri.

QVæcunque vlcera longo tempore manent, vel cicatrice nullo modo adueniẽte, vel si facta sit, rursus resoluta, nihil videlicet medicis in curatione delinquentibus: necesse est vel propter influxum vitiosorum humorum, vel propter dispositionem in mẽbro contractam tẽpore ex humoribus influentibus, vel ob ali-

NB

quam passionem ossis in eo loco corrupti, difficulter sanari. Alia itaque vlcera semper maiora & deteriora fiunt: atque hæc omnia Phagedenas, id est exedentes antiqui nominabant. Quidam vero posteriores ea distinguere cogitarũt, propriam singulis dantes appellationem, & quędam eorum Chironia nominantes, quędam Telephia, quædam Phagedenas, & alias adhuc curiosas magis afferentes appellationes. Nobis vero sufficiet ex ĳs quæ aliquid loci occupant circunstantis, nonnulla quidem herpetas, id est repentes nominare, quando summas tantum partes cutis occupauerint: alia vero Phagedenas, quæ carnem subiectam corrũpunt. Quod enim putridum atque depascẽs à nonnullis vlcus vocatur, non est propria vlceris differentia, sed passio implicita ex vlcere atque putredine. Scimus autem quòd & absque vlcere putredo ipsa per seipsam in multis corporis partibus constituitur. Vocatur autem & Anthrax, id est carbo vlcus escharosum, cui iũgitur multus corporum circunstantiũ feruor. Hæc igitur propriam habuere appellationẽ, Anthrax, Phagedena, & Herpes. Quęcunque vero vlcera fiunt sine dictis casibus, hęc ipsa per seipsa solebant antiqui vlcera tantum nominare: de quibus nũc Hippocrates loquitur, de his peculiariter edocens, quòd quęcunque talia sunt vlcera, in longum incidunt tempus. Videtur autem experiẽtia rationi adstipulari: & multa sæpius ex hoc genere vlcerum, cum post multum tempus fuerint ad cicatricem perducta, rursus inflammãtur, ac dirumpuntur, ipsarum cicatrice soluta. Fit autem hoc talem aliquam ob causam: Quãdo ex adhibitis medicamentis, caro quę ossi superiacet patienti, exsiccata cõtraxerit cicatricem, statim quidem integra sanitas restituta videtur: rursus vero paulatim aliqua influente sanie ex osse corrupto, in parte penitiore iterum aduenit inflammatio, & puris generatio consequitur, à quo cicatrix erroditur, caro vero exulceratur. Quænam igitur est talium sanatio vlcerum? Non profecto alia quàm ab ipso scripta in libro de vlceribus, & à nobis in tertio de arte curatiua fuit demonstrata. Nam vlcera omnia exsiccari oportet,

præcipue vero in quibus patitur os. Terminus autem est siccitatis, vt abscedat pars eius quæ est vitiata. Quare nõ absq; ratione tantum fieri cauas cicatrices contingit, quãtam habuerit abscessus crassitudinem.

XLVI



Qui gibbi ex asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur.

Gibbos solet Hippocrates nominare quos nunc omnes homines conuexos appellãt. Nam & vere eis est spina in parte posteriore conuexa. Conuexo igitur opposite dicitur cauum, gibbo regibbũ. Sed hęc quidem de sola spina greci dicunt, illa vero de omnibus. Quomodo vero gibbositas fiat, ipse narrauit in libro de articulis, sicuti & de regibbositate, & obliquitate, atq; concussu. Hę enim sunt propriæ atq; præcipuę spinę passiones: atq; oportet illum qui vult istarum passionum habere notitiam, ijs quæ in eo libro scribuntur, plenius incũbere. Nunc vero à nobis dicentur ea quæ ad propositum aphorismum videntur vtilia. Gibba fit spina aliquando propter ictum, aut casum: gibba etiam fit propter quædam tubercula dura quæ in parte anteriore consistunt: à quibus siquãdo vna vertebra trahitur ad anteriora, recurua fit eo loco spina. ita & si plures fuerint se ordine consequentes. quãdo vero non fuerint continuę hę quæ tenduntur vertebrę, gibbositas fit tantum partibus retro tendentibus, quãtum vertebræ extentę sunt ad interiora reflexæ. nam hoc fieri videtur in omnibus duris mediocriter tentis, veluti calamis, viminibus, virgis, & omnibus alijs huiuscemodi. & dictum est de his plenius in expositionibus libri de articulis. Nunc vero eos qui gibbi facti sunt ex asthmate & tussi, ante pubertatẽ cito inquit interire. Neque enim vult in his thorax, vt ipse dixit, vnà cum alijs augeri, atque ideo magna angustia premuntur ea quæ respirationi obseruiunt instrumenta. Omnibus quidem commune, qui sponte gibbi facti sunt, hoc est quibus sine ictu vel casu spina passa est, propter dura tubercula

& concoqui difficilia, tales fieri. Sed cum multa sit in tuberculis secundum tumorem atque duritiem & locum in quo consistunt, differētia: quæ quidem simul dura ac magna sunt constituta, statim difficilem faciunt hominibus respirationem: quæ vero ex suo humore aliquid ad asperam mittunt arteriam, reddunt tussiculos. Verum quæ talia sunt vt mittant ex suo humore aliquid, non sunt dura exquisite, atq; ideo necessarium est eis aliquando suppurari, & hominē occidere. Quę vero nihil mittunt, ex crassis humoribus ortum habent, atq; ob id dura sunt, & incocta, & longo permanent tempore antequā suppurentur, atq; ideo nō perimunt hominē. Quę vero vnà cum tussi ortum habuere, properāt ad suppurationē, atq; ideo sunt exitialia. Sic & quęcunq; cum difficili anhelitu fiunt, sunt ĳs qui adhuc augentur, perniciosa. vel enim hæc magna sunt, vel in loco thoracis ad vitam opportuno. Quādo igitur pulmo vnà cum corde in talibus augeatur, locus autem continens minor efficiatur, neq; costę augeantur, & inter flectēdum, propter gibbositatem thoracem faciant angustiorem: necessarium est tantam in breui tēpore fieri anhelitus difficultatem, quòd homo corrumpatur. Nam si nondum gibbositate superueniente, propter solos tumores extra naturam difficilem habebant anhelitum, quid debemus expectare cum tubercula sint tēpore adaucta, thorax autem sit factus angustior? Quòd igitur, cū multæ sint spirandi difficultates, solam illam Hippocrates asthma consueuerit nominare, in qua contingit satis crebrum anhelitum fieri, clarum admodum existit. Vocant autem & nunc homines τὸ ἀσθμαίνειν, id est anhelare, id quod fit in cursibus & vehementioribus exercitĳs: Hippocrate autem posteriores, & passionem aliquam diuturnam: nonnulli simpliciter asthma nominant, nonnulli orthopniam, quando absque febre ęgroti iugiter anhelitum habent difficilem.



XLVII


Vibuscunq; venæ sectio, vel purgatio

cum medicamento conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet.

Liquet quòd in eis qui adhuc sani, sed ægri futuri sunt, nisi euacuentur, nunc sermo habetur Hippocrati. Hos enim oportet vt anticipemus euacuare vere adueniente, vel per venæ sectionem, si plenitudinis passionibus subijciuntur: vel per purgationem, si eis quæ ex corruptiõe proueniũt. Nos itaq; plurimos ita seruauimus sanos, qui longo ante tẽpore singulis annis morbis capiebãtur. Sed & podagram, & morbũ articularem adhuc incipientẽ, & nõdum poros circa articulos facientẽ, ex tali euacuatione multis iã annis fieri prohibuimus. Eodẽ modo & sanguinis spuitionẽ, morbũ comitialem, apoplexiam, melancholiam, & alias huiuscemodi diuturnas passiones in multis hominibus per dictã euacuationẽ sustulimus. Venę itaq; sectio, cõmune auxiliũ est earum quę ex plenitudine fiunt dispositionũ: purgatio vero sic, si quidẽ secũdum genus inaudias, vnũ quoddã auxiliũ existit, non tamẽ secũdum speciem. Nõnullis siquidẽ cõfert humores pituitosos euacuare, nonnullis vero amarã bilẽ, nõnullis atram, nõnullis serosam supfluitatẽ, secundũ naturã earũ quę cõsueuerũt supuenire passionũ. Exẽpli gratia: Aliquis singulis annis incidit in melancholiã nisi purgetur: & res mira visu, quomodo morbo iã inchoante, statim homo psentit prima eius generationẽ: & ego aduocatus purgo humores atros, & cessat, ptin9 melancholia: & huic homini ex purgatiõe ambo hęc optima eueniũt, qp scilicet & supfluitates expellunt, & qp ex acritudine eorũ quę excernũtur, paulatim aperitur os venæ quã vocãt hęmorrhoida, & p eã etiã excernitur pars aliqua sanguinis vitiosi consueti euacuari: quo retẽto supuenit melãcholia. Purgo igitur ipsum, nõ vere tãtum, sed etiã autũno: & sicuti dixi, si ex contẽptu aliquãdo purgationẽ omiserit, & morbum nõ anticipauerit, casus persentit passiõis. Sic & mulierẽ quãdã singulis annis vere inchoãte similiter euacuans, cũ aliquando tumorem cancrosum in mamilla pa

teretur, forti atque frequenti cum medicamēto purgante atram bilem, adhibita euacuatiōe ad sanitatem perduxi. Et siquando purgatio omitteretur, dolorem profundum sentiebat: & me aduocato, statim volebat euacuari. In altero elephantem inchoantem, primum per venæ sectionem & purgationem sanaui: & singulis annis rursus huic sufficit vna purgatio: & ea omissa, statim passio innotescit. Morbi itaque huiuscemodi, atri humoris exigunt purgationem: comitialis aūt, & apoplexia, & anhelatio, pituitosi: & articulares si cū multa fuerint caliditate, amaram bilem volunt euacuari: si vero cum frigidis tumoribus, pituitam. Quidam alius tempore æstiuo semper febribus tertianis corripiebatur: sed multis iam annis non febricitauit, quoniam à nobis purgari circa finem veris anticipauit. Sic enim melius est tales euacuare, sicuti illos qui morbo comitiali, apoplexia, & melancholia, & articulari, & aliis passionibus quæ ex crassis humoribus generātur, prestat circa veris initia euacuare: de quib9 omnibus seorsum à nobis scriptum est in illo tractatu qui inscribitur de iis qui verno tempore egent euacuatione. Est autem iste tractatus pars totius salubris tractationis.

XLVIII



Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum.



Paulo antea hūc aphorismum exposui, cum sermo habebatur de aphorismo in hunc modum scripto: Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, iis longa facta intestinorum difficultate, aqua intercutem superuenit, vel leuitas intestinorum, & moriuntur. quare isti impræsentiarum proposito nulla est alia expositio necessaria.

XLIX



Quibuscumque morbi podagrici fiunt, ii sedata in quadraginta diebus inflāmatione, finiunt.


Podagricorum inflãmatio fluxione fit ad articulos decubente. hãc aũt fluxionem suscipiũt primum quidẽ loca articulationum, deinceps circũstantia omnia vsque ad cutem. Quia vero impleri dicimus articulationes, liquet etiã ea quæ ipsis circũiacẽt ligamẽta extendi esse necessarium. Neruos igitur & chordas non est rationabile in ipsis inflãmari, sed solũ dolere cum simul articulationes extẽdũtur, argumẽto quoniam visus est nunquam podagricus pati cõuulsionem, quæ frequenter solet in neruorum ac chordarum inflãmationib9 aduenire. verum intẽtio sanationis in eis, cõmunis est omnib9 inflammatione laborãtibus, quoniam dissolui oportet id quod ad pedes defluxerit, si quidem tenuiorem habuerit substantiam, tempore breuiore: si vero crassam vel tenacem, longiore: & longius adhuc tempus requiret si simul crassum atque etiam tenax illud quod defluxit, existit: vltra tamen spatium dierum quadraginta non prorogabitur curatio inflammationis, si videlicet & medicus in suo opere non aberrauerit, & æger illi in omnibus obedierit. Quæ vero carnosas partes occupat inflãmatio, morborũ acutorũ subijcitur termino, dieb9 scilicet quatuordecim: quoniã carnis substantia mollior est ac rarior natura ligamentorum: vnde & tardius inflãmari incipit natura ligamẽtorum, chordarum atque neruorũ, ex ictu, & lõgiori tẽpore ad consistẽtiam inflãmationis perueniũt, ac tardi9 sanãtur. Qua eñ ratione vix aliquid in se humoris externi suscipiunt, cum duræ sint ac densæ huiuscemodi partes, hac ipsa rõne cum difficultate dimittũt. Quapropter Hippocrates podagricis inflãmationib9 terminum integræ solutionis non diem quartũdecimum, sed quadragesimum posuit: quia qui in articulationibus humores insunt, per ligamenta ipsas amplexantia oportet per modum vaporis euacuari, & qui etiã in ipsa ligamẽta inciderũt. Meminit autem & in prognostico quadragesimi diei, vt in quo iudicantur quæcunque neque iam sunt diuturna exquisite, neque acutorum minimum exciderũt. Dictũ aũt est plenius de talibus in tractatione dierum iudicatoriorum.

I.L


QVibuscunque præciditur cerebrum: iis necesse febrem, & bilis vomitum superuenire.

PRæciso cerebro aduenit febris ea rõnē cõmuni qua quolibet mēbro principali patiēte inflãmationem, subsequitur febris. Bilis verò vomit9 fit cõpatiente vētriculo propter ei9 cum cerebro cõmunicationem, ore præsertim ipsi9, ad quod terminatur ex cerebro effatu digna quędam neruorum cõiugatio. Cõsueuit quidem & aliter in magnis doloribus atque mœroribus fortibus ad vētriculum fluere biliosa superfluitas: & multo magis cũ ipse male affectus fuerit. Ad ea em̃ quę talia sunt, feruntur partium proximarum supfluitates, quę pręsertim tenuē habēt substantiam, qualis est ipse biliosus humor, atque vnà cum eo quęcunque serosa supfluitas, quæ sępius in vomitib9 bili cõmiscetur. & raro admodum accidit vt bilis exquisita euomatur, cui serosam superfluitatem nõn videamus admixtam. Apparet autē & in sanis cum diu à cibo abstinuerint, præsertim in illis qui natura sunt biliosiores, tales in vētriculũ humores admitti: quod & ipsius morsus & vomitus manifestãt. Non solum aũt cerebro vulnerato euomunt hoïes bilem, sed & dura mēbrana circunstantes quę cum in multis partib9 sit cerebro agnata, citissime ei cõmunicat proprias passiones. Erasistrati aũt sectatores cũ ipsas mēbranas velint esse principia neruorum, mēbranam crassiorem inquiēt non suę naturæ ratione, si sola sit vulnerata, tales afferre casus. Si vero vsque ad cerebrum vulnus peruenerit, quoniam ambę membranæ prius illud admiserint, sic nuper dictarum sequi passionum ortũ fatebũtur. Dixi aũt Erasistrati sectatores, & non ipsum Erasistratum talia dicturos: qm̃ cum iam senex esset, (vt illi inquiunt) scripsit libros diuisionũ, in quibus cerebrum esse neruorum principium demonstrauit. Dictum autem est de his in commētarijs de Hippocratis sectione.

LI



Vicunque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt & stertunt, in septem dieb9 pereũt, nisi febris appræhenderit.



Vtos solet Hippocrates nominare non eos tantum quib9 lœditur vox, verum secũdum exuperantiam quãdam vnà cum eius lœsione dat nobis intelligẽdas oẽs quæ sunt secũdum electionem operationes. Nonnũquam igitur illis oblœsis non interit sensus. Quos igitur ipse mutos appellat, cõtingit esse sentientes: sed sępius vtraque patiũtur: & talem affectum vocãt apoplexiam. Est aũt & hęc alia quidẽ debilis, alia vero fortis: atque ideo dixit: Soluere apoplexiam fortẽ impossibile, debilem vero nõ facile. Videtur aũt nũc fortis apoplexiæ indicium apposuisse, quod stertere dixit: quod etiã profũde dormiẽtibus accidit secũdum dispositionis similitudinem, secũdum diuersum quidem vtrisque modum. Nihilominus quatenus aliquid habẽt cõmune, vt stertãt consequitur. Est aũt cõmune ambobus, eius quæ fit per neruos operationis debilitas: & dictũ est de his ampli9 in ea quę de locis patiẽtibus inscribitur tractatione. Nũc vero quãtum ad expositionem aphorismi sufficiet, dicet à nobis. Quibus sanis dolor in capite repente aduenerit, causam referre oportet in primis ad spiritum flatuosum: sed iam & ad influentis vniuersim materiæ multitudinem, quam & nũc ad cerebrum fuisse delatam indicãt casus qui post dolorem supuenerũt, per quos & quòd sit quædã materia pituitosa, commonstratur: atque idcirco febris supueniens soluit dispositionem, vt quæ calefacit, extenuat atque resoluit spiritum flatuosum, & pituitosos humores. Fit autem hoc nonnunquam tribus diebus aut quatuor, nonnũquam vero pluribus, non tamen vltra dies septem: quia pars est principalis: tales vero partes non diu tolerant fortes simul ac diuturnas passiones: vt sępius ostendimus.

LII

OPortet vero & considerare oculorum in dormientibus suspectiones. Nam si quid album commissis palpebris subinspicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione istud contingat, malum est signum, & lethale valde.

AVt ob palpebrarum siccitatem, aut propter potentię ipsas mouentis imbecillitatem, aliquid albi subinspicitur, cū oculi integre claudi nō possint. Ob hoc igitur ipsum in alui profluuijs, & medicamētorum purgātium potionibus, oculorum albedinis aliqd subinspicitur quando dormierint. nam totum corp9 exsiccatur, & vires fiunt imbecilles ex talibus euacuationibus. Plus autem siccitas in palpebris innotescit, quoniam sunt natura siccæ. Sicuti ergo coria exsiccata difficulter extenduntur, eodem modo & similes corporis partes. Et quidem quòd potentia existente imbecilli, nōn possint exquisite oculos claudere, sed neque os, vnde hiantes dormiūt: liquet vnicuique rei naturā diligentius aīaduertere volēti.

LIII

DEsipientiæ quæ cum risu fiunt, securiores: quæ vero cum studio, periculosiores.

NVlla quidem desipientia secura est, minus vero periculosæ quæ cum risu fiunt: sicuti temerariæ, vt ipse nominat, omniū periculosissimæ: in medio autem ambarum sunt quę cum studio fiunt. Fiunt autem omnes patiente cerebro, siue primo & per seipsum, siue per compatiendi rationem: differunt autem inuicem per causas ipsas efficientes. Quæcunque enim ex sola fiunt caliditate sine humore vitioso, similes quodammodo sunt eis quę ex ebrietate contingunt. Quęcūque vero ex flaua bile cum studio perficiūtur, ipsa vero multum exu-

sta, vt iam magis ad atrę bilis naturam accedat, sunt insanię satis furiosę. Nam oportet ad memoriam reuocare ex quę in aliis locis de atra bile prefiniuimus, quòd quędam ex ea flaua bile superassata gignit, quę omnino molestissima est. Quę vero ex sanguinis (vt quispiam dixerit) fęce, crassior quidem est illa secundum substantiam, sed plurimum differens prauitate qualitatis. Dictum autem est quòd eam quæ est veluti fęx sanguinis, cum volumus exquisite loqui, nondum atram bilem nominamus, sed humorem melancholicum. Nominibus vero abutentes, & atram bilem aliquando vocamus, quoniam si non prius euacuetur, paulopost atra futura est.

LIIII



IN acutis passionibus quae cum febre sunt, luctuosa suspiria, malum.

INfantes sępe videntur quo plorant tempore inspirantes inspiratione interrupta, stante interim thorace, deinde rursus id quod deest, adiicientes: quod ipse in Epidemiis in hunc modum dixit: Duplex intro reuocatio, veluti superinspirantibus. & accidit hoc nonnunquam potentia fatigata, nonnunquam ex duritie instrumentorum, nonnunquam vero ambabus causis simul conuenientibus, sed & aliquando propter aliquam musculorum pectoris similem cõuulsioni dispositionem. nam & vis imbecillis quando semel nequierit tantũ thoracem attollere, quantum animali est necessarium, in media stat operatione, primum quiescens, deinde sic iterum cum impetu se effert. Durum vero instrumentum cum non prompte sequatur potentiam attollentem, ab ipsa vibratum violenter attollitur. De dispositione autem simili conuulsioni, quid oportet dicere quòd talem faciat respirationem? Si igitur frigus musculos thoracis apprehenderit, vel etiam neruos: durities quędam instrumentis adueniet, & motus conuulsioni similis, quam febris sua est apta natura sanare, & calida auxilia. Febre vero cum his existente, non possumus causati musculorum thoracis si-

ue neruorum frigiditatem, sed vel duritiem quę facta est, vel virium imbecillitatem, vel conuulsioni similem dispositionem. Quicquid vero horum in causa sit, non est bonum vt in morbo acuto contingat. Si itaque de sola tacta motione instrumentorum respirationi obseruientium luctuosa respiratio ab ipso dicta fuit, iam ad finem expositio peruenit. Sin autem & cum tali aliquo sonitu vult tactam contingere respirationem, qualis flentibus accidit: vltra dictas causas quandam ostendet dolorosam dispositionem, ex qua, veluti flentes, vel gementes, vel aliquem mixtum ex vtrisque sonum edentes, in hunc modum respirant.

LV

Dolores podagrici vere & autumno magna ex parte mouentur.

Podagricę passiones, sicuti & omnes alię articulares, vere augentur: atque ideo ipse superius in enumeratione morborum vernalium, etiā articularium cōmeminit, in quibus scilicet etiā podagrici cōtinentur. Excitantur quidem aliquando & autumno ījs quibus per ęstatem tempore quo fructus maturantur, vitiosi aliqui humores fuerint coaceruati. Ostensum enim à nobis est in commentarījs de potentījs naturalibus, quòd singulis partibus sicuti alię potentię, ita & illa inest, quæ materias infestas excernit. Infestant autem aliquę sua multitudine aggrauantes, alię vero extranea qualitate. Secundum vtrunque igitur ījs qui hyberno tēpore in victu deliquerint, postmodum verno diuturnę passiones excitantur, fusis humoribus, mox à fortibus ad loca debilia detrusis: secūdum alterum vero, tantummodo autumnali.

LVI

IN morbis melancholicis ad hæc periculosi decubitus, stuporem corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cęcitatem significant.

Fiunt quidem & propter pituitosum humorem apoplexię, & cõuulsiones, & cęcitates oculorũ. Fiunt autem & propter melãcholicum, quoniã communis vtrisque est crassitudo: nõ tamen furor est passio communis. Nunquam enim hic ex pituitoso humore ortum habet, cũ ad eum humor irritans ac mordens exigatur. Talis autem est semper quidem flaua bilis, melancholicus autem humor non semper, sed cum supra modũ exustus aut putrefactus malignam induerit acritudinẽ.

LVII

Apoplexię autem fiunt maxime a quadragesimo anno vsque ad sexagesimum.

Non omnem apoplexiam, sed nuper dictam tantummodo (quæ ex atra sola fit bile) cõtingit aduenire ĩs qui dictam agũt ætatem, quoniam in his maxime abundat atræ bilis humor, quemadmodum etiam in autumno. Quod si volumus simpliciter pronũciare, plures senes laborant apoplexia. Si igitur sermo debeat esse verus, iungendus est cum priore aphorismo, ac si ita diceretur: In morbis melancholicis ad hæc periculosi decubitus, stuporẽ corporis, qui homines occupat à quadragesimo anno vsque ad sexagesimum.

LVIII

Si omentum excidat, necessario putrescit.

Propter sermonis breuitatem falsus esse videbitur aphorismus ĩs qui nõ recte ipsum inaudierint. Quod enim dicitur, huiusmodi est: Quando exciderit, hoc est quando nudatum fuerit, & extra peritoneum, id est membranã abdominis interiorem omentum exierit, non contingit ipsum ad locum proprium restitutum, sanum & saluum fieri, sicuti si aliud aliquid extra pmeretur, veluti intestinum, aut aliqua visceris fibra. Illa etenim nisi longo tempore frigefiant, quando vulnus

in parte vetris superiore factum, ad cicatricem perductū fuerit, pristinam recipiunt temperaturam. Omentum vero etiam si minimo nudetur tépore, reductum putrescit: quam ob causam medici parté illam quę fuerit nudata, solent resecare. Hanc igitur sententiam habet aphorismus, licet cōfusius in verbis dictis proponatur. Si quis vero aliquando vidit omentum quod paruo tempore extra prodierit, & deinde ad suum locum reductum, nō putruerit, perpetuam quidem non esse probabit Hippocratis enūciationem: illud tamen seruabit, quod magna ex parte solet accidere, & commune est huic aphorismo ad alios ab Hippocrate dictos, perpetuum quoddā ex figura dictionis ostendenti, quanuis res ipsę non semper eodem modo eueniant, sed raro aliquando aliter accidant.

LIX

Quibuscunque a coxēdicum dolore molestatis excidit coxa, & rursus incidit, iis mucores superueniunt.

Saepe in articulis humor pituitosus aceruatur, quem mucorem appellant: à quo madefacta articulationis ligamenta laxiora redduntur: atque ideo facile à cauitate articulus excidit, & rursus non cū difficultate incidit, quę nūc ait accidere ijs qui ita morbo laborant coxendicum. Quando autem coxam ait excidere, articulū coxę debemus intelligere, quomodo etiā in libro de articulis dicebat: Humeri autē articulum vno modo noui lubricare. ac si dixisset articulum secundum humerum.

LX

Quibuscunque a coxendicū dolore molestatis diuturno excidit coxa: iis crus tabescit, & claudicant, si non vrantur.

Hunc aphorismum non debemus à superiore seiungere, sed ipsum coniungentes, ita vnum audire sermonem. Vult enim dicere quòd à coxē-

dicum morbo molestatis, quibus propter mucoris multitudinem articulus excidit, & rursum incidit, necessarium est processu temporis os contabescere, nisi prius vrendo mucorem exsiccemus: quod in libro de articulis consulit fieri in brachio iugiter excidente. nam & nunc eadem est sermonis vis, cum ipse suadeat aduri quod secundum coxam, vt in libro de articulis docebat: vt & id quod mucosum, absumatur, & vt laxitas cutis ad quam articulus lubricabat, magis ex adustione contracta arctet, & prohibeat transponi. Quòd si ob multitudinem mucoris extra suum locum diu coxa steterit, (est quidē iam hoc cruris claudicatio) necessario contabescet, vt etiā aliis solet accidere priuatis motibus qui illis sunt secundum naturam.

GALENI IN Hippocratis Aphorismos Liber septim⁹, interprete Nicolao Leoniceno.



OMnes ferē qui antea scripserunt expositiones aphorismorum: circa initia quidem vltra id quod vtile fuerit, sermonem extendunt: sed in processu remittūtur: ita quòd primū quidē ad vtile tm̄ progrediūtur, mox citra hoc, & tādē supra modū abbreuiant expositiones, adeò quòd neque animaduertant plures aphorismos esse nothos, & in propatulo falsos. Verum vt qui sunt in disputationibus fatigati, prompte ad omnia annuūt: ita & ipsi omnes admittunt quoscunque scriptos inuenerint aphorismos, & ad vltimam veniunt in suis expositionibus breuitatem, obliti prioris loquacitatis. Nos vero & alias ipsorum absurditates conati sumus euitare, & oēs ex æquo studuimus facere expositiones, que & veritatem, & artis intenderent vtilitatem, vt interpretando neque ad extremam se breuita-

tem contraherent,(hoc enim libro conuenit,non libri expositioni)neq; ad tantam prolixitatem,quãtam illi faciũt in principio expositionum,protraheretur. Optimum vero in sermonibus omnibus, quod & seruat mediocritatẽ in vnaquaque tractatione, hoc à principio vsq; ad finem seruare laborauimus.

I




N MORBIS acutis frigus partium extremarũ, malum.



N MORbis diuturnis, qui presertim sunt sine febre, & hyeme, & ętate senili, partes extremas corporis,veluti nares, aures, pedes, & extremas manus frigidas fieri,nihil absurdũ. Nõ tamẽ in acutis est mediocre malum, sed casus satis exitialis:quod magnis accidit viscerũ inflãmationibus. Acutos autẽ ipse ait vocari morbos quorũ febres magna ex parte continuę sunt: in quibus cum fuerint sine magna inflammatione, nedum extrema frigescere, sed exuri contingit. Cum vero inflãmationis calor adeò vehemens fuerit, vt ad se trahat p modũ cucurbitulę ex toto corpore sanguinẽ:ĳs qui ita se habent,viscera peruruntur, extremæ autẽ partes frigescũt propter defectum sanguinis ad viscera se recipientis: & eorum plerique neq; tegumenta tolerant propter incendium quod in viscere sentiunt.

II



N osse ægrotante caro liuida,malum est.



On enim in mediocribus ossium lœsionib9,sed fortibus putrilaginibus talis species coloris circũstantibus aduenit carnibus, extincto iã eis scilicet calore natiuo.

III

A Vomitu singultus & oculorum rubor, malum.

Qualis passio est conuulsio musculis, talis est singultus stomacho: qui humoribus infestantibus aduenit, nonnunquam totum ipsum ventriculum, nonnunquã os eius, & gulam: quos per vomitiones abijciens, statim à singultu liberatur. qui si neq; per istas cessauerit, duorum alterum ostendit, vel scilicet cerebrum neruorum principium, vel ventriculum pati non mediocrem inflammationem. Rubor vero oculorum vtranque sequitur dispositionẽ, sed præcipue illam quæ in cerebro existit similis inflammationi.

IIII

A Sudore horror, non bonum.

Quòd iudicatoria quæ nõ iudicant, partim mortalia, partim male iudicantia sunt, ab ipso dictũ est, quoniã natura in huiuscemodi dispositionibus morbo succumbit.

V

A Furore difficultas intestinorum, vel aqua intercutem, vel mẽtis alienatio, bonum.

Difficultatem quidem intestinorum, vel aquã intercutem transmutationis ratiõe esse furoris sanationem, non est extra rationem, cum à capite noxij humores transferãtur ad inferiora. Mentis autẽ alienatio tantũ abest vt sit furoris solutio, quòd quispiam magis diceret esse incrementũ. Et quidẽ si vere Hippocrates cõtinuum atq; vehementẽ furorem, alienationem mentis nominauit: quendam nouimus à furore mediocri quo prius detinebatur, fuisse liberatũ: vnde ratiocinãdo perpẽdimus ex vehemẽti motu causarũ efficientiũ furorẽ, solutionẽ fuisse subsecutam: queãdmodum in morbis acutis

vehemētissimi casus solēt aliquādo bonas crises operari.

VI

IN morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones sinceræ, malum.

FAstidiū cibi ipsum per seipsum prauū est signū in morbis diuturnis. Nam in ijs qui à talibus morbis sunt euasuri, cōtrarius affectus solet accidere, vehemens scilicet ciborum appetentia. Quare cibi fastidium haudquaquā bonum est signum: multo vero magis quando fuerint prauę deiectiones. Sinceras vero deiectiones nominauit impermixtas aquosę humiditati, quoniā solus humor euacuat9 dejjcitur, siue sit biliosus, siue melancholicus, siue porri colorē prę se ferēs, siue bilis quæ ęruginosa nominatur. Nam deiectiones huiuscemodi exustam esse omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonstrant.

VII

EX multa potatione rigor & desipientia, malum.

QVòd quidē multa potatio, nō aquę, sed vini potionem significat, vnicuiq; manifestū. Desipiūt autē ex talibus potionibus aliqui, capite opple to plurimo sanguine, ac spiritu calido. Ob hancipsam vero causam & calidiores redduntur, præcipue quidem caput, sed & corpus vniuersum. Pauci enim ex ipsis sunt qui cum desipientia rigeant: in quibus calor natiuus non accenditur, sed ob multitudinem extinguitur, sicuti ignis lignorum multitudine superiniecta, & lucernæ flamma oleo vniuersim superfuso.

VIII

A Tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitio, aut animi defectio fit.

TVberculum nominauit, quod in alijs ipse solitus est vocare suppurationem. Intus vero ipsius ruptionē, ad vētriculum dicit, ad hanc enim cō-

ſequitur vomitus, ſicuti tuberculorum in thorace atq; pulmone ruptio, non vomitiones, ſed ex neceſſitate quidem tuſſim excitat, ſed ſępius etiam ſtrangulat: quemadmodum ſuppurationum ad inteſtina ruptiones, puris faciunt deiectionem. Commune autem omnium ruptionum eſt exolutio'q;, & animi defectus, propter vitalis ſpiritus excretionem, vt alibi à nobis eſt demonſtratum.

IX

A Profluuio ſanguinis, deſipientia, ac conuulſio, malum.

HIc aphoriſmus magnā nobis affert vtilitatem ad perſuadēdum quòd aliquādo fiat deſipientia ex defectu, quo manuū ac pedūm tremores. Hæc ſiquidem mēbra propter potentię ipſa mouētis imbecillitatem, infirmas habēt motiones, & cerebrū vacillat, propter quod neq; vehemēs eſt hoc deſipiētię genus, ſed mediocre, atq; vt quiſpiā diceret, delyrantis. Ipſe ſiquidē ſolet mediocrē inſaniam, delyrium nominare. Si ergo conuulſio aliquādo tali deſipiētię coniungatur, omnino ſalus eſt deſperata. Quędā igitur exemplaria cum & coniunctione, ſcripta ſunt, quædam vero cum illa quæ abiunctiua nominatur, vel, ſecundū quā etiam deſipientia nō bonus eſt caſus pōſt ſanguinis fluxum, etiam ſi ſola contigerit, multo autem magis cōuulſio vel ſi abſq; deſipiētia facta fuerit. Maximū vero malum eſt ambarum cōuentus, quādo & ex immoderata euacuatione cōuulſio caſus eſt admodum exitialis. nam deſipientia minus mala eſt.

X

AB ileo vomitus, ſingultus, deſipiētia, vel conuulſio, malum.

IN ileis nihil deſcēdit ad inferiora, & hoc eſt proprium inſeparabile paſſionis. Vomitus autē nō ſemper adeſt, ſed quādo exitiales ſunt: & ſi vehemētius diſtorqueantur, ſtercus eis aſcēdit, atq; ſingultiūt. Quidā vero deſipiunt & conuellūtur, compatiēte neruo-

tũ principio stomachi passioni. Hęc vero mihi fieri videntur intestinis in quibus passio talis existit, à se expellere stercus appetentibus, quãdo longitudine temporis cœpit molestare, & non potentibus se exonerare propter eam quæ facta est in partibus inferioribus obstructionem, sed coactis contra naturam violenter moueri, & ad loca superiora materiam noxiam extrudere.

XI

A Morbo laterali inflammatio pulmonis, malum.

IN pluribus quidem exemplaribus in fine aphorismi adiectũ est malũ, in quibusdã vero ita simpliciter scribitur: A morbo laterali inflammatio pulmonis. volẽtibus illis qui in hunc modum scribunt, nõ quòd sit bonũ vel malũ, pulmonis inflãmatio morbo laterali superueniẽs, ipsum docere, sed simpliciter hoc vnum tantũmodo, quòd morbus lateralis soleat in pulmonis inflammationẽ trãsmutari, vel morbo laterali pulmonis inflammatio superuenire. Hæc autẽ transmutatio fit quando priore cessante morbo, aduenit alter. Superuenit autem quando altero manẽte, alter adijcitur. Verum hoc in loco videtur Hippocrates de superueniẽtibus agere, quibus statim hoc inest, quòd mala sint, adeò quòd si etiã hoc verbum malum non adijciatur, vel subaudiendum est, secundum modum à cõmuni dictum, vel potentia ostendi est existimãdum. Omnis enim huiuscemodi superuenientium consistentia, neque paruos, neque mites insequitur morbos, sed malos atque malignos. Exempli gratia statim in dictis in aphorismo passionibus: quando nõ potest is qui morbum facit lateralem in costis humor contineri, pars eius aliqua ad pulmonem fertur. Ad inflammationẽ quidem pulmonis morbus lateralis non admodum consequi solet, quoniam si mitis fuerit inflãmatio, omnis humor noxius per sputum expurgatur: in perniciosis vero, antequã costę patiantur, strangulat ægrum.

XII

A Pulmonis inflammatiōe phrenitis, malum.

QVando à calido humore fit inflāmatio pulmonis, quæ multos vapores transmittit ad caput: cerebrum implet vaporibus, & facit phrenitidem. alia autē cōmunia sunt ad prius dictum aphorismū non huic solum, sed etiam sequentibus.

XIII

A Bęstibus fortibus conuulsio aut distentio, malum.

MVlti expositores ita scribi hunc aphorismū cognouerunt. Marinus vero, A vulnerib9, scribit. Etenim sequētem aphorismū ait sibi adstipulari. Verū quidē quòd à vulneribus fortibus fiunt inflāmationes, ac conuulsiones. Sed cum omnes ferè expositores præcipue vetustissimi, illam norint scripturā quæ habet, Ab æstibus fortibus: melius est vt nos etiam eandē exponamus. Quidā igitur pro ęstibus, febres intellexerūt: nōnulli vero aeris ambientis feruorē ita nominari dixerunt: alīj pro cauterīјs & escharis: & omnes verum dicūt. Superueniūt enim his omnibus haudquaquā ad bonum distentiones ac cōuulsiones, propter neruorum siccitatem, quas diximus esse difficillimas.

XIIII

IN capitis ictu obstupescentia & desipientia, malum.


DEsipientia quidē agnoscitur loquentibus agentibus've nihil consentaneū rationi. Obstupescētia vero quādo neq; aliquid dicunt, neq; agūt, sed apertis oculis quieti manent, similes ījs qui ex timore sunt attoniti. Quòd vero hęc omnia huiuscemodi fiant cerebro patiente, manifestū. ostēsum enim est in eo esse animę principatum. Si igitur in fine aphorismi scriptum sit,

malum: liquet quòd recte dictum fuit. indicio em̄ sunt ꝗ ict9 itra ad cerebrū penetrauerit. Si vero nō scribatur, nos nihilomin9 possum9 subaudire, sicuti antea diximus à cō muni. Possumus aūt & quia huiuscemodi casus vnà indicāt cerebri lœsionem, magnitudinē passiōis cōsiderare.

XV



A Sāguinis sputo puris sputum, malum.



QVòd omnis hæc enumeratio sit eorū quæ proprie superuenientia vocātur: (de quibus Praxagoras vnū volumen scripsit haud paruum) manifestum esse arbitror ex ipso aphorismo. Neque em̄ om̄e sputum sanguinis, sequēs habet sputum putulentum: sed quod malignum exiſtit. tale autem est oīno ex pulmone.

XVI


A Puris sputo, phthisis & fluxus: cum vero sputum retinetur, moriuntur.

QVam proprie græci, & præsertim Athenienses nominant phthoen, hanc nunc Hippocrates phthisin nominauit: quæ pulmonis vlcera insanabilia cōsequitur totius corporis cū febre parua extenuationem. Fluxum autē aut de capillorum defluuio, aut de humida dixit deiectione, ambę enim consueuerūt euenire cum tabidi ad extremum mali perducuntur, alterum ex siccitate, altera ex potentiæ debilitate. Quod vero in fine scribitur: Si autem sputum retineatur, moriuntur: modum mortis ostendit illorum qui ex phthoe moriuntur. Eousque em̄ extenuati viuunt, donec per ea quæ expuūt, possunt pulmonem expurgare. Cum vero intus manent, obserātur quidem vię spiritus, patiētes vero strangulātur.

XVII



IN hepatis inflāmatiōe singultus, malū.



DIxi & antea quòd oēs hi seriatim scripti aphorismi de casibus docent qui passionibus auctis & iam deterioribus factis superueniunt. Quo

modo igitur nunc singultus hepati inflammationem patiēti dicitur superuenire? Non semper, neque quomodolibet patiente, sed quando ad magnitudinem attollitur, feruente inflammatione: in quo feruore stomachus ad compassionem trahitur, nonnunquam cōmunium neruorum ratione, qui sunt (vt ipse docuit in secūdo Epidemiarum) breuissimi. Quare tūc solum compassio fit stomacho ad hepar, quando inflāmatio & maxima & pessima fuerit. Et quidem bile satis calida & multa in huius visceris inflāmationibus genita, ac confluente ad intestinorum principium, atque ita superfluitante, atque ad ventriculum recurrente, contingit os eius morderi, atque ideo singultire. Nonnulli vero arbitrantur magnitudinem inflammationis vētriculum premere ac singultum facere, non habēte exitum spiritu, quemadmodum inquiunt.



XVIII

N vigilia, conuulsio vel desipientia.

Vidam & hoc loco malum subiūgūt. Nos vero prius diximus quòd si etiam non subiungatur, potentia continetur. Cur vero immoderatis vigilijs conuulsio succedat aut desipiētia, manifestum est huic qui priora meminerit. Nam dictū est ab ipō Hippocrate conuulsionem ita à repletione fieri, sicuti ab euacuatione. Ex ijs autē quę maxime euacuant & exsiccant, vigilię sunt: atque ideo conuulsionem ex siccitate faciunt, ac desipientiam, immodicę siccitatis ratione, ac prӕterea quia in longis vigilijs biliosior redditur sanguis. In quibusdam tamen exemplaribus, & quidem diligentissime scriptis, hic aphorismus scriptus est sine verbo desipiētia, hoc modo videlicet: In vigilia conuulsio. quia vt arbitror, pessima quę superueniūt, ab Hippocrate scribūtur hoc loco.



XIX

N ossis exutione erysipelas.

HOc in loco maxime oportet subaudire malum. Neque enim hoc dicit, quòd semper, aut magna

ex parte exutis ossibus erysipelas superueniat: (nam potius contrarium verum est, quòd ita patiētibus ossibus raro superuenit erysipelas) sed quòd casus prauꝰ est osse nudato carnē circunstātē videri ab erysipelate appręhēsam.

XX

AB erysipelate putredo aut suppuratio.

CLarum est & in hoc sermone quòd malignis erysipelatis hæc superueniunt.

XXI

A Forti in vlceribus pulsu, profluuium sanguinis.

IN vlceribus inflāmatis pulsus fit non ferente carne incumbente arterijs illarum motum, sed dolēte quādo se attollentes exciderint. Est enim huiusmodi pulsus sensus quidā cum dolore ex arteriarum motione factus, quas neque ab initio sentiebamus cum mēbra se haberēt secūdum naturam, tum quia eorum adhæsus non est molestus, tum quia in spatio laxiore mouētur. Membris vero inflammatis, & loci angustatio, & dispositio dolorifica, tristem afferūt laborantibꝰ sensum ex motu arteriarum: quem non solum medici, sed omnes homines pulsum appellant. Videtur autem & hic arteriarum motus augeri in talibus dispositionibus. Ostensum siquidem est in cōmentarijs de potentijs naturalibus, quòd est quædam in ipsis vis aliena excernens, quæ & sudores criticos, id est iudicatorios facit, & profluuia sanguinis, & alui inferioris deiectiones, & quęcūque alia huiuscemodi. Secūdum hāc igitur vim nonnunquam vehementius natura operās, magnum & violētum arteriarum efficit motum, appetens illa quę molestant, expellere: atque ita profluuium sanguinis facit.

XXII

A Ventris dolore diuturno, suppuratio.

Siue frigus, siue omnino aliqua inęqualis intemperatura circa ventrem fuerit, siue vetus flatuosus, siue acritudo mordax, fieri non potest vt in longum extēdātur, si omnia circa ęgrum opportune fiāt: quia hoc in omnibus sermonibus talibus subaudire oportet. Relinquitur igitur quòd adhuc dolor pdurat propter inflammationem: quę temporis processu scilicet suppurabit, nisi hominem morte prærripiat. nam & hoc subaudire oportet in omnibus sermonibus talibus.

XXIII

A Deiectione sincera difficultas intestinorum, malum.

Deiectiones sinceras solet (vt dixi) Hippocrates nominare impermixtas aquosę humiditati, quę solum habent sincerum illum qui infra deiicitur humor, siue sit flaua bilis, siue atra. Nihil igitur mirum si in talibus deiectionibus aliquod intestinum exedatur.

XXIIII

IN ossis pręcisione, desipientia, si in vacuum apprehenderit.

IN osse quod in capite est, præciso, videlicet non simpliciter, neque vtcunque cōtigerit, sed vsque ad interiorem superficiem, quā vacuus excipit locus qui cerebrum cōtinet, si desipiētia fiat. nam iam passio proxima existit mēbranis & cerebro. Marinus autem nescio quo modo, legendum seorsum existimat: In ossis pręcisione desipientia. & rursus seorsum facit principium aphorismi secūdi: Si vacuum appræhēderit. adiiciēs ipsi: Ex potu medicamenti conuulsio, mortale. ita quòd totus aphorismus talis fiat: Si vacuum appræhenderit ex medicamenti potione conuulsio, mortale. Rationabiliter enim inquit hoc dici. semper enim factam ex euacuatione conuulsionem damnari ab Hippocrate. Sed hoc quidem recte Marinus inquit, quòd propter immodicam euacuationem facta conuulsio est exitialis: sic igitur & facta ex potione medicamēti est exitialis. Verum nōn animaduertit

quòd sermonem priorem falsum ostendit: nam aperte falsum est ꝙ in ossis præcisiõe desipiẽtia fiat. Neq; ẽm ex alicui9 ossis alterius, neq; eius quod cerebrũ tegit, præcisiõe, demẽtia sequitur antequã ad mẽbranas passio pertingat.

XXV

EX medicamenti potione conuulsio, lethalis est.

MEdicamenti potiones, & medicationes, consueuit Hippocrates proprie nominare eas tãtum quæ cũ purgantibus fiunt medicamentis. Q đ vero conuulsio quæ fit istis supra modum euacuantibus, læthalis existat, si quis eorum meminit quæ sæpius à nobis sunt dicta, non ignorat.

XXVI

IN forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas, malum.

Fit quidem & (sicuti supra dictũ est) ob magnitudinem inflammationis in visceribus, partium extremarum frigiditas: fit autem & propter animę defectum, vel quia calor natiu9 extinguatur, vel quia propter multitudinem stranguletur, & tum precipue, cũ frigida fuerit. Fit autem & propter dolorem vehemẽtem medias corporis partes occupantem, ob quem natura in seipsam contrahitur, & ad eam consequitur sanguis, non solũ extremas corporis partes derelinquens, veluti pedes, & manus, & caput, sed & cutim vniuersam. Causam igit quandam particularem dixit Hippocrates hoc in sermone partium extremarum frigiditatis, sicuti & in pluribus aliis sermonibus hoc ipsum fecisse ostẽdimus. Et nihil mirãdum, illum qui primus multa adinuenit, non omnium simul, sed singulorum particulatim fecisse mentionem.

XXVII

MVlieri vtero gerenti si tentio superuenerit, facit abortum.

CIrca intestinum quod rectum nominatur, tertio fit, eandem habens causam ac dispositionem quam in difficultatibus intestinorum suscipiũt illa quæ superius iacent intestina. Hæc aũt passio nomen accepit(vt inquiũt) ab illa quę fit in ea tentione ob quam cum cacare vehementer appetant, continue exsurgũt. Ob talem igitur tentionem atque molestiam, & totum aliud corpus laborat, sed prę cęteris matrix, quæ cognata est recto intestino. Nihil autem mirum, si propter vehementes atque frequentes exsurrectiones, conceptus abortitur, quãdo & ex aliis omnibus fortibus motibus atque doloribus mulieres grauidæ solent abortire.

XXVIII

QVando os, aut chartilago, aut neru⁹ abscinditur in corpore, non augetur.

ET hic aphorismus iam scriptus est antea, his verbis: Q ando disscissum fuerit os, vel cartilago, vel neru⁹, vel maxilla tenuis, vel pręputium, neque augetur, neque coalescit. & nos in sexo commentario ipsum antea exposuimus. 19.

XXIX

QVi alba pituita detinetur, si fortis vẽtris flux⁹ supuenerit, a morbo liberaƭ.

COnsueuere & alii medici quandam aquæ intercutẽ speciem, albam pituitam nominare, quasi videlicet sit etiam pituita liuida, vel tanquam sui quidem ratione sit semper alba, sed propter mixtionem quorundam aliorum humorum verum mutet colorem. Potest autem & sicuti in libro de articulis scripsit, Vertebrę quę in spina sunt: non tanquam sint alibi, volens distinguere, sed simplici vtẽs adiectione: ita & hoc in loco absque distinctione, albi fecisse adiectionem. Hoc autẽ, ex forti alui profluuio, vel diuturno (vtrunque enim scribitur) solui albæ pituitę superabũdãtiam, commune est ad multa alia quę ita ab eo dicta sunt.

XXX




Vib⁹ in alui ꝓfluuiis excremēta ſpumoſa ſūt, iis ex capite pituita defluit.



Oc indiſtincte dictum eſt. Fiunt enim aliquando excrementa ſpumoſa ſpirituoſo humore ex capite ad ventriculum defluēte. Fiunt autem & vaſis quę ad ipſum perueniunt, illum effundentibus. Fieret etiam quando in ipſo ventriculo vnam habēs, vt quiſpiam diceret, cauſam contentiuam, quomodocunque excernatur aut fiat, antecedentes vero plures. Eſt autem huius pituitæ cauſa contentiua flatuoſus ſpirit⁹, dum humori commiſcetur, vehementem habens motum, & inęqualem, ita quòd & ipſe dirumpitur, & pituitā frāgit in multas partes, & paruas. Talis vero motus ipſius eſt cauſa, & propria natura, & nonnunquam multitudo caloris. Sic & in ĳs quę elixātur, apparet ſpuma, & maxime cum tenacem habuerint naturam. In mari etiam violentis ventis agitato. Qui vero arbitrantur à pulmone ad ventriculum perueniſſe, atque ideo ipſam videri ſpumoſam, neſcio quid inquient de ĳs quibus fiūt à capite ad pulmonem fluxiones manifeſtę. Oportebat em̄ & in his alui excrementa eſſe ſpumoſa: verum hi neque ſpumoſa per ſedem excernunt, neque cum tuſſi expuunt, & tamen ſępi⁹ manifeſte quę ſunt in viſcere aſperę arterię, ſunt eo opplete, quod defluxit à capite, quod iam concoctum eſt puri ſimile, ſed ſpumoſum minime. Sed neque omnino ex pulmone ſpumoſum ſanguinem expuūt. Videtur itaque cū ex propria ſubſtantia viſceris ſimul quicquam effertur, ſanguinem eſſe ſpumoſum. Sed & qui morbo laterali laborant, aliquando ſpumoſum expuunt, ſed raro. Hi vero etiam rarius, qui inflammationem pulmonis patiūtur, calore ſcilicet, vt mihi videtur, intemperato atque igneo in patientibus partib⁹ aggregato. Si vero quod à capite defluit ad aſperas pulmonis arterias, vt nonnulli volunt, permeat ad inferiora: primū ad vētriculos cordis ipm̄ per uenire oportebit, poſt hoc duorum alterū eueniet, primū

per cauam venam ad gibba hepatis, deinde illinc ad caua, & ita per portas ad intestinorum inuolucra: aut primum quidem ad magnam arteriam, deinde sic ad illam quæ est in mesenterio. Et quomodo adhuc spumosum remaneret sanguini mixtum, & tot cũ eo venas pertrãsiés?

XXXI




Vibuscumque febricitantibus, in vrinis fiunt sedimina veluti farina crassior, longam ægritudinem fore significat.



T hic sermo adhibita distinctione fit verus, ab experientia comprobatus, quia tales vrinæ exitiales sunt, sicuti etiam in Prognostico dictum est: & plurimi morte præripiuntur antequam ægritudo diutius protrahatur: & quicunque ex ipsis sunt liberati, ĩjs omnibus in longum producta est ęgritudo, cum dispositio multam requireret coctionem, in qua talis vrina mingitur. Dictum autem est à nobis in libro de Crisibus siue iudicĩjs, plenius de vrinis omnibus. In Epidemĩjs autem (sufficit enim mihi de duobus ęgris tantummodo fecisse mentionẽ) in primo quidẽ libro de Sileno secũdo loco cõscripto post tres constitutiones: de quo in sua enarratione sic inquit: Minxit totum simul subcrassum euacuatum sedimen instar farinę crassioris album: extrema rursus frigida: vndecima mortu9 est. In tertio aũt de ægro qui ordine terti9 est, de quo ipse ita scripsit in suæ enarrationis initio: Q ui iacebat in orto Dealcis. deinde paulo infra: Vrinæ tenues variæ habẽtes sublimamẽta parua ĩstar farinę crassioris. Hunc autem dicit quadragesimo die fuisse iudicatum. Liquet igitur ex his exemplis, quòd quicunque mingentes vrinam similem farinæ crassiori, si saluari debeãt, tarde liberantur. Q uicunque vero exitialiter se habẽt, cõtingit hos quamcito interire.

XXXII



Vibus autem biliosa sedimina supra tenuia, acutum morbum significant.

Biliosum quidem semper acutos morbos operatur. Dictum enim à nobis est quòd amaræ bilis humorem ita medici prisci consueuere appellare, sicuti melăcholicum semper cum adiectione dicūt, nō simpliciter bilem proferentes, sicuti flauam, sed atram bilem nominantes. Quod autem dicitur, supra tenues, hoc est aquosę: (sic enim cōsueuit vti tenuis appellatione Hippocrates) non bene vtique dictum videretur. Vrina siquidem aquosa, cruda est & diuturna. Equidem nunquam vidi vrinam cuius sedimen biliosum esset, pars vero superfluitans aquosa. Non absque ratiōe igitur nonnulli expositores dixere aduerbium supra, non locum, sed tempus hoc in loco significare, ac si ita diceretur: Vrinarū sedimina quādo ab initio tenuia sunt, postea vero biliosa fiunt, acutum morbum significant.

XXXIII

Quibuscunque vrinæ distantes sunt, iis turbatio fortis in corpore fit.

SI verbum distantes, in propria significatione accipiatur, rem impossibilem ostēdet. Vrina siquidem semper est sibiipsi cōtinua, nullum spatiū vacuum habens interiectum. Si vero per id substantię inęqualitatem dici intellexerimus, recte dixit fortem significari perturbationem. nam superante natura, omnia ęqualiter vnita sunt. ægris vero causis tumultuantibus, ac renitētibus ei, illud quod obtinetur atque concoquitur, aliam habet formam: renitens vero atque tumultuans, aliam: & quando plura huiuscemodi fuerint, variam magis ostēdunt vrinarū inęqualitatē, & eius causam perturbationē.

XXXIIII

Quibus in vrinis bullæ subsistunt, morbum renalem & longum significant.

Bullę fiūt circumextento humore spiritui flatuoso. Solet autem hoc magis accidere quando humor aliquid tenacitatis habet: tunc autem &

bullę ipsę sunt stabiles, & difficulter solubiles. Cum igitur spiritus flatuosus vnà cum vrinis excernitur, signum est frigidæ ægritudinis renum. Hæc enim aggregat spiritum flatuosum: atque ideo aiunt ægritudinem fore longam. Frigidū enim omne est difficulter solubile, & vix coctionem admittit, atque ideo diu durat. Nonnulli etiam aiunt ab acritudine vrinarum aperiri ora arteriarum quę sunt in renibus, atque ita excerni spiritum aliquem, qui cum vrinis exit, & bullas facit.

XXXV

QVibus insidens pingue, ac simul totum, iis renum vitium acutum significatur.

SIue alui excremētum, siue vrina pinguis fuerit, colliquatione adipis fit, non magis in renibus, quàm in toto corpore existentis: quare neque omnino morbi renalis est signum, sed commune omnis adipis ab igneo calore colliquati. Aut igitur ita audiendū est, sicuti in ĳs de quorum vitio renali non ambigitur, non passionis genus, sed acutiem dignoscente ac prædicente in hoc aphorismo Hippocrate: vel pro verbo nephritica, quod significat vitium renum, scribendum est phrenitica: sicuti quidam scripsere expositores. Atqui neque hoc solius phrenitidis signum existit, neque simplicis, neque incendentis, sed cuiuscunque febris colliquātis. Quod vero totum simul, sermoni adiectum est, potest & breuitatem temporis significare, & nihilominus potest & loci. Quod enim adstrictum est, & in seipsum contractum, simul totum nominamus, contrarium existens distracto atque disperso. Hæc igitur vsque ad hoc etiam à nostris preceptoribus fuere interpretata. Quod vero mihi videt, iam dicam. Simul totū, sermoni adiectum, mihi videtur de tempore dictum, atque ideo adipis renum ostendere colliquationem. In alĳs enim partibus corporis adipes colliquati, paulatim, & nō vniuersim cum vrina exeunt, primum colliquatione participata à venis illi vicinis, deinde

ab ĳs quę continuantur, & rursus ab alĳs, donec ad renes perueniāt. Adipis vero circa renes colliquati transsūptio ad vrinas celerrima est, & non paulatim, sed simul tota fit, atque ideo in renibus ipsis dispositionem esse mōstratur: cui rei & experientiā inuenies, si diligentius animaduerteris, cōsentientem. Cum vero duplex scriptura sit, in quibusdam quidē exemplaribus epistasis, id est insidens, in quibusdam vero subsidens scribitur. Primam dicimus esse veriorē. Insidet enim semper quod pingue est, & nō subsidet. Et quidem prioris aphorismi dictioni magis cō sonat ista scriptura. In illa enim Hippocrates dixit: Quibuscunque autem in vrinis bullę insident, morbum renalem, & longum significant. Cōsentaneum igitur ei quod dixit insident, quod deinceps dictum est, Quibus insidēs pingue, & simul totum, ĳs renum vitium, & morbum esse acutum significatur.

XXXVI



Vibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidūt signa, doloresq; circa spinæ musculos fiunt, si quidem circa loca exteriora fiāt, abscessus quoque exterius futuros expecta. si vero dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abscessus expecta futuros interius.

IN prioribus quidē aphorismis signa docuit per quę renum vitia possemus dignoscere, in hoc vero de ĳs docet quos longo tempore scitur morbo renali laborasse, inquiens in ipsis futurum abcessum, dolore cū signis prædictis antea veniente, hoc est circa musculos, quos & spinæ musculos, & spinales medici nomināt. Duplex autem est horum musculorum genus: vnum quidem retro sub cute, totam spinā vtrinq; cōplectēs: alterū vero in partibus anterioribus, nō per totam spinam extensum, sed solum per partes ad lumbos attinentes. In vtris


autem horũ se firmauerit dolor, illic quoq; abscessum futurum expecta. Nunquid vero renibus ipsis suppuratis, aut solis musculis, aut aliquando vtrisq;, nondum præfiniuit: experientia vero hæc omnia fieri ostendit. nam & musculi soli nonnunquam hoc patiuntur, interiores scilicet, & anteriores, vel posteriores, & exteriores, & sine musculis renes, nonnunquam introrsum, nõnunquam extrorsum vergente in ipsis abscessu.


XXXVII

QVicunque euomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare: si vero cum febre, malum. Curare vero acerbis, & refrigerantibus.


VOmitus quidem fit ẽ gula & ventriculo, cum tussi autem expuitur ex aspera arteria atq; pulmone relata. Quidam vero huius libri expositores aiunt sub verbo euomunt, cõprehẽsos esse & illos qui ex aspera arteria atq; pulmone sanguinem educunt. Atqui salubrem esse hãc passionem, hoc est curari posse quando ægri non febricitauerint, haudquaquã verum. Si enim vel quãmaxime absq; febre ex pulmone cum tussi sanguinem emiserit, periculum imminet ne curatio fiat: & si perdurauerit casus, omnino postea febres succedent. Ob hoc igitur melius est vt audiamus verbum euomũt, in proprio accipi significato: considerare autẽ atq; distinguere & quod periculo vacat in ipso, & quod est cũ periculo ex febris pręsentia vel absentia. nã qui febre vacant, liquet nullam adesse inflammationem in loco vnde emittitur sanguis. Quare vel alicuius vasis ore adaperto fit sanguinis vomitus, vel cum vlcere quidem, sed sine inflammatione. Curantur autem quæ sunt absque inflammatione vlcera facile acerbis. Quęcunque vero cum inflammatione sunt ac febribus, nedum curari possint, neque in eadem possunt magnitudine permanere. semper enim maiora fiunt, ac maligniora.

XXXVIII


Iſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra viginti dies.



Entrem ſuperiorem nunc nominat qui à thorace prefinitur, quē pulmo obtinet: atq; ideo à capite diſtillatio fertur per aſperam arteriā. Suppuratur autem magna ex parte in viginti diebus, & nō (vt multi ſcribunt) in vigintiduobus. Sēper enim Hippocrates diē vigeſimū iudicatoriū facit, nō vigeſimūſecūdum, quēadmodū in libris de diebus iudicatorijs oſtēdit.

XXXIX


I quis ſanguinem minxerit & grumos, & ſtillicidio vrinæ laboret, & dolor inciderit in femur & imum ventrem, pectinemq;: quæ circa veſicam, male ſe habere ſignificatur.


N omnibus ferè exēplaribus hic aphoriſmus ſcriptus eſt: eximere autē oportet propter alterū qui prius eſt dictus, quem nos expoſuimus in quarto horum cōmentariorum per hæc verba ſcriptū: Si ſanguinem mingat ac grumos, & vrinæ ſtillicidio laboret, & dolor inciderit in imum ventrem & pectinem: quæ ſunt circa veſicam, male ſe habent. In propoſito autem aphoriſmo eſt vltima ſcriptura duplex, vna quæ antea ſcripta fuit: altera talis, Veſicam male ſe habere ſignificatur.


XL



I lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupore elanguit, tale eſt melancholicum.


Ncontinentem quidē nominat linguā quæ infirma eſt, ita vt non poſſit integre dearticulare vocem, aut immobilē, & omnino reſolutam: ſtupore autem elanguēs, aliquid corporis quod reſolutū eſt.

Cur vero hæc repentē facta, dicat esse melancholica, ignoro. Melancholię enim in cuius nomine omnes græci consentiunt, recte ab ipso talia indicia sunt dicta.


XLI


I timor atq; mœstitia longo tempore hominem habentes perseuerauerint, tale est melancholicum.



Liter autē & melancholicas dicemus esse passiones, cancros, elephantes, adhuc autē scabies, & lepras, & vitiligines nigras. Sed neq; vllam aliquam talium passionū, neq; illam quę ab omnibus nominatur melancholia, linguę incontinētia videt̄ antecedēte, sicuti neq; alicuius partis stupor. Quare superest vt dicamus quòd quemadmodū quartanii circuitus causa est humor melancholicus, sic & dictarum passionum, & linguę intēperaturę, & partis resolutionis: & fieri quòd propter humoris crassitudinem tales passiones consequātur quales ex crassa & lenta eueniunt pituita. Nō igitur dicēmus simpliciter vtrunq; dictorū esse melancholicū, sicuti neq; pituitosum simpliciter, sed pituitosum simul & melācholicum. Additū autē est sermoni aduerbium repente, propter mala quæ paulatim fiunt, sicuti ex inflāmationē duritiem admittente, & intēperatura difficulter solubili.

XLII


I senioribus supra modū purgatis, singultus superuenerit, non bonum.


Ommunis est hic sermo secundum vtrunq;, & quatenus omnibus supra modum purgatis nō est bonus singult9, & quatenus seniorib9 omnia mala peiora fiunt propter ætatis imbecillitatem.

XLIII


I febris nō ex bile habeat, multa aqua calida capiti superinfusa, solutio fit febris.


EX hoc sermone manifeste declarat nõ omnes febres ex bile fieri. Ostendit autem quòd reliquæ omnes exceptis ĳs quæ ex bile factę sunt, aqua multa capiti superinfusa soluũtur. Secũdum hunc sermonem igitur in primo libro Epidemiarum de Melitone scripsit: Balneis vsus supra caput. Febres siquidẽ quæ ab exustione ac frigiditate factæ sunt, à talibus balneis vtilitatẽ sentiunt, & nihilominus quæ ex lassitudinibus fiunt, nihilominus & quę propter foraminum angustationem, siue propter obstructionẽ, siue ob clausuram fuerint angustata. Respicere siquidem per ipsa oportet & dissolui calorem febrilẽ. Non tamẽ vbi inflãmatio aliqua, aut absq; inflammatiõe humoris putredo igneum calorem accẽderit, balneę vtiles sunt antequã noxĳ humores euacuentur aut cõcoquãtur. Verum tales morbos, aut laterũ inflãmationes, aut pulmonis, aut hepatis, aut lienis, antiqui nominabãt, volẽtes febrem nõ esse morbum ipsum, sed casum morbi. In quibus autẽ sine partis inflãmatione, qui in venis putrent humores, febrem accendunt: in illis solis dicebant hominem à febre molestari, & ipsum à febre haberi. In illis autem & febrium scripsere differentias, Hepialon, & Lipyrian, Eloden, & Typhoden, pestilentem, & ardorem nominãtes. Hepaticam autem febrem, vel lienosam, aut pulmoniam, aut lateralẽ nemo dixit, adeò quòd nũc sermo ab Hippocrate habetur de febribus ipsis quæ sunt absque partium inflãmatione. In diuersis vero exemplaribus non aqua, sed sudor scribitur, talem habente scriptura intellectum: Si febris non ex bile habeat, multus sudor à capite defluens febrem soluit. nõ ex solo capite sudorem fundi dicente Hippocrate, sed à prima parte quæ subĳcitur oculis, de toto mõstrante corpore. Quantũ igitur ad hanc scripturam attinet, ĳ qui ex bile febricitant, à talibus sudoribus nihil iuuabuntur. Atqui sæpius manifeste soluuntur & aliæ plurimę febres, & in quibus flaua bilis plurima est, Tertianę, & Ardores. Verior igitur est prima scriptura, quæ veram docet curationem earũ febrium quæ ex dicto genere sunt, quæ videlicet vel ob lassitudi-

nes, vel exustiones, vel refrigerationes, vel omnino cutis fiũt angustationes. Quod autem à bile dicitur, & de rufa, & de atra bile intelligi potest: non tamen in his solis ostendebamus, sed & ob pituitam putrescentem fieri febrem. & in hac sola videbitur aphorismus nõ esse verus, nisi quis existimauerit pituitæ putrefactionem in humorem biliosum conuerti.

XLIIII



Vlier ambidextera non fit.



Mbidexterũ Euripides nominat ferrum vtrinque incidens: circũdextrum autem Homerus Asteropęum ambabus manibus similiter vtẽtem: ac si vtrinque dextrum dixisset. Eodem modo ambilæuũ Aristophanes ἐν τῷ γυνὴ τὶσ vtrinque sinistrum. Hypponax ambidextrũ dixit in hoc versu: Ambidexter enim sum, & non aberrans. Homines itaque qui ambabus manibus pro dextris vtuntur, sępius visi sunt, mulier vero nulla ad hũc vsque diem, ob naturę imbecillitatem. Si enim ambabus manibus ob neruorũ robur ac mũsculorũ quidam viri vtuntur, rationabiliter nulla mulier vtetur: quę satis habeat, si sola dextra modice vtatur. Amazonidas quidem ipse inquit mãmam dextram exurere vt plurimo alimento ad manum vicinam prouenientem, ei maior adsit vigor, vt quæ & ipsa sit natura debilis. Quidam tamen aiunt ambidextram dictam esse quæ parte vteri dextra genita sit. Et his adhuc magis à ratione alienum, aiunt de ĳs qui Hermaphroditi nominãtur, Hippocratem fuisse locutum, quòd mari quidem pudendum insit muliebre, mulieri vero virile minime.

XLV



Vicunq; suppurati vruntur vel secantur, si pus purum fluxerit & albũ, euadunt: si vero subcruentum & fęculentum ac fœtidum, pereunt.

SVppurationes consueuit nominare, non eas tãtum quæ sunt in thorace, sed in quauis alia parte ad pus alterata tubercula. Solos vero præcipue omnino suppuratos nominat, quibus inter thoracem atque pulmonem aceruatum est pus: quos vrere consuetos esse veteres, discere licet ex ĳs quæ dixit Plato comicus de Cinesia, hisce verbis: Post hęc cõcionatus fili9 Euagoræ, ex morbo laterali Cinesias aridus puris expers, calamacea gerens crura tabis procera plurimas inustus eschatas ab Euriphonte in corpore. Quòd quidem pus albũ, bonũ sit: fęculentum vero & fœtidũ, malũ: nemo ignorat.

XLVI

QVorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit & album, euadunt. in tunica enim his pus cõtinetur. si vero qualis amurca fluat, pereunt.

IPse causam dixit ob quam nonnulli pereunt qui ita se habent, nonnulli vero euadũt. Quib9 enim in tunica est pus, nihil patiente substantia hepatis, saluantur omnes. quibus vero vsque ad carnem hepatis corruptio pertingit, non absque rõne moriũtur. Quòd autẽ ἀμόργην. i. amurcam, græci nominent fęcem olei, & quòd talem par est esse incoctam putredinem hepatis, liquet vnicuique.

XLVII

DOlores oculorũ, post meri potionem, & aquæ calidę balneum, venæ sectione curato.

HIc aphorismus mihi videtur ex ĳs vnus esse qui fuere interiecti, non cõsentiẽs vni ex illis qui antea scripti fuerunt, huic scilicet: Dolorem oculorum, meri potio, balneum, vel fomẽtum, vel venę sectio aut medicamentum soluit. Hunc itaque aphorismum in sexto exposui cõmentario, ostensis dispositionibus in qui-

bus oporteat singula ad vsum afferre remedia. Proposit9 vero aphorismus in vna vult dispositione tribus vti remedijs. Si quis igitur nos sciat docere dispositionem in qua tria hęc remedia conueniant, ei habebimus gratias. Quousque vero exposuerint aphorismum quasi legitimũ, nos vero non docuerint quænam sit dispositio, eorum expositionibus nullam præstabimus fidem, & si parum sit probabile. Quæ igitur dicunt qui omnino aliquid conantur dicere, sunt huiuscemodi. In quib9 crassum est id quod superabũdat, atque ideo euacuatione indiget, melius putãt fundere prius, deinde secare venã. Fusile autem fiet si ęgri vinum biberint, & se balneauerint. Qui vero hæc aiunt, quòd nunquam experientia nouerint illa quæ dicũt, sciũt in artis operib9 exercitati. Neque enim vinum neque balneum tolerat plethorica dispositio absque maximo detrimento. Verum hæc auxilia sunt sanguinis crassi in aliqua parte compacti sine totius corporis repletione. Sic igitur Asclepiades vtitur vino post toti9 corporis euacuationem, pro remedio extentionum. Si vero adsit in toto corpore plenitudo, prius dirumpentur oculorum tunicę inter bibẽdum atque lauãdum. Quare si absque multitudine dolor fiat propter obstructionem ac compactionem crassi sanguinis, recte quidẽ lauabũt, & vinũ dabũt, non recte autẽ secabunt venã. Si vero multitudo fuerit, recte quidẽ venę vtẽtur sectione, non recte autem lauabũt & vinũ dabũt.

XLVIII

AQua intercutem laborãs si a tussi habeatur, desperatus est.

ET hoc prius dictum est ab ipso in hoc aphorismo: Aqua intercutem laborantibus si tussis superueniat, malum.

XLIX

VRinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, & venę sectio soluit. incidere autem interiores.

QVód quidem vrinæ stillicidium significet vrinæ stillatim expressionem, nomen ipsum ostēdit. Mingendi autem difficultas potest & quæ cum dolore fit mictio dici, potest autem & quę cum difficultate aliqua, adeò quòd vix vesica operetur. Vrinæ autem stillicidium, ipsius vrinæ acritudo facit, & potētię retentiuę in vesica imbecillitas, quę ob intemperaturam fit, præsertim frigidam. Vrinæ vero difficultatem, si quidem cum dolore fuerit, inflāmatio, & abscessus, & vlceratio, & inæqualis intemperatura, & spiritus flatuosus. Si vero motus difficilis aliquis, vel potentię imbecillitas, vel tumor contra naturam, ex omnibus hisce dispositionib9 frigiditatē quidē vini potio soluit, hoc est vel simpliciter vini potio, vel meracioris: & quidem talem inflammationem quæ propter obstructionem sanguinis crassioris citra multitudinem facta fuit. Illam vero quæ cum multitudine fit inflammationem, adhuc autem & aliam quæ sine defectu est, & cum potentiæ robore, venę sectio sanat. De eo autem quod dicitur incidere venas interiores, dictum est à me & in libro præcedente, in quo hunc aphorismum exposui: Vrinæ stillicidium venæ sectio soluit: incidere autem interiores.

L

AB angina habito tumor & rubor in pectore superueniēs, bonum: extra enim vertitur morbus.

ET hic aphorism9 antea dictus est per hęc verba: Ab angina habito tumorem fieri in parte colli anteriore, bonum. Exposui vero in quarto horū commētariorum. Hic igitur videtur fuisse interiectus, volente aliquo adiungere: Extra enim conuertitur morbus.

LI

QVibus cerebrum sphacelatum, id est corruptum est, in trib9 diebus pereūt: si vero hos euaserint, sani fiunt.

SPhacelare ossa sæpius dixit in libro de articulis pro corrumpere, vtens eo verbo. Hic vero non cõtingit cerebri audire corruptionem, cũ adiectum sit: Si vero has effugerint, sani fiunt. Si enim sphacelus est corruptio substãtiæ vniuscuiusque partis quę sphacelari dicitur, non contingit hunc qui ita ęgrotet, persanari. Ne forte igitur aliquando abutãtur hoc verbo ad significandum huius dispositionis inceptionem, cum nondum completa est. Talia enim quædam etiam carnosis partib9 in gangrenis accidunt, passione ob magnitudinem inflãmationis insensibilitatem quandam, atque nigritiem, aut omnino morticinum colorem afferente parti patienti: dicẽtibus quidem nobis illos qui in passionem incidunt, ad gangrenam ire. Sicuti igitur gangrenam iam ita completam, vt pars sit intermortua, sanare est impossibile: dum vero adhuc fit, possibile est: sic & sphacelum, & quidem carnosæ partis morticinium, quę prouenit ex magnitudine inflãmationis, quam proprie medici gangrenam nominant. hanc etiam Græci sphacelum appellabant. sic igitur mihi videtur & Herodotus dixisse coxam Cambysis sphacelari. Sed & cerebrum ita quispiam diceret sphacelari tantũmodo. Et quidem propter quod velox sit in ipso mors, manifestum, tanquam passione partis principalissimæ grauissima existente. Quòd si ægri mors in trib9 primis diebus non anticipauerit, sed ad diem quartum peruenerit æger, sperandum est morbum declinare, & vires esse fortes, ita quòd ipsum omnino peruincunt.

LII

STernutamentum fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato eo quod in capite inani. Aer enim intus contentus extra erũpit. Sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus.

TAles sermones duo significant, vnum quidem in omni re proposita vniuersaliter dictum, vel

ti hoc in loco de sternutamentis, alterum particulatim, veluti hic de sternutamentis ex cerebro factis. Primus igitur sermo talis erit: Omne sternutamentum fit ex cerebro calefacto, vel humectato eo quod est in capite inani. Secundus vero: Sternutamentum ex capite eueniens fit cerebro calefacto, vel humectato capitis inani. quod verius existit. Non eñ omnis sternutatio fit calefacto cerebro, vel humectato in capite inani. Pennis igitur quidã nares irritantes sternutãt. Sed & cum tussi spiritus desubter veniens ad naris meatus, causa fit sternutamenti. Præterea opinari solum aerem qui ex capite excernitur, esse quod sonat, est manifeste falsum. Nã liquido apparet de subter ex pulmone elatus aer vniuersim se comprimente thorace. Sed & antecedẽte inspiratiõe fieri sternutamẽtum, natura aggregante aeris copiam ad sternutamenti generationem, ĳs quæ dicta sunt, adstipulatur. Solum itaque illud quod habet suæ generationis principium naturam appetentem flatuosum spiritum ex capite excernere, hoc modo fit, quem docere aggreditur aphorismus, neq; forte hũc oẽm. nam quod ait humectato, supfluum est ad sternutamenti generationem. Si enim & aliquis humor in capite superabundat, non facit sternutamentum, nisi in ventum conuertatur. & hoc manifeste videtur in multis qui copiam humoris per nares excernunt, & tamen propterea non necessario sternutant. Soli enim illi sternutant qui ita affecti sunt, quib9 mordax est ea que à capite fluit humiditas, ceu si quid mordax narib9 imponas. sicuti eñ tussis casus quidam naturalis est ad expurgandas eas quę sunt in pulmone asperas arterias, sic sternutamentum manifeste videtur expurgare narium meatus. Duplici autem existente ipsa perforatione, lata quidẽ ad os, sed per meatus tenuiores ad cerebrum: quæ quidem est ad os perforatio, ab eo qui desubter spiritu effertur: qui vero ad cerebrum meatus pertingũt, ab illo qui ab ipso prodit, expurgantur. Et si diligenter aduerteris, videbis sternutamenta quæ ex capite motus habent initium, leuare caput. Fiunt enim & rarefactis ĳs qui sunt in capite humoribus, & na-

turæ impetu excretis. Rarefieri vero ipsis accidit concalefactis. Calefiunt autem natiuo calore excitato, ob cui9 imbecillitatem prius erant superfluitates aggregatæ. Cum igitur ait, Calefacto eo quod est in capite inani : maxime quidem audiendum est de eo quod est in ventriculis cerebri : adhuc autem & de illo quod ipsum ambit exteri9. facile enim est & illi per cerebrum primum quidem ad ipsos vētriculos, hinc vero subire ad nares. Quia vero vniuersim excidit, sonitum edi Hippocrates inquit. Est autē commune hoc, vndecunque venerit, siue ex pulmone elatus, siue ex capite deorsum actus.

LIII

Quicunque hepar circumdolent, iis febris superueniens soluit dolorem.

Verbum superueniens, indicio est quòd prius cū circundolebant ipsi, non febricitabant. Si igitur hepar vehementer dolebat vel propter fortem inflammationem, vel propter spiritum flatuosum, non aderat autem ipsis inflammatio, alioqui omnino febricitassent: par igitur est quòd flatuosus spiritus sit causa doloris in ipsis. Dolet igitur hepar & propter obstructionē, verum mediocriter, & cum quodam ponderis sensu potius quàm vehementis doloris. Dolor autem vehemens propter flatuosum spiritum, vel inflammationem, quę scilicet maxima est aut suppurata, accidit.

LIIII

Quibus a venis sanguinem mittere cōfert, iis vere venam oportet secare.

Hic aphorismus pars est eius qui prius dictus fuit in hæc verba: Quib9 medicamentum epotum, vel venæ sectio confert, ħs vere secare venam, vel purgare medicamento opus est. In quibusdā vero exemplaribus non est scriptus omnino : & quidam libri expositores ipsum sciunt, bis'que ipsum scribunt. Nonnulli vero neque omnino meminere. Mirari vero de illis opor-

tet qui non modo bis eundem scribunt aphorismum, verum & in eisdem commentarijs expositiones apponunt, nulla facta significatiōe quòd ijs qui antea scripti fuerūt, quidam sunt ex toto ijdem, quidam vero ex parte, cuiusmodi hic est. Quid igitur visum fuit vel ijs qui hos adiecere aphorismos circa finem libri, vel ipsi Hippocrati bis de eisdem facere mentionem, & quibusdam expositoribus geminam facere expositionem, deos testor me non posse cōiectari. Neque enim verisimile fit ipsum scriptorem aphorismorum tantarum rerum obliuione fuisse correptum, quando præsertim talis fuerit, qualem fuisse Hippocratem nouimus: neque illorum qui apposuerūt, vel tātum obliuium, aut aliquam aliam malignitatem possumus excogitare, qua moti de eisdem scribere non dubitauerint. Adhuc autem & magis de illis liceat admirari expositoribus, qui cum bis eosdem exposuerint aphorismos, neque hocipsum adiecerunt, quòd secūdam faciūt expositionem: & adhuc multo magis de illis qui differentes scripsere expositiones, & in ijs qui circa finem, & in illis qui per initia de eisdem sunt dicti.

LIIII

QVibus inter ventriculum & septum pituita reposita est, & dolorem affert non habens exitum neque ad alterum ventrem: iis per venas ad vesicam pituita versa, soluitur morbus.

NOn absque ratione mihi videtur dubitare Marinus, impossibile existimans inter septum & vētrem pituitam constitui. Defluet enim deorsum vsque ad ossa pubis. Neque tamen fieri posse arbitratur vt trajciatur ad venas, sicuti in aqua intercutem tenuis & aquosus humor trāssumptus excernitur per vrinas. Quare audiendum esse inquit quod dicitur inter septum & ventrem, pro eo quod est inter septi corpus carnosum, & interioris membranæ abdominis verticem. Verum & si

ita audierim9 o Marine, transsumptionem ad venas simi liter facilem esse nō est possibile. Nam huic ad renes peruenire per venas, neque ex eo spatio quod est sub membrana abdominis interiore, est impossibile. Adde quòd omnino impropria est ei9 quę est secūdum vētrem appellationis abusio. Nihil enim est simile ventri & membranę abdominis interiori, cuius gratia eandem participent appellationem. Melius igitur ita audire, sicuti omnes audierunt, illud spatium laxius ab eo dici, quod est quidem infra septum, sed intra eam mēbranę abdominis interioris partem que ad epigastrium attinet. Et considerādum, si possibile est illud quod dicit, noscentib9 nobis quòd viā semper materiebus inuenire naturam Hippocrates opinatur, quando valida fuerit: & si illę sint crassiores, & per angusta foramina debeant permeare, quando & per ossa fieri inquit abscessus. Videmus autem & humorem illum qui est inter thoracem atque pulmonem, in suppuratis expui cum tussi: nonnunquam vero & per cutem sanam existentem excidere sanguinem in ossibus quę fracta occalluerunt. Non igitur neque in ea de qua nūc Hippocrates dixit pituita, omnino impossibile oportet arbitrari fieri ad vrinas transsumptionem. Verum & hoc ipm agi à natura contingit paulatim pituitam extenuante, quemadmodum pus in suppuratis.

LVI



Q**Vibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, iis venter aqua repletur, & moriuntur.**

APtissimum hepar est hydatidas, id est vesicas aqua plenas, in ea quæ ipsum ambit exterius membrana generare. Videtur itaque & in iugulatis aīalibus aliquādo plenū. Si aliqñ cōtingat vesicas aquosas rumpi, effunditur aqua ad locum mēbranæ abdominis interioris epigastrio, hoc est parti supra vētrem positę respondentem; in quo etiam aqua hydropicorum congregatur. Ad omentum autem nō potest aqua efflue-

ᛅ Epigastrion qd?

re, nisi aliquo modo ipsum exedatur. est enim solidum & firmum vndiquaque, ita quòd nihil in ipsum ex aliqua parte possit incidere, nisi ex ventriculo, colo, intestino, ac liene, illisque partibus vnde ipsum enascitur. Vel igitur vult omentum exedi, in partibus scilicet dextris ipsius, secundum quas est hepati vicinum: vel ad omentum audire oportet, hoc est ad ipsius locum. Ventrem autem aqua impleri, non de illo vētre dictum est, in quo cibi recipiūtur, sed de tota cauitate quę est infra thoracem: secūdum quod significatum, ventrosi nominantur, & mulieres dicuntur gestare ventrem. Mori autem eos quibus in hoc loco aqua colligitur, considerādum an perpetuo sit verum, án magna ex parte. Seruantur enim & quidam aqua intercutem laborātes, quanuis & hic locus ipsis aqua repleatur. Sed neque impossibile est, sicuti in illis & per medicamenta purgātia aquositates, & pręterea per epithemata, hoc est impositiones eorum quę vim habēt ciendi vrinam, & in vapores soluēdi humorem talem, ita & in his fieri curationem.

LVII

Alyce.i.anxitudo, oscitatio, horror, vinum ęquale ęquali potum, soluit ægritudinem.

Solœcophanes visa est quibusdam rationabiliter figura sermonis, atque ideo nōnulli casu accusatiuo scripsere: Anxitudinem, horrorē, vinū ęquale ęquali soluit. Nihil autem refert ad pręsens vtrauis scriptura aphorismus exponatur. Primum enim illud sciri oportet, quòd alycen nominauit, quam multi græci halen appellant: deinde & quę sit faciens hunc casum dispositio. Dicunt igitur alyein, id est anxitudinem habere illos sanos, qui semper pręsentibus molestantur, & ab vno negocio atque actione ad aliud transeunt. Eodem modo & ægros illos anxios esse áiūt qui accubitum non perferētes, figuras euariant, quia semper pręsens aggrauat eos. Hoc vero pręcipue illis euenire consueuit, quibus in ore vētri-

culi (quod nos abutentes vocabulo, sæpe solemus stomachum nominare) humoris aliqua propria qualitas continetur, ventriculo molesta, quæ neque plurima est, neque in ventriculi fluitat cauitate, sed eam ipsæ imbibere tunicæ. Sed & oscitare, sicuti & pandiculari, contēta aliqua in musculis per quos tales fiunt motus quos pandiculationes & oscitationes nominamus, vel humiditate flatuosa, vel spiritu vaporoso, fieri est à nobis demonstratum. Horror autem prauis humoribus per cutem currentibus accidit. Liquet autem quòd nunc à nobis habetur sermo de horrore qui ex corpore ꝓuenit insalubri, & nō de illo qui causam extrinsecus habet. Singula igitur hæc quæ dicta sunt, potus vini meracioris sanat. Moderatam autem temperaturam ipse mōstrauit inquiens: Vinum æquale ęquali potum. Aqua enim videlicet vult vinum ęqua portione temperari, vt hæc quidem pellat & euacuet ex materia infestante quicquid cesserit vini motui cum impetu lati, reliquum temperet. Calefacit enim vinum, vt nouimus, corpus totum, & cito mouetur ad omnes partes, cū hoc quòd omnes humores optimos reddit.

Vini potentia.

LVIII



Quibus in vrinario meatu tubercula fiunt, iis suppuratione facta & eruptione, soluitur dolor.




ET hunc aphorismum in pręcedentibus Hippocrates scripsit, nos autē exposuimus per hęc verba scriptum: Quibus in vrinario meatu tubercula fiunt, ijs suppuratione facta & eruptione, solutio.

LIX



Quibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.



ETiam in hoc aphorismo in quibusdam exemplaribus possumus inuenire verbū mutos, scriptum in numero plurali, casu accusatiuo: in qui-

busdam vero, mutum in numero singulari, per modũ figuræ solœcophanis. Nihil autem hoc loco ad præsentia refert, si modo nouerimus quòd cõsuetudo est Hippocrati ab vno accidente notissimo, sępius scilicet à vocis amissione, nominare & ostendere illos qui nullum alium motum seruant secũdum electionem, vel nihil omnino sentiunt. Iacent autem eodem modo quo apoplectici, sine sensu pariter & motu. Fit autem hoc & propter alias causas: nunc vero concussionis cerebri Hippocrates meminit, & hanc ipsam talem fore ait totius corporis dispositionem. Concuti autem hoc modo cerebrum cõtingit propter aliquẽ casum totius corporis violẽtum ex locis altioribus factũ. Tales enim casus solẽt in spinę vertebris facere concussionem, quando ipsarum harmonię fuerint commotę, spinalis vero medulla quę in earum cauitate cõtinetur, laborauerit, cerebrum vero valde cõcussum periculum adduxerit ne aliquis neruus eorum qui ab ipso nascuntur, abrumpatur: quod non minus & in ipso fit cerebro, & tãto magis, quanto plus vacui loca habent quæ ipsum circũstant: quod etiam vacuum magis est in senibus, quẽadmodum in tractationibus de sectionibus diximus. Contrahitur autem vis animalis in seipsam in talibus dispositionibus à motu periculoso molestata: orta vero nonnulla quidẽ sufficienter tenduntur, quędam vero ex parte distrahuntur. Iuxta hoc donec se rursus vis animalis collegerit, mutum atq; immobile totum iacet quod ita afficitur animal. Si vero cerebrum conuelli contigerit, aut secũdum aliquam eius partem conuelli: qui ita patiuntur, non referuntur.

LX



Orporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit. fames enim corpora siccat.



Vòd quidem omnia quę exsiccant, sint passionum humidarũ remedia, manifestum. liquidẽ contraria contrariorũ remedia sunt. Quòd autem & fames ex accidenti corpora exsiccat, est minime

Famẽ siccare corpa

dubiũ. Si enim aliquid defluit à corpore, ſicuti & antea, non amplius autem ab alimento ſuppleatur id quod rue-rit euacuatum, neceſſariũ eſt hoc modo corpus effici ſic-cius. Liquet enim quòd in animalis corpore prius illę partes abſumuntur quęcunq; ſunt humidiores, quãdo & ipſe defluxus idcirco fit, quia quæ ſunt in corpore, extenuãtur, atq; in vapores reſoluũtur. Id'q; ex duplici cauſa: extrinſecus quidem ab aere ambiente: intus vero à calore natiuo. Quæ autem in latibulis iacent animalia, vt quæ neq; extrinſecus calefiãt, & neq; intrinſec9, vel nihil vel parũ diſſoluuntur, atq; ideo nonnulla eorum neq; egent alimẽto, nõnulla vero pauciſſimo omnino. ¶Poſt præſcriptos aphoriſmos alij duo ferè in omnibus exemplaribus inueniuntur, cum hoc quòd & huius libri expoſitores ferè omnes eorum meminere, & quidam differẽtes fecere expoſitiones ab illis quas antea ſcripſerunt, neq; hocipſum adiecerunt quòd ijdem aphoriſmi ſuperius ſint ſcripti. Nos vero in quarto cõmentario illos expoſuimus, parũ verbis differentes. Alter enim eorum qui nunc ſcripti ſunt, ſuperfluo adiectum habet, Vt deuorare nõ poſſit, ſed vix. Alter vero cõtra vacat verbo vix: vt prior quidem ſit talis: Si à febre habito, tumore non exiſtente, in faucibus ſtrangulatio repẽte ſuperueniat, & nõ poſſit deuorare niſi vix, lethale. Secũdus vero ſic: Si à febre habito collũ cõuertatur, & deuorare nõ poſſit: tumore nõ exiſtẽte in collo, lethale. Priores vero quos dixi in quarto horum cõmentariorum fuiſſe expoſitos, ita ſe habebant: Si à febre habito tumore nõ exiſtente, in faucibus ſtrangulatio repente ſuperueniat, lethale. Deinde qui deinceps ſequitur: Si à febre habito collum conuertatur, & vix poſſit deuorare; tumore non exiſtente in collo, lethale. Quod igitur in priore aphoriſmo eſſe dictum eſt, ſuperfluere nunc conſideremus. Etenim id fieri vidimus vbi ęgri omnino exitialiter à morbo haberentur. Quare ſiue nullo modo poſſint deuorare, ſiue vix, non exiſtẽte tumore in faucibus: (nã hoc licet perſpicuo cognoſcere, ſi plurimum os aperiatur, & lingua verſus mandibulam inferiorem prematur) in tali inquã con-

stitutione, quòd difficulter deuoretur, causam esse suspicã dum cõmunionem tunicę quę subnata est ex partibus gulæ & gutturis interioribus. Nam ostensum est hanc cibo os permeante, ipsam quidem trahi inferius, guttur vero totum retrahi superius. Tumescente igitur in gutture inflammatione, nonnunquã quidem nullo modo, quãdoq; vero vix ventriculum sequitur attrahẽtem, atq; ob hanc causam vel nullo modo deuorat, vel vix.


LX



VBi in toto corpore mutationes, & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut colorem alium ex alio cõmutat, longitudo morbi significatur.

ET hunc aphorismum in quarto cõmentario exposuimus, ĩjsdem ferẽ verbis scriptum, quibus & hic. Est enim scriptura talis: Et vbi in toto corpore mutatiões, & si corpus frigescat, vel rursus calescat, & si alius ex alio color fiat, morbi longitudo significatur.

LXII



SVdor multus calidus vel frigidus semper fluens, humorem abduci, robusto quidem supra, debili vero infra, significat.

ANtea alium aphorismũ in quarto horum commentariorum exposuimus hoc modo scriptũ: Sudor multus calidus vel frigidus semper fluens, frigidus maiorem, calidus minorem morbum significat. Et talium sudorum diximus esse dispositionẽ, multitudinem humiditatis quæ in ægri corpore cõtinetur. Propterea igitur qui nũc proponitur aphorismus, abduci precipit superfluum humorem, robustis quidẽ supra, hoc est per vomitus: debilibus autem infra, quod & ipsum significat per alui inferioris subductionem. Quòd quidem igitur semper sit necessarium superfluas corporis humidita-

tes euacuare, manifestum. Si vero robustis supra tãtum, debilibus vero infra, mihi dignum videtur animaduersione. nam forte sit melius, non hac ratione distinguere remediorum vsum, sed veluti in tractatione curatiua de talibus omnibus fuit à nobis distinctum. Quare & hunc aphorismum arbitror fuisse adscriptũ. Post suprascriptos aphorismos, alĳ tres inueniuntur in pluribus exemplaribus, qui pariter & ab expositoribus scripti sunt, & parum verbis euariant ab illis qui in quarto horum cõmentariorum habentur. Scribũt autẽ eos hoc modo: Febres quæcunque non intermittẽtes, tertia die fortiores, fiũt periculosę: quocunque autem modo intermiserint, significant quòd non sunt periculosę. Quibuscunq; febres lõgę, ĳs vel tubercula, vel ad articulos dolores decumbũt. Quibuscunq; tubercula diutina, aut in articulos dolores ex febre decũbũt, ĳ cibo pleniore vtuntur. ¶ Liquet autem quòd & hi interiecti fuerunt, à prioribus nihil aut parum admodum verbis differentes: nos vero ipsos exposuimus in quarto horum commentariorum.

LXIII

SI quis cibum febricitanti dederit: vt sano robur, sic laboranti morbus.

SCribitur autem & sic aphorismus: Si quis febricitanti cibum dederit, sano quidẽ cibus est, laboranti vero morbus. Vtraq; vero locutio ab ea quæ secũdum naturam, ad hoc quod cacozelum nominant, interpretatione recessit: nescio quid sibi volentibus illis qui ita libri finem tam varĳs modis disposuerunt, nõnulla quidem per eadem verba scribentes quibus ipse antea vsus erat, nonnulla vero paululum commutantes, aliqua vero tota interponentes, veluti hunc propositũ aphorismum, qui neq; prope accedit ad Hippocratis interpretationem. Ipse siquidem prius dixit: Non pura corpora quãto magis nutries, magis lœdes. Et si ex morbo cibum assumẽs aliquis non corroboratur, significat corpus pluri vti alimento. Si vero cibum non assumente hoc fiat, signi-

ficat quòd euacuatione indiget. & quædam alia huiusce-modi quæ germanã natiuamq; habet interpretationem. Qui vero propositum apposuit aphorismum, male ęmulando, in cibo dixit: Qui sano robur, hic laboranti morbus. Vult enim dicere cibum robur quidem in sanis efficere, nocere autem ægris: vel per Iouem, sanis quidẽ augere robur, morbum vero laborantibus. Absurde autem interpretatus est inquiens cibum ipsum robur esse sanis, morbum vero laborantibus: qui neq; robur est, sed roboris effectiuus: neq; morbus, sed morbi effectiuꝰ, vel quod rectius sit dicere, auctificus.

LXIIII

QVæ per vesicam excernũtur, inspicere oportet si talia qualia sanis excernuntur. Quæ igitur minime similia sunt his, hęc morbosiora. Quę vero sunt sanis similia, hæc minime morbosa.

OMnia quæ sunt sanis similia in toto corpore, dictum est ab Hippocrate & in Prognosticis & in omnibus aliįs libris, bonum aliquod significare: quæ vero dissimilia, contrarium. Hoc igitur nunc conatur dicere qui hunc composuit aphorismum. Suspicor enim neque hunc esse Hippocratis, ex ip̃a elocutione quæ non habet eandem cum Hippocratica formã, & ex dictis ipsis quæ non æque sunt vt ipsius authoris alia, exquisita. Cũ igitur inquit: Minime similia his, hęc morbosiora: quis non repręhenderet ipsum dicẽtem illa morbosiora, pro eo quòd morbosissima? Nam verbũ minime, cum quadam exuperantia dicitur, & multam significat ad id quod præter naturam, euersionem. Vnumquodq; enim quod præter naturã est, quãtum recessit ab eo quod secundum naturam, tantam habet prauitatem. Quæ igitur minime sunt ıȷs quæ secundum naturam, similia: sunt ıȷs quæ secundum naturam, contraria maxime, & ideo morbosissima.

ET quibus deiectiones si stare permiseris & non moueris, veluti strigmenta subsistūt: & si pauca, paucis est morbus: & si multa, multus: iis cōfert alui purgatio. quod si aluo nō purgata dederis sorbitiones, quāto plures dederis, tāto magis nocebis.

PEr aluum exeuntia solet Hippocrates deiectiones ac subductiones nominare: & propterea quidam hoc loco acceperunt eius sermonē esse de ĳs quę per aluum euacuantur. Verum his aduersantur verba illa quæ in sermone proponuntur, si stare permiseris, & non moueris. Hoc enim proprie cōuenit humidis, atq; ideo alĳ rursus in vrinis eundem accepere sermonē. Vtrique vero diuisi. nonnulli scribunt subsistunt, nonnulli vero insistūt. Neutrum vero horum verborum vrinis repugnat, quia & per ea quæ subsistunt, & etiam ipsis insistunt, consueuimus & pręsentium aliquod, & etiam futurorum cognoscere. In alui autem excrementis, verbum insistere, cōpetit magis. Neq; enim sicuti in vrinis prompta est atque expedita subsistentium cognitio, ita & in alui excrementis. In vrinis etenim & ipsum vas ex vitro factum ostendit eorum quæ subsistunt naturam: & si in alio vase etiam contineretur, possumus id quod superfluitat abĳcientes, sola subsistentia relinquere. In alui autem excremētis neutrum probabile. Rursus id quod deinceps dicitur, Veluti strigmēta: ĳs quæ per aluum excernūtur, congruit: illis vero quæ quouis modo vrinę inferuntur, siue superius, siue inferius, nō congruit. Nā quædā strigmētis similia per aluū sæpius excernūtur: & ita ea nō modo Hippocrates, sed etiā alĳ medici nominare consueuerūt, nō tamē in vrinis. Hic igitur tā nominū quā etiā verborū vsus improprius ostēdit fuisse interiectum in p̄sentē aphorismū. Adhuc autē magis cū dicit his cōferre aliā purga-

tionem. neque enim simpliciter, neque quouis modo illi cuius strigmentis similia alui excrementa sunt, confert aluum purgare: sicuti neque ij qui ita affecti sunt, necessario lœduntur in aliquo si cibum acceperint. Videmus si quidem cum alui inferioris excrementa biliosa fiunt, quędam similia strigmentis per aluum excerni, in quibus neque omnes lœduntur sorbitiones accipientes, neque prius eos purgare est necessarium, si iam quicquid bilis inest, fuerit euacuatũ. Adhuc autem magis neque si vrinis aliquid inferatur quod sit veluti strigmenta, purgare conuenit. Accedit ad hoc, quòd difficile est formam agnoscere qualem esse velit eorum quæ veluti strigmenta inferuntur vrinis. Verum qui hos aphorismos interposuerũt, mihi videntur ad hunc finem fecisse, vt sermonem cõfunderent tanquam ænigma quoddam, & vt multa indigeret inquisitione, in qua seipsos eorum quæ dicuntur expositores constituentes, apud adolescentes laudem assequerentur. Quòd autem omnes obscuri sermones dent sophistis garrulitatis occasionem, fiet tibi in hocipso aphorismo manifestum. Quidam enim eorum qui eum exposuere, aiunt non vetare Hippocratem quin dentur sorbitiones hoc modo affectis, sed plures sorbitiões, cum dicat: Quãto plura dederis, magis lœdes. quasi nõ etiã alij quicũque indigent sorbitionibus, non lœdãtur à pluribus, vel quasi non consequatur ad illum qui dicit: Quanto plura dederis, magis nocebis: putare ex paucioribus minorem fore lœsionem. Veruntamen propter malum interpretationis modum, sophistis datur facultas inueniendi solutiones, & magis quãdo licuerit addere aliquid vel adimere, & scribẽdo transponere: quod in obscuris sermonibus facere cõsueuerunt. Statim enim in hoc aphorismo quidam ipsum exponentes, coniunctionem &, abijcientes, quod alij sequentis aphorismi fecere principium, id huius fecere finẽ, vt sermo ita se habeat: Si vero aluo non purgata dederis sorbitionem, magis nocebis: & quibus infra cruda deijciuntur, quanto videlicet plura dederis, magis lœdes. deinde aliud initium facientes scribunt, quòd vbi atra bilis in-

est, si plus, maior est morbus: si minus, minor. Plures vero expositores scribunt eo modo quo subscriptum est: Quibuscunque cruda infra deijciũtur, atra bilis inest. si plura, maior: si pauciora, minor est morbus. Dictum autem est antea quod & alij quidam sunt. licitum est enim in obscuris vnicuique pro arbitrio scribere, cum nulla lex sit transscribentibus posita. Sæpius autem non propter obscuritatem, sed propter sermonis falsitatem cogũtur aliquid addere prius inuentis, aut adimere, aut scripturam transponere, veluti exempli gratia in hoc aphorismo, cuius verba primi expositores aphorismorum, sicuti Herophilus, Bacchius, & Heraclides, ac Zeuxius empirici, in hũc modum scripserunt: Quibuscunque inferius cruda deijciuntur, atræ bilis sunt: si plura, pluris: si pauciora, paucioris. Quia vero hic sermo particulare quoddã interpretatur, dictus autem est tanquam ex vniuersali, ideo prębuit dubitandi occasionem: quia id quod dicitur, quãtum ad verba attinet, nullam habet quæstionem, cum eorum scriptor velit ostendere quibus cruda deijciuntur, in eorum instrumentis quæ concoquendi vim habent, esse atram bilem, ex qua refrigerata deterius concoquunt: & modum incoctionis secundum cruditatem: cui flaua bilis contrarium agit. nam quæ propter eã incocta remanent, fumosa sunt. Quidam vero & hũc sermonem etiam de vrinis dictum arbitrantur.

LXVI

EXcreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, sanguineæ, biliosæ, & fœtidę, omnes malæ. Cum vero bene excernuntur, bonum est, & per ventrem, & per vesicam: & vbi aliquid secedens steterit non purgatum, malum.

ET hic aphorismus supra scriptus est, hoc modo: Excreationes in febribus non intermittẽtibus liuidæ, sanguineæ, fœtidæ, omnes malæ: sed si be-

ne excernuntur,bonũ eſt,& per aluum inferiorem,& per vrinas. Si vero aliquid per hæc loca excernitur quod non conducat,malum. Nos vero ipſum expoſuimus in quarto horum commentariorum.

LXVII

COrpora oportet vbi quis purgare voluerit, fluida facere: & ſi ſupra, ſiſtere aluum: ſi vero infra, humectare.

ET huius ſermonis pars prior fuit in præcedentibus ſcripta,non adiecto verbo ſupra, & ſequentibus,quę quiſpiam volens adijcere hoc in loco, rurſus ſcripſit aphoriſmum cũ expoſitione per quam verus eſſet. Quòd autem ſit altera expoſitio verior,quã nos multa experientia inueſtigauimus,dictum eſt ſuperius in quarto commentariorum.

LXVIII

SOmnus,vigilię,vtraque modum excedentia,morbus.

ET hic aphoriſmus in quibuſdam exemplaribus fuit interiectus,qui prius dictus eſt totus eiſdem verbis,prçterquam in fine. hic enim morbꝰ,illic autem malum ſcribitur,quę eſt ſcriptura melior.

LXIX

IN febribus non intermittentibus ſi exteriora frigent, interiora vruntur, & febris habeat,lethale.

ET hic aphoriſmus incaſſum ſcriptus eſt,cũ melius ſupra dicatur ſine verbis illis, & febris habeat. Nam cum in principio dixerit, in febribus non intermittentibus, vana rurſus in fine ſermonis adiectio, & febris habeat.

LXX


IN febre non intermittẽte ſi labrum,aut

nasus, aut oculus, aut supercilium peruertitur, si non videat, si non audiat, & iam debilis sit: quicquid horum fuerit, mors prope est.


T hic aphorismus antea dictus est, his verbis: In febre non intermittente, si labrum, aut nasus, aut ocul9, aut supercilium peruertitur, si non videat, si non audiat, & iam debilis sit: quicquid horum fuerit, mors prope est.


LXXI


Pituita alba, aqua intercutem superuenit.



Vod dicitur, tale est: Quibus in vasis & in totius corporis habitu pituita alba fuerit aceruata, ijs aqua intercutem (quæ leucophlegmatias ab alba pituita nomen habet apud græcos) superuenit.

LXXII


B alui profluuio, difficultas intestinorum.


Communi videlicet subaudire oportet, superuenit, abrasis paulatim intestinis, deinde in profundum malo subeunte, atque ita vlceratis. Pri9 vero in aphorismo legitimo melior scriptura est hoc modo: A sincera deiectione, difficultas intestinorum. & nos hũc aphorismum exposuimus in quarto horum cõmẽtariorũ.

LXXIII


Difficultate intestinorum, leuitas intestinorum superuenit.

T hic aphorismus est pars prius dicti, per hæc verba: Qui lienosi à difficultate intestinorũ corripiuntur, ijs superueniente longa difficultate intestinorum, aqua intercutem superuenit, aut leuitas intestinorum, & pereunt. Nos vero ipsum exposuimus in sexto horum commentariorum.

LXXIIII

A Corruptione, abscessus ossis.

A Communi hic quoque subaudiendum est superuenit. Vtrum vero ad ossis corruptionem, ipsius ossis sequatur abscessus, vel carnis circũstantis, nõ manifestauit. Vtrūque aũt potest esse verum.

LXXV

A Sanguinis vomitu, tabes, & puris purgatio supra.

IN tabe, fluxio ex capite: in fluxione, alui profluuium: in alui profluuio, adstrictio purgatiõis superioris: in astrictione mors. In plurib9 exemplaribus, & apud plures expositores scriptum est: In sanguinis vomitu corruptio. In quibusdam tamen exemplaribus hæc habetur scriptura: In vomitu sanguinis, tabes. Videntur autem & hęc ex pluribus Hippocraticis enunciationibus fuisse collecta, & corrupte composita, ab illis pręcipue aphorismis: In sputo sanguinis, puris sputũ, & fluxus: cum vero retinetur, moriuntur.

LXXVI

QValia fuerint vesicæ aut alui excrementa, & ex carnibus, & sicubi alibi a natura corpus exient, si parũ, paucus est morbus: si multum, multus: si valde multum, lethale est.

HIc vltimus aphorismus in multis exemplaribus scriptus est, in quibusdam vero & alĳ adiecti sunt, apparati eodem modo quo & illi omnes quos decurrimus ex legitimis existentes, adeò quòd nõnulli eisdem verbis scribuntur, nonnulli parum variantes, nonnulli parua facta adiectione similes sunt ĳs quos scripsit Hippocrates: quare nos neque ipsos duximus adĳciendos. nam neque hic statim proposit9 aliquid plus no-

bis ostendit ijs quę sępius Hippocrates manifestauit. Sed & modus interpretandi haudquaquam Hippocrati conuenit. Nam qualia vesicæ fuerint aut alui excrementa, redditione indigēt. Summa tamen (vt dixi) vera est. nam si paruus sit à natura exitus in quauis parte, minorem morbum: si vero plus, maiorem: si vero admodum multus sit à natura recessus, mortalem debemus morbum iudicare.

¶Finis Aphorismorum.

¶Prædictiones Hippocratis Coi, cum Claudij Galeni commentarijs in easdem, Laurentio Laurentiano Florentino interprete.

HIPPOCRAtis Coi prędictionum Liber primus Laurentio Laurentiano Florentino interprete.

Quàm sint necessariæ medicorum prędictiones. Caput primum.



EDICVM VTI prouidentia (vt mihi videtur) optimum est.

CLAVDII GALENI IN PRAEDICTIONES Hippocratis Liber primus, eodem Laurentiano interprete.



Ro præsensione, dixisse prouidentiam, perspicuum est. Igitur infert: Præsentiens enim & prædicens coram ægro. Cęterum prætexuit operi pręfationem, vtpote necessariam (quãquam non admodum vtatur præfationib9) ob quosdam medicos qui illius seculo extiterũt, & item nũc sunt, sese nominantes methodicos, medicorum officium haberi dicẽtes, aut præsentem conseruare sanitatem in bene valentibus, aut reuocare corruptam in ægrotantibus, vaticinationis vero interesse, præsentire futura. Itaq; docet Hippocrates ex pręfatione, quàm vsui medicorum pręsagia habeãtur, oratione in tria capita distracta. Aegri enim parent propensius, ac medicus pręsentiẽdo futura, de longinquo obuiã it: & demum crimine vacat internecionis. Porro voluit vt nihilominus salutis causa censeantur. Sed iam adĳciam9 dictionib9 ea ex quib9 singula capita adstruat.

II III

PRæſentiens enim & prædicens coram ægro præſentia, præterita & futura, quæque infirmi omittunt enarrās, creditur agnoſcere ægri conditionem. Hinc audent homines magis ſe concredere medico.

PRimum caput hac adſtruit oratione: audere dicens hoīes magis ſe concredere manibus medicorum, quoties prædictiones haudquaquam intercidant. Ita enim efficitur vt æger facile exiſtimet medicum agnoſcere conditionem ægri, id eſt quænam ſit natura morbi. Atque ad hunc modum ſequela texitur demonſtrationis: Ex prædictione exiſtimat æger medicum agnoſcere naturā ægrotatiōis. porro exiſtimās medicū agnoſcere naturā ægrotatiōis, ſe exhibet obſequētiorem: ac demū ſe exhibens obſequentiorem, morbo facilius vindicatur.

QVæque infirmi omittunt. Infirmi omittūt non quæ nullo periculo agnoſcūt: quemadmodum nonnulli interpretes inſcite prodiderunt, ſedes in profundo corporis perpeſſas, aut cauſas, & item affectiones earum: ſed ex cauſis, procatarcticas nomine, id eſt prægreſſas: ex accidentibus autem, ea quæ euidētia circa corpus ſunt, ac ſenſibus vſurpātur. verbi gratia: in pulmonia, maxilla rubicunda. nam quædam horum, infirmi dicere refugiunt. Ergo quæcunque talia per enarrationem infirmi nequaquam dixerūt; ſimul atq; audiuerint à medicis relata, eos optima ratione demiratur. Cæterum quonam modo id fieri cōueniat, procedēte ſermone docebo.

IIII

ITa curationē optime molieris, prænoſcendo futuras affectiones. fieri enim non poteſt vt omnes in ſanitatē ægri perducantur. id enim melius foret, quam præſentire futura.

SEcundam prædictionis vtilitatem hoc loco persequitur. Etenim vbi medicus agnoscit exquisita ratione affectionem ægri: quosdam prohibebit affectus qui per eam infestare assolent: quorundam prohibebit magnitudinem: omnibus vero in cōmune recte prospiciet & præcauebit, quemadmodum bonus gubernator per futuram tempestatem.

V VI VII

CVm homines intereāt, alii priusquam adhibeāt medicum, ex vi morbi: nonnulli adhibentes medicum, statim moriuntur: quidam diem viuentes vnum, aut paulo plus tēporis antequam medicus arte repugnet. Oportet igitur agnoscere talium naturam affectionum, quātum supra vires corporis sit: pariter & si quid in morbis diuinum habetur, illius quoque ediscere prouidentiam. Ita enim merito commendabitur, & fidus medicus erit.

HOc sermone, ad duo de prædictis capita in prædicendo vtilitatis præterea adstruens adiecit tertium: insontem abolitionis crimine fore medicū dicens, quoties conualituros aut morituros ægros pronunciet. Igitur adolescentem medicus quidam nuper incipiētem sudare ratione accidentis, demisit in balneū. tum autem sudoris copia effluente medicus gauisus est: tanquam scrutatus esset exquisite tempus. paulopost intermortuus æger magna necessariorum indignatione est. Hactenus fecimus præfationem enarrationis luce illustriorem, præterquam verbum diuinum, breuissimis. quod inquam enarrationis genus congruit ijs qui periti sunt circa principia, studentibus vtilitati commentariorum. Insuetis vero dictionibus authorum, aut sequelæ in orationibus ignaris, aut vtilissima contemnentibus, diuersantibus etiamnū in cauillis & argutiolis orationum, alius enarrationis mo-

dus proprius est, longioribus claudens. quem præterire omnem licebit vtilitati studentibus: in medio relinquentibus librum, dum ad eam veniamus dictionem cuius tale est initium: Considerari conuenit hûc in modum per morbos acutos.

Altera longior enarratio præfationis.


Edicum vti prouidentia (vt mihi videtur) optimum est. Non secundum communem authorum consuetudinem videtur Hippocrates vsurpasse prouidentię nomen. etenim curā & diligētiam ita appellant: queādmodum Euripides indicauit dicens: Hęc moriens tamē multum prouidit vt honeste caderet. Quinetiam verbum prouidere, per omnes modos infinitum multitudine est iuxta authorum intellectum, pro eo quod est curam gerere cuiusdam rei, & pręparare vtilia. Pręterea prouidentia mūdum gubernari, vulgata alioqui apud Philosophos & trita quæstio, eamipsam indicat significationem. At vero Hippocrates non ita: sed de præsensione prouidentiam dixit. Mihi vero videtur non simpliciter, sed à communi quadam significatione secūdum vtranque appellationem. Quòd enim videātur quędam antequam fiant, pręuidere apud Homerum, & item pręuidentiæ vocabulum factum est: & ab eaipsa pręsentire & item pręsensio. Quocirca quicquid natura sensile ratiocinatione peruestigam⁹ antequā intueamur, præuidere hoc merito dicimus: indicātes verbo vt talia videamus antequam fiant. & ob eā rem, quæ geruntur, si fiant derepente, contra arbitrium & cogitationem: si consulto, cum prouidentia fieri dicimus. id qđ Soloni quoque est proditum, hunc in modum: Intersinguant perpendant'que iudices Areopagitę conueniet, nū cędes, vulnus, incendium prouidentia commissum sit, & item medicamentum si quis adhibens interemit. Quinetiā Rhetores antiquiores sępenumero talia verba & nomina vsurpant: in quibus quę prouidentia geruntur, diducuntur aduersus ea quæ sine vlla consultatione & deliberatione contingunt: verbi gratia: si quis inuitus alterum

oblœsit,aut si percussit obiratus, haudquaquã prouidẽtia extitisse dicunt. Sed siquis multo cogitauit ante aliquid ta le committere,& considerauit quo pacto:prouidentia id cõmissum volunt. Id ergo cõmune significatur apud authores de prouidẽtię vocabulo, bonarum'q; & malarum gestionum: nec vt quidam existimant, de bonis tantummodo dici assolet. Etenim eaipsa quæstio, vtrum fortuna quadam regatur mundus, an prouidẽtia:de communi significatione relata est: quomodo ex opposito fortunæ dilucet. Porro quidam non fortunam,sed casum aduersum prouidẽtiam diuidunt, idipsum vtraq; appellatione significantes. Quinetiã sępenumero dicitur à Philosophis mũdum prouidẽtia gubernari, melioris appellationem adijcientibus,& item optimi: propterea quòd prouidẽtię vocabulum,meliores deteriores'q; notę promiscuũ faciant. Atqui videtur vt prouidẽtia ex aduersum dicta fortunæ, non ita dicatur ex significatione. Ita enim vocata prouidẽtia,bonarum functionum tantummodo nominatur. Vniuersi enim prouidentia,haudquaquã est functionum malarum. Si igitur prouidentia secundum hanc communem significationem dicta est: constat vt ita appelletur ea ratione quòd aliquid antea fiat quàm videatur. Pari modo præsensionis vocabulum factum est. Si enim quę sensibus suapte vi & natura vsurpãtur,quibusdam peruestigamus indicijs:merito talia dicimus præuidere,perinde quasi videantur antequam fiant. Ita efficitur vt rerũ quæ per tria accidant tempora,præsensio cẽseatur. Vates enim nihilo minus demirandus est,qui tanquam præsentia dicat pręterita,quę non vidit ipse:quàm qui futura pręnũciet. pari ratione,qui ea quæ nunc geruntur quidem,antequam videat:nihilo min9 quàm ille,bonus vates est. Id igitur Hippocrates indicauit dicens, Præsentiens & pędicẽs coram ægro præsentia,pręterita & futura. Eiusdem ergo facultatis interest,pręterita quæ non videris,dicere vt extiterint: & item præsentia, atq; etiam post futura. Vsu vero inter se admodum dissident. futurorum enim præsensio vtilissima est: præteritorum vero inutilis quidem alijs,sed vtilis

vni medico cui libeat artem suam ostentare. Cæterũ hæc quãquam non sint medicinalis propria artis, tamen enarrationi nimium concinunt explicanti in cõmmẽtarijs implicitas nominum significationes. Illud ex superabundanti quidem relatũ est ad enarrationẽ: vtile vero ad aliquid aliud, quod quidam dicũt expositores de morib9 scriptoris modestiam cõmendantes, etiam hoc loco dicentis: Vt mihi videtur, optimũ est. Potuit enim dixisse, Medicum vti prouidẽtia, optimum est. Ipse vero hac quoque parte adiecit verbũ: Vt mihi videtur. scripturus quidẽ huius decreti demõstrationem. At vero quæ Herophili sectatores dixerunt, diuidentes præsensionem à prædictione: non solum inutilia sunt & impropria significata, sed sophistica & falsa. Atqui videntur rerum discrimina docere, nõ deferre nomina: primũ in eoipso peccantes, quòd nesciant se de vocabulis facere sermonem, nõ de natura rerum vtilium arti. Sensio enim, pręsensionis nomine contenta dicitur magna ex parte, si firma sit: interdum vero & si quid desit ne firmissima sit, tãtisper similiter nominatur. Quocirca nonnũquam cum adiectione dicũt ij qui talia enarrãt, interdum exquisitam sensionẽ, interdum ratam, quãdoq; firmã aut etiam perpetuam, ex ipsa adiectione indicantes nequaquã significari semper firmã de nomine sensionis. Pari ratione præsensio biiuga est: altera firma: verbi gratia: ab hyeme futurum ver est: à quo æstas: post autumnus. non firma altera, ex quibus Aratus versu cecinit de Luna: Si vero cornu sublimius annuat illi, Vim Boreæ expectes: Austrum si recta supinat. Ita enim fieri magna ex parte obseruatũ est, atqui interdum non ita contingit. At vero Herophili astipulatores volũt pręsensionem esse firmam & stabilem: pręditionẽ vero nihil habere istiusmodi. Multa enim prædici dicunt quæ non eueniant: perinde vt quis possit prædicere ea quæ non præsensit: aut aliud voce eloqui, quàm quod est animo cognitum. quòd si nolint appellare cognitum, prorsus nominent opinatũ: ita vt antecedat in animo prædicentis. Sed si non dicant præsensionem, sed præopinationem: non tamen authores

vocant præopinationem, quomodo nec Herophili sectatores. Atqui parte plurima barbarissant. Aut igitur præopinationem lege sanciant dissidere à præsensiõe, pariter suadẽtes hominibus recipere legis sanctionem: aut si id facere non queunt, vocabula rerum secũdum consuetudinẽ inaudiant. At vero in consuetudine est medicis, spem de futuro magna ex parte & item firmam, nominare præsensionem. At fidi medici interest non talia vestigare, sed quo pacto quispiam in ægris prædicẽdo ventura, magna ex parte verus sit, raro falsus. Etenim vocula, magna ex parte, singularis quidẽ est, sed rerum plicas multiformes agnoscit, iuxta maioris minoris'q; rationẽ. Siquis igitur viginti prędictionibus oberrat semel, interpellauit perpetuitatem: melior tamen est quàm qui bis à fine prædictionis intercidit: rursus'q; melior hic est quàm qui ter: quomodo rursus ille quàm qui quater elusus est. Atqui promiscue tribuitur omnibus consequi finem magna ex parte. Talem ergo docendi viam, ex qua auspicatus quispiã sępius alio consequatur finem, admittere: superuacuam autem in significationibus nominum operositatẽ, abalienare & defugere conuenit: quam Prodicus tantus sophistes exosculatus, peritioribus grauis molestus'q; erat: subinde'q; à Socrate mordebatur apud Platonem: in cæteris alioqui cõmẽdãdus. Sed nõ recte fortasse feci inter initia memorans Herophilum. Pręstat enim indicare vera pręcepta medicorum ĳs qui studeant ministerĳs artis, neque terere ęuum bifariam, partim docẽdo delyras fabulas sophistarum, partim refutando. Rectius enim erit vtilia in his commentarĳs tantũmodo persequi: quęrere vero alio volumine, & considerare in maiori ocio quęcunq; Herophilus in prędictiones Hippocratis obloquatur. Prodicus

¶ Quæq; infirmi omittunt enarrans creditur magis agnoscere ægri conditionem.


Portuit eos qui talia enarrare aggrediũtur, ostẽdere ipsa re quam ob rem ita scribere audeant. Etenim promptissimũ est quicquid libeat scribere: difficile vero talem indicare contẽplationem ex qua

magna ex parte cōsequatur finem, dicendo ægris nō futu ra solum, sed etiam antefacta quibus ipse nequaquā interfuit: & item præsentia circa ægros quę nōdum audiuit ab eis nec ipse agnouit: queadmodū nos in ĳs quæ dicemus erimus merito credēdi, quoties operib9 ipsis pręstruam9 contemplationis veritatem. Cæterum ne cogamur semel atque iterum eadem scribere consulta, nunc in enarranda pręfatione, & item post in enarrādis particulatim dictionibus: satius duxi hæc omnia seruare in enarrationibus dictionum medicinalium à nobis per hunc librum dicēdis: maxime quia id nōdum quispiam fecit ex ĳs qui librum enarrauerunt, alioqui maxime necessarium. Quod enim censuit Hippocrates exercere medicum, quantum in hęc agitur, omisit, nequaquam indicans quo pacto cōueniat præterita aut præsentia non pspecta à nobis sensibus, pręsentiri. Et si quid in morbis diuinum habetur, illius quoq; ediscere prouidentiam. Quidnam sit diuinum illud, cuius fieri admonet præsensionē, inter expositores dissensio est. Nonnulli putāt ob iram quādam deorū hominibus accidere morbum: dicunt'q; testimoniū huius opinionis, eos qui vocatas scripserunt historias, citra rationis adminiculum: nequaquā indicantes vtrum fuerit Hippocrates huius opinionis: quod inquam erat officium boni expositoris. Non enim simpliciter dicendum est per enarrationes quicquid nobis videatur verum: sed quod sit secundū sententiā scriptoris, quāquam fuerit falsum. Constat enim vt Hippocrates nullo suo libro causam ægrotationis in deos refundat: qui & pcussos, vnde'nam ducti veteres ita vocarint, volumine de victu acutorum morborum ostendit. Hic igitur liber confesse verus germanus'q; est. At libro qui est de sacro morbo, multa quoq; scripta sunt ad obstirpandam suspicionem eorum qui Deum mittere ægrotationes contendunt. Nō igitur comitialem putamus diuinum haberi morbum, neq; amoris affectum. id enim credentes quidam, veram scripserunt historiam, depræhendisse Erasistratum ob amorem ægrotare filium regis: diuinum tamen esse ne quaquā docuerunt neq; ab Hippo-

Diuinu

Veri gmentatoris officium

crate,neq; ab Erasistrato vocatum, neq; ab alio quodam medico amorem. Porro eos qui gracilēti sint decolores'q; aut insomnes aut febricitantes ex causis amatorijs, illo capite cōplectūtur maiores, quo de causis procatarcticis, id est prægressis cōmemorant. Cum enim hę in plura diducantur genera, vnum ex his conflictatio est. Conflictantur vero hi quidē intermortuis liberis, aut necessarijs, aut cognatis, aut amicis: illi vero expectātes seipsos vel suos affici, vel etiam patriam omnem fore euersam. Itidem conflictantur studiosi pecuniarum priuati pecunijs: vel etiā ambitiosi priuati gloria: & item alij omnes ita afficiūtur. Ex his ergo sunt qui ob amorem conflictantur, haudquaquā diuinam perpessi, sed humanam affectionem: nisi quis credat Poetis: qui fabulātur dæmonem quendam pusillum, recens natum, gerentem faces ardentes, homines quosdā in hanc agere affectionem. At vero qui decretorium genus dierum diuinum appellet, suum quēdam comprobauit affectum, haudquaquā prodidit Hippocratis opinionem. Non enim simpliciter quęcunq; causas habent incognitas aut inopinabiles, diuina vocamus, sed vbi mirabilia habeantur duntaxat. Quāquam nec ignorauit Hippocrates causas decretoriorū dierum: vt in cōmentarijs de diebus decretorijs perpēsum iam est. Igitur, vt docui, nequaquā memorare conuenit per has cōmentationes quęcunq; prodita perperam sunt: sed quæcūq; verisimilia & consentientia videantur. Et ob eam rem quæ ab Herophilo scripta sunt in prædictiones Hippocratis, dilata ad aliū locum dissimulabo, id'q; nunc & toto deinceps volumine ipse efficiam: & item commoneo faciendū ijs qui in tales incidunt cōmentationes, quo minus culpent me, multa expositorum errata de consilio reticentem. Sed si diligenter lecturi sint quæ à nobis sunt prodita, illa ex seipsis æstiment atq; arbitrentur licebit. Ergo omittentes nugas quę de diuino circūferuntur, nitemur ipsi eam rem secundum Hippocratem vestigare. Igitur, vt vnum aliquid ad artem medendi attinēs, diuinum sit: nec solum ab Hippocrate cōmendari cognitionē eius, sed etiam ostēsam esse,

cuiuis perspicuum est. Scriptor enim deridiculus foret cõmendans rei cognitionẽ quam nullo pacto docuerit. Itaq; soluemus, fidentes iam non aliud haberi id præterquam ambientis nos aeris conditionẽ, de qua scripsit in sentẽtijs ita, Si hyems squalida & aqlonia fuerit, ver vero pluuiũ australe'q;, febres acutas fieri æstate necesse est, & lippitudines, & intestinorum difficultates, maxime mulieribus, & ijs qui humidam habent naturam. Hęc & alia quę deinceps sunt prodita, præsensiones sunt eorũ quæ in nobis ob circũflui aeris causam infestant: de quibus per sententias breui summa quasi decursu per capita cõmonuit, sed libro de morbis vulgarijs latius docuit, in his vero prædictionibus omisit, quãquam ad huius operis institutum attineant. Itaque rectius erat quæsiuisse quam ob rem dicere supersedit, quidnam diuinum habeatur, quàm praue enarrare. Mihi vero videtur ob libri magnitudinem haud quaquã adiecisse huic volumini tractatum de vulgarijs morbis. & ob id, simul ac absoluit librum, in calce hæc adscripsit: Oportet impetum morborum exuperantium cito considerari: necnon tenere temporis cõditionem. Ergo quàm necesse sit agnoscere medicum & si quid aliud attinet ad prædictionum solertiam, & item genituram morborum exuperantium, indicauit: proprium vero volumen seorsum illis dicauit, per sententias inquam, vt est proditum, breui summa: libro vero de morbis vulgarijs, fusius tractatum excoluit. Quam ob rem nonnulli expositores statim ab hoc opere librũ de morbis vulgarijs merito enarrauerunt: & nos similiter faciemus.

VIII


¶ De signis quę in vultu existant. Cap. III.




Onsiderari cõuenit hunc in modũ per morbos acutos, principio vultũ ægroti, sit'ne similis beneualẽtiũ, potissimũ sui. ita enim optimus erit. si vero quã maxime contrarius simili sit, exitiosissimus est.

PErspicue indicauit vt hoc libro de morbis agat acutis. Incepit autē ab indicijs quæ in vultu existant: eo quod in primis appareant, & vim obtineant maximam. Vt hæc igitur in primis appareant, cuiuis perspicuum est. vt autem vim ad prædicendum obtineat maximam, deinceps discas licebit. Atque in primis reuocetur in animū cōmunis totius medicinalis artis præfatio, quam libro κατ᾽ ἰατρεῖον prætexuit hunc in modū: An similia, an dissimilia sint, statim inter initia considerādum de maximis, de facillimis, ex ijs quæ ex toto & vsquequaque accedunt: & quę contueri licet obtutu, tactu, auditu, lingua, & animo vsurpare. non enim præsensiones solum ex his, verum etiam curationes affectuum inchoātur. Igitur quonam modo curari debeant affectus, libro de curandi via & ratione definitum iam est. de præsensione nunc agendum est: remouendum'que vt intersit prędicendi artis, non solum futura, sed etiā pręterita ac præsentia, ex quibusdam indicijs in corpore inuenire. Sed pręsentium cognitionem proprio & suo nomine consueuimus nominare dinotationem. Itaque considerādum admonet vultum ægroti inter initia, similis'ne an dissimilis beneualentium sit, sed potissimum sui. Hoc enim signum secundum decreta Hippocratis intelligitur, vt non solum de cōmuni natura omnium, sed etiā de propria vniuscuiusque præcepta artis considerentur. Conferri enim partes affectas præcepit cum beneualētibus: non alienas intueri, sed eius qui affectus sit. Optimus igitur ęgri vult9 est, quoties simillimus sui permaneat. ecōtrario deterrimus, si quammaxime in cōtraria vertitur. Ea vero quæ inter optimum & deterrimum habeantur, tua intersit considerare finitis extremis. nam si propiora sunt optimo, meliora: si deterrimo propiora, deteriora existūt. Media vero inter hęc sunt quæ pari vtrinque intercapedine circunsistuntur. Itaque vultum optimum vno capite complexus indicauit. maxime vero contrarium, vtpote nobis nequaquam familiarem, particularibus indicijs explanauit: e quibus singula seorsum aggrediar, prodita deinceps ad hunc modum.

Facies exitio proxima.


NAsus compressus: caui oculi: astricta tempora: aures frigidę contractęque, & fibræ earum versę: & item cutis circa frontem dura, intenta, arida: & color totius vultus viridis aut niger.


MAlum hoc indicium primum adscripsit, nasum compressum. Sed oportet, vt docuimus, cōferendo cum natura cuiusque, talia considerari. nam si natura simus est, nasus prorsus compressior apparebit, quemadmodum si aquilinus aut etiam subrectus est. Ita vero considerandum est vt inquātum à naturæ forma recessit, intātum ipse prauus existat. Itaque compressus nasus plane apparet in ijs qui longiore morbo extenuantur, aut præ dolore conflictantur, aut quouis modo exsoluantur, aut animo linquantur, & item omnibus defunctis. Et ob eam rem quis merito colliget epilogismo, communi omnium hominum vtēs ratione, prauum esse indicium, quod per malam existat affectionem. Cęterum quænam sit talis affectio per quam nasus comprimitur, dogmaticę iam contemplationis munus est indicare, quam depræhēdi tantummodo analogismo conueniet. Analogismus vero ratio est quæ ab euidenti auspicatur, rei obscuræ faciēs cognitionem. Epilogismus vero communis ratio est, & omnium assensu conspecta. Sed primum epilogistice de singulis consideremus indicijs. rectius enim erit ex confessa cōmuni'que oīm hoīm ratione facere initialem doctrinam, quàm statim inter initia venire ad analogismum.


HAec quoque indicia omnia circa vultum existūt in morbis diutinis, & doloribus, & animæ defectionibus, & multo magis in morte. Epilogistica enim ratio facillima est, vt dissimilia naturę, mali cuiusdam obtineāt significationem. subieci enim statim ab initio, id quod cōfessum, conspectum'que est, vt maxime cōtraria naturæ, exitiosa: similia vero, salutis indicia habeant.

NB

tur. Itaque hæc à nobis de eis epilogistice dicta sint. nam
post, exquisita ratione de omni eorum natura considera-
bimus. Fiunt ergo tales affectiones, aut ob aliquã causam
consumentem & corrumpentem partes animalium car-
nosas, aut ob debilitatem natiui caloris; qui non insuper
extendi in extremas corporis queat partes: sed in visceri-
bus solis exiguus obseruetur. Porro huic scilicet comitatur
affectui, vt nõ præterea affluat ad extremas corporis par-
tes tantum sanguinis aut spiritus, quãtum antea affluebat
habẽtibus per naturam. & ob eam rem in vultu maxima
mutatio naturalis habitus liquido apparet. Cum em̃ par-
tes osseæ & item carnosæ & humidiores inter se adiũctæ
sint: tum autem osseæ subsistãt similes, vtpote tenaciores:
carnosę vero humidioresq́ue consumãtur facile, & colla-
bantur in eas ob inopiam spiritus & sanguinis: facillimus
cognitu affectus est. Nasi enim circa solas pinnulas nomi
ne substantia, carnosa: subsiduum vero omne, osseum est.
Merito igitur quoties pars carnosa consumpta aut vacua-
ta cõsidat, extremum eius tenue redditur: pari modo quo-
ties vehementer refrigeratur: quod iam defunctis accidit.
Stipata enim per refrigerationem substantia carnosarum
partium, gracilentus in summis merito redditur. Non em̃
alium quẽdam nasum vocamus compressum, quàm qui
gracilentus in summis existat. Igitur ad hunc modum na-
sus compressus apparet. Caui præterea fiũt oculi propter
easipsas causas. sed quãto humidiores molliores'que sum-
mo naso sunt, tãto citius cauantur. Quinetiam spiritus cõ
piam animalis participant, & item caloris non parum ha
bent: quibus deficientibus, merito contrahuntur. Id vero,
cauum oculorum est. Tẽpora similiter astringuntur, pro-
pterea quòd sola reliqui capitis musculos habeant: quos
nominat à temporibus crotaphitas: reliquum vero caput
omne prorsus carne vacat. Aures frigidæ & contractæ;
quia chartilagineæ carne vacãt, exangues habẽtur. Itaque
celerrime refrigescunt, vt quæ suapte natura ad affectum
instructiores paratiores'que sint. Sed quam ob rem fibræ
earum versæ sunt? An quia molliorem obtinent substan-

tiam,non queadmodum ſubſiduum omne,quod inquam tenuis chartilago exquiſite eſt tenuiore intecta cute? Quā ob rem de prædictis cauſis fibræ extenuantur,vertuntur, ſiccantur,ſtipantur: ita vero affectæ retrouerſus tendūtur magis ad originem præbentium illis ſenſum neruorum. Etenim conuelli,cūctis corrigijs exſiccatis commune eſt: proprium vero vnicuique in corpore parti, eſt illo verti & conuelli potius,vbi innexorum ei neruorū initium eſt. Id enim in digitis plane intueri licet. ſi enim intimus tēdo ab aliqua cauſa afficiatur, digiti perſpicue inflectuntur. ſi extimus,attenduntur. cęterum ob eam ipſam ſiccitatem ſtipationem'que cutis, omnis circa vultū omnem duriuſcula apparet & intenta. Affectus vero manifeſtius apparet circa frōtem: quia carnoſa ſubſtātia tenuior hac in parte cuti ſubtenditur. de prædictis vero cauſis carnoſa natura afficitur magis quàm quæ cutis inſtitutione cōſiſtit. At vero coloris mutatio peſſima eſt,quoties ad nigrum exiſtat: vtpote ſanguine refrigerato: quemadmodum vbi foras effuſus ſanguis cōglobatur. moderatior vero,quoties in chloron,id eſt viride fuerit. Veteres enim aſſolēt ita nominare nōnunquam pallidum colorem. Interdum,vt plerique, braſſicam & lactucam chloros,id eſt virides nominant. qui quidem color,nigrior eſt quàm rubidus: eſt etiā tanquam initium quoddam nigri liuidi'que,quem frigus perinde quaſi nigrum effecit. Quocirca vultus in quo oīa prædicta habētur, exitioſus merito nominatur. is'que per morbos longiores ſæpenumero videtur. Raro vero inter initia apparet: & ob eam rem cum maximo periculo eſt: vt qui nullam abs tempore cauſam habeat. Longo enim interpoſito tempore conſumi corpus, & item refrigerari partes extremas, haudquaquam mirabile eſt. Inter initia vero præſertim acuti morbi prorſus exitioſum cenſetur: niſi ob aliquam aliam cauſam talis extiterit. Cęterū quænam committere cauſæ eam rem poſſint, ipſe procedēte dictione docebit. Nunc vero rem adijciendam quam videtur Hippocrates omiſiſſe,prius audi. Vt enim per morbos diutinos talem fieri vultum nō admodum exitioſum

NB est: ita nec in terra frigida, hyeme, conditione frigida, senecta: quemadmodum per sententias indicauit: Per morbos minus periclitantur ij quorum naturæ morbus conuenit, aut ætati, aut habitui, aut tẽpori, quàm quibus non cõpetit aliqua ex his ratione. 2 aph: 34

X

SI igitur inter initia morbi talis fuerit vultus, necdum scrutari aliis signis possibile sit, interrogare oportet num vigilauerit homo, an aluus resoluta admodum fuerit, an fame affectus: & si quid horum comprobet, minori cum periculo est. Indicantur vero talia per diem & noctem, si ob has causas talis fuerit vultus. Si vero nullum horum dixerit, neque prædicto tempore destiterit: signum esse exitiosum sciendum est. Cautio [...]

SVmme exitialis & insanabilis morbus est per quem statim inter initia vult9 exitiosus sine exteriori causa extitit. Minori vero cum periculo est, si propter aliquam causam euidentem acciderit: verbi gratia: propter vehementem insomniam, aut inopiam alimenti, aut alui fluorẽ. Prestat enim ne ex his causis quidem nimium exsolui vires inter initia ægrotationis. Minori vero cum periculo est quoties ob aliquam talem causam extiterit, nõ ob maleficentiam ęgrotationis. Sed quęnam sit affectio corporis in qua talis vultus efficitur statim primis diebus, perspicue breuib9 tibi iam explicabo. Vbi debilitas detentoriæ in animalibus facultatis pariter sit, atque humores tenuiores cum febre calida, præ debilitate excernitur subinde aliquid inuisile propter tenuitatẽ extra cutem, vtpote tenuioribus humoribus effluentibus. At vero febris etiam magis consumit tenuissimos humores: minus vero tenues extenuat, ita vt nunquam vacuatio desinat, sed similetur continuis vomitionibus, aut alui

fluoribus, aut ex vrina immodicis vacuationibus. Verum interest, quòd eæ sensib9 vsurpantibus: ea vero quam nūc commemoraui, prę tenuitate fluoris aciem frustratur. Talis ergo nequaquam consistit vultus in morbo pituitoso, quemadmodum nec per satietatem, propter exuperantiam sanguinis, sed inopiam potius esse oportet in corpore, & dolorem pręuenire & angorē. ex his enim humor colligitur biliosus. At vero si terra calida sit, & anni tēpus æstiuum, & cōditio calida sicca'que, tātisper tali affectione præhendi hominem promptius est, potissimum quoties biliosior fuerit ex natura. Quin etiā nōnulli facile discutiuntur, atque difflantur: alij vero ostiolum ventriculi debilem habent: quę omnia quoties simul concurrant, tale corpus propensissime præhendi potest affectione quæ vultum exitiosum cōmittat. Si igitur hęc quispiam agnoscit: non solum prędictionem, sed etiam curationem poterit inuenire, habens intentionem firmare vires, ventriculo idoneis alimentis. Sed hęc non parum extra itineris propositum dicta sunt. De causis exterioribus considerādum exquisitius est. Hę sunt (quarum ipse nominatim habuit mētionem) fames: insomnia: fluor alui. Quibus adijcias licebit similia horum, vacuationem immodicam sanguinis è naribus, aut vulua, aut mariscis, aut vulnere, aut quouis alio modo: & item mœstitiam vehementem, quę quibus libeat causis constiterit. Sed forsan recta ratione aliquis dicet hęc dicta esse ab Hippocrate potestate in sermone qui est de insomnia. accidit enim insomnia etiam ob alias causas: accidit etiam propter mœstitiam, ita vt pro modo mœstitię sequatur insomnia: & ob id continere eam merito dicitur. Itidem aluus admodum fluēs, exemplum tibi cuiusuis immodicæ euacuationis erit. Si igitur diligenter verseris in operibus artis, peritus'que sis circa vniuscuiusque rei formam: sæpenumero apparebit causa quę talem vultum cōmittat. Signa vero earum dictu difficilia sunt: & ob eam rem tradere ea sermone, quāquā plerique nouerint medicorum, refugiunt. Sed omnia proprijs & suis locis à nobis explanata iam sunt. Quapro-

pter ipse quoque postquam didiceris ea, poteris interdum ingressus ad ęgrum pronunciare de causa quę talem vultum cõmisit, sed potissimum vbi pręcedentem omnem victus rationem noueris ęgri: considerans pręterea de tẽperamento eius: & multo magis vbi peritiam habeas de motu arteriarum, & qualitatis febris. Subijciamus enim aliquem, gratia exempli, tempore æstiuo, per conditionẽ calidam & siccam, biliosum ex natura, adolescentem, ex conflictatione, inopia & mœstitia, incepisse ęgrotare: sitque calor eius, tangendi sensum admodum mordens, & vrina biliosa: & pulsus, virium indicans debilitatẽ. suspicare talem prędatam fore conditionem, ob quam vultum cito sit habiturus exitiosum, propterea quòd antea nequaquam congrue vixit. Itaque si non sint talia circa ęgrum, neque fuerint, neque primo die vel secundo existant, tertio vero ingredienti tibi vultus appareat qualis nunc dictus ab Hippocrate est: scias hunc propter aliquam causam exteriorem ita affectum. Igitur apud te considerabis quidnam potius in eo extiterit, num secretio aliqua multa, an insomnia. Ex inopia enim non erit talis vniuersim, nisi pręuenerint talia in morbo qualia dicta iam sunt, atque ex natura fuerit talis qualis dictus est. Si igitur pridie videas ęgrum, haudquaquam latebit multam fore spontinã secretionem. firmissima enim eius indicia habentur, quæ à nobis in commentarijs de iudicationibus, & item libro de pręsagijs pulsuum explanata iam sunt. Quapropter licebit statim aspicienti hominem, definire vehementẽ extitisse insomniam. etenim videbis oculos eius admodum squalidos: qui non propter euidentes & ĩmodicas vacuationes, perinde vt propter insomniã tales reddũtur. Porro videbis palpebras resurgere difficulter, & item talem habere formulam in conniuendo, atque etiam & instabiles haberi, quales per somnum obstupidum (ita enim Coma interpreter) existũt. Quinetiam vbi nunc primum tibi appareat ęger, antea vero nullo pacto pspexeris talia signa: atqui pulsus aliquam afferent cognitionem. Per immodicas enim excretiones, seruabit aliquod (quãquam exiguũ

sit)indicium formulę, significans eas: per insomniam vero, chordulę extētę speciem referet. At si propter inopiam duntaxat in talem vultꝰ venerit affectionem, ex dictis indicijs neutra adsunt, neque insomnię, neque excretionis: & ob eam rem potius ex accidentibus quàm ex proprijs signis, in illis pręsagire cōueniet, propter inopiam alimēti deductū esse eum in talē affectionem: & adhuc magis, quoties febris, proprietatem caloris discutientis, exquisita ratione consideranti tibi nequaquam importet. Si enim talis appareat, ob illam potius quàm ob exteriorem causam, gracilentum ita videri vultum existimādum est. Cęterum conuenit immorari diutius attrectando omnē manum, non solum volam ęgri, sed etiam superiores partes diligenter animaduertentes, si non solū acriorem, sed etiā si substantię copiam vnà secum, & quidem corpulentam reportet, veluti flammulam quandam peruadentem cutem tuę manus qua cutem ęgri contingis, se insinuantem perspicue in profundum. Tales enim febres sunt quæ vultum istiusmodi committunt. Hæc igitur (vt docui) dici quidem possunt difficulter: non tamen omnino dici non possunt, neque difficulter agnosci ab ijs qui circa ea exercitati sint, qui'que viderint talia sæpenumero à me omnia pręsagiri: sed multo magis si studuerint agnoscere operibus ipsis, quęcunque in commentarijs de præsagijs edocti sunt, eo quòd videant quidem talia prædici, vt fieri possint, re ipsa discentes, non reprobantes vero prius quæ ab initio videntur cognitu difficiliora. Nam geminos fratres simillimos quidem, semel aut bis videndo, nequaquam interstingues: ex necessarijs vero nullus hallucinatur. Hæc igitur dicta sunt ad cohortandos iuniores: sed potissimum eos qui nūquam prędici hęc omnia à nobis perspexerunt. non enim solum insomniam dicere debent, sed etiam vt propter mœstitiam tale quid extiterit. Non enim Erasistratus videns coruos aut cornices volantes, depręhendit adolescentis amorem, nec (vt quidam dixerunt) amatorium pulsantes sensit arterias adolescentis: (nullus enim pulsus proprius amoris est) sed quem-

admodum apparuit interdum etiam mihi, iniicienti manum volę ęgri, muliere vero quadam visa domi, statim iniquus pulsus atque inordinatus euasit: paulo vero post ad habitum naturalem, simul recedente muliere visa, rediuit. Ita enim mutatus pulsus, communem quendam significat perturbationis affectum in animo fuisse ægroti. Perturbationem vero talem interstingui conueniet ex ijs quæ dicuntur ab eo pariter aut videntur. etenim rursus, dictis quibusdam, pulsus vertitur ad iniquitatem, perturbato ægro ob ea quę audiuit. Sed de his seorsum à me scriptum iam est dicato opere, cui titulus est de pręsentiendo. Nunc vero ad institutum redeamus. Illud agitabatur, vt multa de præteritis & item præsentibus coram ægro potest medicus dicendo commendari, velut ea quæ nunc dicta sunt hac oratione: insomniam: alui fluorem: famem. At vero interdū ex his vnum definite dicere difficile est: sed ė duobus alterum, aut ė tribus vnum prorsus possibile erit firmiter præsentire. At vero id quoque laudem feret apud audientes, interrogando, pręsensiōe facta ad hūc modum: Num ob insomniam vehementem, an alimenti inopiam attenuatus est? Sæpe enim comprobant vtrunque, & demirātur bifariam medicum: interdum alterum eorum respondentes itā quoque demirantur. Id igitur ab Hippocrate dictum est: Interrogare oportet num vigilauit æger, an multa deiecit, an famescat. Deinde quod dicit: Et si quid horum comprobet, minori cū periculo est: merito. melius enim est adeò fortem esse facultatem vt à nulla causa exteriori vincatur. Minori vero cum periculo est, si ob aliquam talē causam, ne ob maleficentiam ęgrotationis talis cōsumptio existat. At vero quia possibile est vt ambo concurrant, tum causa aliqua exterior (vt dixi) afficiens corpus, tum etiam febris consumens, interstitio erit tibi de subsequenti die nocteque. Si enim ab exteriori causa sola, qualis dictus est vultus extiterit, castigationē per diem & noctem adipiscetur. si vero ex affectione in corpore: aut permanebit talis, aut etiam deterior erit. Itaque cōstat vt hæc omnia ab Hippocrate recte dicta sint.

A

Sed quam ob rem dixit: Si igitur inter initia morbi talis fuerit vult9: necdum scrutari aliis signis possibile sit, deinceps consideremus. Duorum enim alterum est, aut quia non accidunt inter initia morbi, aut quia nihil firmum denunciant, nequaquam possibile est talib9 vti signis ad res dubias definiendas. Ego igitur dico non semper fieri talia: nec si fiant, firmum aliquid indicare. Ceterum vt ita se habeat, in enarrandis illis docebo.

XII

SI vero in morbo vetere iam triduo talis fuerit vultus, de iis interrogare oportet de quibus antea monui alia quoque signa esse cõsideranda, quæ in toto corpore, atque etiam in oculis existant.

PRincipiĳ nomen significat primariam morbi accessionem, quę nondum vllam obtineat latitudinem: & item eam quę ad aliquod tempus non tamen multum extendatur: necnon primum ęgrotationis tempus, à quo alterum numerant ascensum, deinde tertium consistendi vigorem, & demum quartum inclinationem. Cum itaque dixerit paulo ante, Si igitur inter initia morbi talis fuerit vult9: per illam dictionem nequaquam indicauit cuius nam de tribus principĳs faciat mentionem. Nunc vero scribens, Si vero in morbo vetere iam triduo talis fuerit vultus: clare docuit vt de eo agat quod habeat latitudinem. id enim ad triduum vsque porrigitur. Ergo tantisper ĳs quę docuit antea signis, existimauit addẽdam esse ductam ab aliĳs signis finitionem, de quibus dixerat, Necdũ possibile sit aliĳs scrutari signis.

XIII

¶ De signis quę in oculis existant. Ca. IIII.

SI enim lucem effugiant, aut nolentes illachryment, aut peruertantur, aut alter altero fuerit minor, aut candidũ

rubidum habeant, aut liuidas aut nigras venu=las, aut pituita appareat circa obtutum, aut subli mes tumidi've oculi vel caui admodum fuerint, vel totius color euariet vultus: hæc omnia mala esse atq; exitiosa censendum est.

HAec omnia accidentia in cõmune præter naturam sunt: sed diffidẽt inter se, eo quòd quædam cõtrariam naturæ: alia vero, vt ipse antea dixit, maxime contraria existunt: & ob eam rem ex communi epilogismo, omnia quidem exitiosa existimabuntur, sed pro quantitate contrarietatis, minus'q; & magis id obtinebunt. At vero affectiones ex quibus eueniant, secundũ sequelam decretorum Hippocratis, rectius est deinceps considerare. Itaq; refugere lucem, quod inquã est auersari, propter debilitatem accidit, visoriç facultatis. quæ nonnunquam affectione laborat opificiorum, veluti per lippi tudines. interdum ipsa ex se afficitur, dum exitiale indiciũ est. Pari modo si oculi illachrymant propter lippitudinem aut fluxionem aliquam de capite decumbentem, præter naturam quidem affectus est: non tamen omnino significat abolitionem. si vero propter debilitatem detentoriæ facultatis, exitiosum indicium lethale'q; est. Porro peruertuntur oculi, conuulsis musculis eos cõmouentibus. quod si fuerit illorum tantũmodo affectus, nihil difficile significatur. si vero principij neruorum, (quod quidẽ cerebrum est) summe exitiosum est. propinquantes enim musculi, principij affectum prius quàm cæteri persentiscunt: interdum ij qui in oculis sunt, de quibus nunc dicit: quãdoque crotaphitę, id est musculi temporũ nominati, de quibus libro de articulis indicauit. Quinetiam fieri alterum oculum minorẽ quàm qui constet ex natura, accidẽs exitiosum habetur. indicat enim extingui facultatem regentem eũ. At vero albamentũ oculi apparere rubrum, (quo modo per lippitudines quasdam accidit, & item quasdã temulentias) copiam significat quæ in cerebro ac mẽbra-

magna ex parte cõsequatur finem, dicendo ægris nõ futu ra solum, sed etiam antefacta quibus ipse nequaquã interfuit: & item præsentia circa ægros quę nõdum audiuit ab eis nec ipse agnouit: queadmodũ nos in ĳs quæ dicemus erimus merito credẽdi, quoties operib9 ipsis pręstruam9 contemplationis veritatem. Cæterum ne cogamur semel atque iterum eadem scribere consulta, nunc in enarranda pręfatione, & item post in enarrãdis particulatim dictionibus: satius duxi hæc omnia seruare in enarrationibus dictionum medicinalium à nobis per hunc librum dicẽdis: maxime quia id nõdum quispiam fecit ex ĳs qui librum enarrauerunt, alioqui maxime necessarium. Quod enim censuit Hippocrates exercere medicum, quantum in hęc agitur, omisit, nequaquam indicans quo pacto cõueniat præterita aut præsentia non ꝓspecta à nobis sensibus, pręsentiri. Et si quid in morbis diuinum habetur, illius quoq; ediscere prouidentiam. Quidnam sit diuinum illud, cuius fieri admonet præsensionẽ, inter expositores dissensio est. Nonnulli putat ob iram quãdam deorũ hominibus accidere morbum: dicuntq; testimoniũ huius opinionis, eos qui vocatas scripserunt historias, citra rationis adminiculum: nequaquã indicantes vtrum fuerit Hippocrates huius opinionis: quod inquam erat officium boni expositoris. Non enim simpliciter dicendum est per enarrationes quicquid nobis videatur verum: sed quod sit secundũ sententiã scriptoris, quãquam fuerit falsum. Constat enim vt Hippocrates nullo suo libro causam ægrotationis in deos refundat: qui & ꝑcussos, vnde nam ducti veteres ita vocarint, volumine de victu acutorum morborum ostendit. Hic igitur liber confesse verus germanusq; est. At libro qui est de sacro morbo, multa quoq; scripta sunt ad obstirpandam suspicionem eorum qui Deum mittere ægrotationes contendunt. Nõ igitur comitialem putamus diuinum haberi morbum, neq; amoris affectum. id enim credentes quidam, veram scripserunt historiam, deprædendisse Erasistratum ob amorem ægrotare filium regis: diuinum tamen esse ne quaquã docuerunt neq; ab Hippo-

crate,neq; ab Erasistrato vocatum, neq; ab alio quodam medico amorem. Porro eos qui gracilēti sint decoloresq; aut insomnes aut febricitantes ex causis amatorijs,illo capite cōplectūtur maiores,quo de causis procatarcticis,id est prægressis cōmemorant. Cum enim hę in plura diducantur genera,vnum ex his conflictatio est. Conflictantur vero hi quidē intermortuis liberis,aut necessarijs, aut cognatis,aut amicis:illi vero expectātes seipsos vel suos affici,vel etiam patriam omnem fore euersam. Itidem conflictantur studiosi pecuniarum priuati pecunijs:vel etiā ambitiosi priuati gloria: & item alij omnes ita afficiūtur. Ex his ergo sunt qui ob amorem conflictantur, haudquaquā diuinam perpessi,sed humanam affectionem:nisi quis credat Poetis: qui fabulātur dæmonem quendam pusillum,
NB recens natum,gerentem faces ardentes, homines quosdā in hanc agere affectionem. At vero qui decretorium genus dierum diuinum appellet, suum quēdam comprobauit affectum, haudquaquā prodidit Hippocratis opinionem. Non enim simpliciter quęcunq; causas habent incognitas aut inopinabiles, diuina vocamus, sed vbi mirabilia habeantur duntaxat. Quāquam nec ignorauit Hippocrates causas decretoriorū dierum : vt in cōmentarijs de diebus decretorijs perpēsum iam est. Igitur,vt docui, nequaquā memorare conuenit per has cōmentationes quęcunq; prodita perperam sunt:sed quæcūq; verisimilia & consentientia videantur. Et ob eam rem quæ ab Herophilo scripta sunt in prædictiones Hippocratis,dilata ad aliū locum dissimulabo, id'q; nunc & toto deinceps volumine ipse efficiam:& item commoneo faciendū ijs qui in tales incidunt cōmentationes,quo minus culpent me,multa expositorum errata de consilio reticentem. Sed si diligenter lecturi sint quæ à nobis sunt prodita, illa ex seipsis æstiment atq; arbitrentur licebit. Ergo omittentes nugas quę de diuino circūferuntur,nitemur ipsi eam rem secundum Hippocratem vestigare. Igitur,vt vnum aliquid ad artem medendi attinēs,diuinum sit:nec solum ab Hippocrate cōmendari cognitionē eius, sed etiam ostēsam esse,

cuiuis perspicuum est. Scriptor enim deridiculus foret cō mendans rei cognitionē quam nullo pacto docuerit. Itaq; soluemus, fidentes iam non aliud haberi id præterquam ambientis nos aeris conditionē, de qua scripsit in sentētijs ita, Si hyems squalida & aqlonia fuerit, ver vero pluuiū australe'q;, febres acutas fieri æstate necesse est, & lippitu dines, & intestinorum difficultates, maxime mulieribus, & ijs qui humidam habent naturam. Hęc & alia quę deinceps sunt prodita, præsensiones sunt eorū quæ in nobis ob circūflui aeris causam infestant: de quibus per sententias breui summa quasi decursu per capita cōmonuit, sed libro de morbis vulgarijs latius docuit, in his vero prædictionibus omisit, quāquam ad huius operis institutum attineant. Itaque rectius erat quæsiuisse quam ob rem dicere supersedit quidnam diuinum habeatur, quàm praue enarrare. Mihi vero videtur ob libri magnitudinem haud quaquā adiecisse huic volumini tractatum de vulgarijs morbis. & ob id, simul ac absoluit librum, in calce hæc adscripsit: Oportet impetum morborum exuperantium cito considerari: necnon tenere temporis cōditionem. Ergo quàm necesse sit agnoscere medicum & si quid aliud attinet ad prædictionum solertiam, & item genituram morborum exuperantium, indicauit: proprium vero volumen seorsum illis dicauit, per sententias inquam, vt est proditum, breui summa: libro vero de morbis vulgarijs, fusius tractatum excoluit. Quam ob rem nonnulli expositores statim ab hoc opere librū de morbis vulgarijs merito enarrauerunt: & nos similiter faciemus.

VIII

¶ De signis quę in vultu existant. Cap. III.



Onsiderari cōuenit hunc in modū per morbos acutos, principio vultū ægroti, sit'ne similis beneualētiū, potissimū sui. ita enim optimus erit. si vero quā maxime contrarius simili sit, exitiosissimus est.

PErspicue indicauit vt hoc libro de morbis agat acutis. Incepit autẽ ab indicijs quæ in vultu existant: eo quod in primis appareant, & vim obtineant maximam. Vt hæc igitur in primis appareant, cuiuis perspicuum est. vt autem vim ad prædicendum obtineat maximam, deinceps discas licebit. Atque in primis reuocetur in animũ cõmunis totius medicinalis artis præfatio, quam libro κατ' ιατρεῖον prætexuit hunc in modũ: An similia, an dissimilia sint, statim inter initia considerãdum de maximis, de facillimis, ex ijs quæ ex toto & vsquequaque accedunt: & quę contueri licet obtutu, tactu, auditu, lingua, & animo vsurpare. non enim præsensiones solum ex his, verum etiam curationes affectuum inchoãtur. Igitur quonam modo curari debeant affectus, libro de curandi via & ratione definitum iam est. de præsensione nunc agendum est: remouendum'que vt intersit prędicendi artis, non solum futura, sed etiã pręterita ac præsentia, ex quibusdam indicijs in corpore inuenire. Sed pręsentium cognitionem proprio & suo nomine consueuimus nominare dinotationem. Itaque considerãdum admonet vultum ægroti inter initia, similis'ne an dissimilis beneualentium sit, sed potissimum sui. Hoc enim signum secundum decreta Hippocratis intelligitur, vt non solum de cõmuni natura omnium, sed etiã de propria vniuscuiusque præcepta artis considerentur. Conferri enim partes affectas præcepit cum beneualẽtibus: non alienas intueri, sed eius qui affectus sit. Optimus igitur ęgri vult9 est, quoties simillimus sui permaneat. ecõtrario deterrimus, si quam maxime in cõtraria vertitur. Ea vero quæ inter optimum & deterrimum habeantur, tua interest considerare finitis extremis. nam si propiora sunt optimo, meliora: si deterrimo propiora, deteriora existũt. Media vero inter hęc sunt quæ pari vtrinque intercapedine circunsistuntur. Itaque vultum optimum vno capite complexus indicauit. maxime vero contrarium, vtpote nobis nequaquam familiarem, particularibus indicijs explanauit: e quibus singula seorsum aggrediar, prodita deinceps ad hunc modum.

Facies exitio proxima.

NAsus compressus: caui oculi: astricta tempora: aures frigidę contractęque, & fibrae earum versę: & item cutis circa frontem dura, intenta, arida: & color totius vultus viridis aut niger.

MAlum hoc indicium primum adscripsit, nasum compressum. Sed oportet, vt docuimus, cõferendo cum natura cuiusque, talia considerari. nam si natura simus est, nasus prorsus compressior apparebit, quemadmodum si aquilinus aut etiam subrectus est. Ita vero considerandum est vt inquãtum à naturæ forma recessit, intãtum ipse prauus existat. Itaque compressus nasus plane apparet in ijs qui longiore morbo extenuantur, aut præ dolore conflictantur, aut quouis modo exsoluantur, aut animo linquantur, & item omnibus defunctis. Et ob eam rem quis merito colliget epilogismo, communi omnium hominum vtẽs ratione, prauum esse indicium, quod per malam existat affectionem. Cęterum quænam sit talis affectio per quam nasus comprimitur, dogmaticę iam contemplationis munus est indicare, quam depræhẽdi tantummodo analogismo conueniet. Analogismus vero ratio est quæ ab euidenti auspicatur, rei obscuræ faciẽs cognitionem. Epilogismus vero communis ratio est, & omnium assensu conspecta. Sed primum epilogistice de singulis consideremus indicijs. rectius enim erit ex confessa cõmuni'que oĩm hoĩm ratione facere initialem doctrinam, quàm statim inter initia venire ad analogismum.

HAec quoque indicia omnia circa vultum existũt in morbis diutinis, & doloribus, & animæ defectionibus, & multo magis in morte. Epilogistica enim ratio facillima est, vt dissimilia naturę, mali cuiusdam obtineãt significationem. subieci enim statim ab initio, id quod cõfessum, conspectum'que est, vt maxime cõtraria naturæ, exitiosa: similia vero, salutis indicia habeantur.

tur. Itaque hæc à nobis de eis epilogiſtice dicta ſint. nam poſt, exquiſita ratione de omni eorum natura conſiderabimus. Fiunt ergo tales affectiones, aut ob aliquã cauſam conſumentem & corrumpentem partes animalium carnoſas, aut ob debilitatem natiui caloris; qui non inſuper extendi in extremas corporis queat partes: ſed in viſceribus ſolis exiguus obſeruetur. Porro huic ſcilicet comitatur affectui, vt nõ præterea affluat ad extremas corporis partes tantum ſanguinis aut ſpiritus, quãtum antea affluebat habẽtibus per naturam. & ob eam rem in vultu maxima mutatio naturalis habitus liquido apparet. Cum em̃ partes oſſeæ & item carnoſæ & humidiores inter ſe adiũctæ ſint: tum autem oſſeæ ſubſiſtãt ſimiles, vtpote tenaciores: carnoſę vero humidiores'que conſumãtur facile, & collabantur in eas ob inopiam ſpiritus & ſanguinis: facillimus cognitu affectus eſt. Naſi enim circa ſolas pinnulas nomine ſubſtantia, carnoſa: ſubſiduum vero omne, oſſeum eſt. Merito igitur quoties pars carnoſa conſumpta aut vacuata cõſidat, extremum eius tenue redditur: pari modo quoties vehementer refrigeratur: quod iam defunctis accidit. Stipata enim per refrigerationem ſubſtantia carnoſarum partium, gracilentus in ſummis merito redditur. Non em̃ alium quẽdam naſum vocamus compreſſum, quàm qui gracilentus in ſummis exiſtat. Igitur ad hunc modum naſus compreſſus apparet. Caui præterea fiũt oculi propter eas ipſas cauſas. ſed quãto humidiores molliores'que ſummo naſo ſunt, tãto citius cauantur. Quinetiam ſpiritus copiam animalis participant, & item caloris non parum habent: quibus deficientibus, merito contrahuntur. Id vero, cauum oculorum eſt. Tẽpora ſimiliter aſtringuntur, propterea quòd ſola reliqui capitis muſculos habeant: quos nominãt à temporibus crotaphitas: reliquum vero caput omne prorſus carne vacat. Aures frigidæ & contractæ; quia chartilagineæ carne vacãt, exangues habẽtur. Itaque celerrime refrigeſcunt, vt quæ ſuapte natura ad affectum inſtructiores paratiores'que ſint. Sed quam ob rem fibræ earum verſæ ſunt? An quia molliorem obtinẽt ſubſtan-

tiam, non queadmodum subsiduum omne, quod inquam tenuis chartilago exquisite est tenuiore intecta cute? Quã ob rem de prædictis causis fibræ extenuantur, vertuntur, siccantur, stipantur: ita vero affectæ retrouersus tendũtur magis ad originem præbentium illis sensum neruorum. Etenim conuelli, cũctis corrigijs exsiccatis commune est: proprium vero vnicuique in corpore parti, est illo verti & conuelli potius, vbi innexorum ei neruorũ initium est. Id enim in digitis plane intueri licet. si enim intimus tẽdo ab aliqua causa afficiatur, digiti perspicue inflectuntur. si extimus, attenduntur. cęterum ob eam ipsam siccitatem stipationem'que cutis, omnis circa vultũ omnem duriuscula apparet & intenta. Affectus vero manifestius apparet circa frõtem: quia carnosa substãtia tenuior hac in parte cuti subtenditur. de prædictis vero causis carnosa natura afficitur magis quàm quæ cutis institutione cõsistit. At vero coloris mutatio pessima est, quoties ad nigrum existat: vtpote sanguine refrigerato: quemadmodum vbi foras effusus sanguis cõglobatur. moderatior vero, quoties in chloron, id est viride fuerit. Veteres enim assolet ita nominare nõnunquam pallidum colorem. Interdum, vt plerique, brassicam & lactucam chloros, id est virides nominant. qui quidem color, nigrior est quàm rubidus: est etiã tanquam initium quoddam nigri liuidi'que, quem frigus perinde quasi nigrum effecit. Quocirca vultus in quo oĩa prædicta habẽtur, exitiosus merito nominatur. is'que per morbos longiores sæpenumero videtur. Raro vero inter initia apparet: & ob eam rem cum maximo periculo est: vt qui nullam abs tempore causam habeat. Longo enim interposito tempore consumi corpus, & item refrigerari partes extremas, haudquaquam mirabile est. Inter initia vero præsertim acuti morbi prorsus exitiosum censetur: nisi ob aliquam aliam causam talis extiterit. Cęterũ quænam committere causæ eam rem possint, ipse procedẽte dictione docebit. Nunc vero rem adijciendam quam videtur Hippocrates omisisse, prius audi. Vt enim per morbos diutinos talem fieri vultum nõ admodum exitiosum

est: ita nec in terra frigida, hyeme, conditione frigida, senecta: quemadmodum per sententias indicauit: Per morbos minus periclitantur ij quorum naturæ morbus conuenit, aut ætati, aut habitui, aut tẽpori, quàm quibus non cõpetit aliqua ex his ratione.

X

SI igitur inter initia morbi talis fuerit vultus, necdum scrutari aliis signis possibile sit, interrogare oportet num vigilauerit homo, an aluus resoluta admodum fuerit, an fame affectus: & siquid horum comprobet, minori cum periculo est. Indicantur vero talia per diem & noctem, si ob has causas talis fuerit vultus. Si vero nullum horum dixerit, neque prædicto tempore destiterit: signum esse exitiosum sciendum est.

SVmme exitialis & insanabilis morbus est per quem statim inter initia vult9 exitiosus sine exteriori causa extitit. Minori vero cum periculo est, si propter aliquam causam euidentem acciderit: verbi gratia: propter vehementem insomniam, aut inopiam alimenti, aut alui fluorẽ. Pręstat enim ne ex his causis quidem nimium exsolui vires inter initia ægrotationis. Minori vero cum periculo est quoties ob aliquam talem causam extiterit, nõ ob maleficentiam ęgrotationis. Sed quęnam sit affectio corporis in qua talis vultus efficitur statim primis diebus, perspicue breuib9 tibi iam explicabo. Vbi debilitas detentoriæ in animalibus facultatis pariter sit, atque humores tenuiores cum febre calida, præ debilitate excernitur subinde aliquid inuisile propter tenuitatẽ extra cutem, vtpote tenuioribus humoribus effluentibus. At vero febris etiam magis consumit tenuissimos humores: minus vero tenues extenuat, ita vt nunquam vacuatio desinat, sed simiLetur continuis vomitionibus, aut alui

fluoribus,aut ex vrina immodicis vacuationibus. Verum interest,quòd eæ sensib9 vsurpantibus: ea vero quam nũc commemoraui, prę tenuitate fluoris aciem frustratur. Talis ergo nequaquam consistit vultus in morbo pituitoso, quemadmodum nec per satietatem, propter exuperantiam sanguinis,sed inopiam potius esse oportet in corpore, & dolorem pręuenire & angorẽ. ex his enim humor colligitur biliosus. At vero si terra calida sit, & anni tẽpus æstiuum, & cõditio calida sicca'que, tãtisper tali affectione præhendi hominem promptius est, potissimum quoties biliosior fuerit ex natura. Quinetiã nõnulli facile discutiuntur, atque difflantur: alij vero ostiolum ventriculi debilem habent: quę omnia quoties simul concurrant,tale corpus propensissime præhendi potest affectione quæ vultum exitiosum cõmittat. Si igitur hęc quispiam agnoscit:non solum prędictionem, sed etiam curationem poterit inuenire, habens intentionem firmare vires, ventriculo idoneis alimentis. Sed hęc non parum extra itineris propositum dicta sunt. De causis exterioribus considerãdum exquisitius est. Hę sunt(quarum ipse nominatim habuit mẽtionem)fames:insomnia:fluor alui. Quibus adijcias licebit similia horum, vacuationem immodicam sanguinis è naribus,aut vulua, aut mariscis, aut vulnere,aut quouis alio modo: & item mœstitiam vehementem,quę quibus libeat causis constiterit. Sed forsan recta ratione aliquis dicet hęc dicta esse ab Hippocrate potestate in sermone qui est de insomnia. accidit enim insomnia etiam ob alias causas: accidit etiam propter mœstitiam, ita vt pro modo mœstitię sequatur insomnia: & ob id contineri eam merito dicitur. Itidem aluus admodum fluẽs,exemplum tibi cuiusuis immodicæ euacuationis erit. Si igitur diligenter verseris in operibus artis,peritus'que sis circa vniuscuiusque rei formam:sæpenumero apparebit causa quę talem vultum cõmittat. Signa vero earum dictu difficilia sunt: & ob eam rem tradere ea sermone,quãquã plerique nouerint medicorum,refugiunt. Sed omnia proprijs & suis locis à nobis explanata iam sunt. Quapro-

pter ipse quoque postquam didiceris ea, poteris interdum ingressus ad ęgrum pronunciare de causa quę talem vultum cõmisit, sed potissimum vbi pręcedentem omnem victus rationem noueris ęgri: considerans pręterea de tẽperamento eius: & multo magis vbi peritiam habeas de motu arteriarum, & qualitatis febris. Subijciamus enim aliquem, gratia exempli, tempore æstiuo, per conditionẽ calidam & siccam, biliosum ex natura, adolescentem, ex conflictatione, inopia & mœstitia, incepisse ęgrotare: sitque calor eius, tangendi sensum admodum mordens, & vrina biliosa: & pulsus, virium indicans debilitatẽ. suspicare talem pręlatam fore conditionem, ob quam vultum cito sit habitur9 exitiosum, propterea quòd antea nequaquam congrue vixit. Itaque si non sint talia circa ęgrum, neque fuerint, neque primo die vel secundo existant, tertio vero ingredienti tibi vultus appareat qualis nunc dictus ab Hippocrate est: scias hunc propter aliquam causam exteriorem ita affectum. Igitur apud te considerabis quidnam potius in eo extiterit, num secretio aliqua multa, an insomnia. Ex inopia enim non erit talis vniuersim, nisi pręuenerint talia in morbo qualia dicta iam sunt, atque ex natura fuerit talis qualis dictus est. Si igitur pridie videas ęgrum, haudquaquam latebit multam fore spontinã secretionem. firmissima enim eius indicia habentur, quæ à nobis in commentarijs de iudicationibus, & item libro de pręsagijs pulsuum explanata iam sunt. Quapropter licebit statim aspicienti hominem, definire vehementẽ extitisse insomniam. etenim videbis oculos eius admodum squalidos: qui non propter euidentes & ĩmodicas vacuationes, perinde vt propter insomniã tales reddũtur. Porro videbis palpebras resurgere difficulter, & item talem habere formulam in conniuendo, atque etiam & instabiles haberi, quales per somnum obstupidum (ita enim Coma interpreter) existũt. Quinetiam vbi nunc primum tibi appareat ęger, antea vero nullo pacto pspexeris talia signa: atqui pulsus aliquam afferent cognitionem. Per immodicas enim excretiones, seruabit aliquod (quãquam exiguũ

ſit)indicium formulę, ſignificans eas. per inſomniam vero,chordulę extētę ſpeciem referet. At ſi propter inopiam duntaxat in talem vult9 venerit affectionem,ex dictis indicijs neutra adſunt,neque inſomnię, neque excretionis. & ob eam rem potius ex accidentibus quàm ex proprijs ſignis, in illis prę ſagire cōueniet,propter inopiam alimē ti deductū eſſe eum in talē affectionem: & adhuc magis, quoties febris,proprietatem caloris diſcutientis, exquiſita ratione conſideranti tibi nequaquam importet. Si enim talis appareat, ob illam potius quàm ob exteriorem cauſam,gracilentum ita videri vultum exiſtimādum eſt. Cęterum conuenit immorari diutius attrectando omnē manum, non ſolum volam ęgri, ſed etiam ſuperiores partes diligenter animaduertentes, ſi non ſolū acriorem,ſed etiā ſi ſubſtantię copiam vnà ſecum,& quidem corpulentam reportet, veluti flammulam quandam peruadentem cutem tuę manus qua cutem ęgri contingis,ſe inſinuantem perſpicue in profundum. Tales enim febres ſunt quæ vultum iſtiuſmodi committunt. Hæc igitur (vt docui) dici quidem poſſunt difficulter: non tamen omnino dici non poſſunt,neque difficulter agnoſci ab ijs qui circa ea exercitati ſint,qui'que viderint talia ſæpenumero à me omnia prę ſagiri: ſed multo magis ſi ſtuduerint agnoſcere operibus ipſis, quęcunque in commentarijs de præſagijs edocti ſunt, eo quòd videant quidem talia prædici, vt fieri poſſint, re ipſa diſcentes, non reprobantes vero prius quæ ab initio videntur cognitu difficiliora. Nam geminos fratres ſimillimos quidem, ſemel aut bis videndo, nequaquam interſtingues: ex neceſſarijs vero nullus hallucinatur. Hæc igitur dicta ſunt ad cohortandos iuniores: ſed potiſſimum eos qui nūquam prędici hęc omnia à nobis perſpexerunt. non enim ſolum inſomniam dicere debent,ſed etiam vt propter mœſtitiam tale quid extiterit. Non enim Eraſiſtratus videns coruos aut cornices volantes, deprę hendit adoleſcentis amorem, nec (vt quidam dixerunt) amatorium pulſantes ſenſit arterias adoleſcentis: (nullus enim pulſus proprius amoris eſt) ſed quem-

admodum apparuit interdum etiam mihi, iniicienti manum volę ęgri, muliere vero quadam visa domi, statim iniquus pulsus atque inordinatus euasit: paulo vero post ad habitum naturalem, simul recedente muliere visa, rediuit. Ita enim mutatus pulsus, communem quendam significat perturbationis affectum in animo fuisse ægroti. Perturbationem vero talem interstingui conueniet ex iis quæ dicuntur ab eo pariter aut videntur. etenim rursus, dictis quibusdam, pulsus vertitur ad iniquitatem, perturbato ægro ob ea quę audiuit. Sed de his seorsum à me scriptum iam est dicato opere, cui titulus est de pręsentiendo. Nunc vero ad institutum redeamus. Illud agitabatur, vt multa de præteritis & item præsentibus coram ægro potest medicus dicendo commendari, velut ea quæ nunc dicta sunt hac oratione: insomniam: alui fluorem: famem. At vero interdũ ex his vnum definite dicere difficile est: sed è duobus alterum, aut è tribus vnum prorsus possibile erit firmiter præsentire. At vero id quoque laudem feret apud audientes, interrogando, pręsensiõe facta ad hũc modum: Num ob insomniam vehementem, an alimenti inopiam attenuatus est? Sæpe enim comprobant vtrunque, & demirãtur bifariam medicum: interdum alterum eorum respondentes ita quoque demirantur. Id igitur ab Hippocrate dictum est: Interrogare oportet num vigilauit æger, an multa deiecit, an famescat. Deinde quod dicit: Et si quid horum comprobet, minori cũ periculo est: merito. melius enim est adeò fortem esse facultatem vt à nulla causa exteriori vincatur. Minori vero cum periculo est, si ob aliquam talẽ causam, ne ob maleficentiam ęgrotationis talis cõsumptio existat. At vero quia possibile est vt ambo concurrant, tum causa aliqua exterior (vt dixi) afficiens corpus, tum etiam febris consumens, interstitio erit tibi de subsequenti die nocte'que. Si enim ab exteriori causa sola, qualis dictus est vultus extiterit, castigationẽ per diem & noctem adipiscetur. si vero ex affectione in corpore: aut permanebit talis, aut etiam deterior erit. Itaque cõstat vt hæc omnia ab Hippocrate recte dicta sint.

Sed quam ob rem dixit: Si igitur inter initia morbi talis fuerit vult9: necdum scrutari aliĳs signis possibile sit, deinceps consideremus. Duorum enim alterum est, aut quia non accidunt inter initia morbi, aut quia nihil firmum denunciant, nequaquam possibile est talib9 vti signis ad res dubias definiendas. Ego igitur dico non semper fieri talia: nec si fiant, firmum aliquid indicare. Ceterum vt ita se habeat, in enarrandis illis docebo.

XII

SI vero in morbo vetere iam triduo talis fuerit vultus, de iis interrogare oportet de quibus antea monui alia quoque signa esse cõsideranda, quæ in toto corpore, atque etiam in oculis existant.

PRincipĳ nomen significat primariam morbi accessionem, quę nondum vllam obtineat latitudinem: & item eam quę ad aliquod tempus non tamen multum extendatur: necnon primum ęgrotationis tempus, à quo alterum numerant ascensum, deinde tertium consistendi vigorem, & demum quartum inclinationem. Cum itaque dixerit paulo ante, Si igitur inter initia morbi talis fuerit vult9: per illam dictionem nequaquam indicauit cuius'nam de tribus principĳs faciat mentionem. Nunc vero scribens, Si vero in morbo vetere iam triduo talis fuerit vultus: clare docuit vt de eo agat quod habeat latitudinem. id enim ad triduum vsque porrigitur. Ergo tantisper ĳs quę docuit antea signis, existimauit addendam esse ductam ab aliĳs signis finitionem, de quibus dixerat, Necdũ possibile sit aliĳs scrutari signis.

XIII

¶ De signis quę in oculis existant. Ca. IIII.

SI enim lucem effugiant, aut nolentes illachryment, aut peruertantur, aut alter altero fuerit minor, aut candidũ

rubidum habeant, aut liuidas aut nigras venu-las, aut pituita appareat circa obtutum, aut subli mes tumidi've oculi vel caui admodum fuerint, vel totius color euariet vultus: hæc omnia mala esse atq; exitiosa censendum est.

HAec omnia accidentia in cōmune præter natu-ram sunt: sed dissidēt inter se, eo quòd quædam cōtrariam naturæ: alia vero, vt ipse antea dixit, maxime contraria existunt: & ob eam rem ex communi epilogismo, omnia quidem exitiosa existimabuntur, sed pro quantitate contrarietatis, minus'q; & magis id obti-nebunt. At vero affectiones ex quibus eueniant, secundū sequelam decretorum Hippocratis, rectius est deinceps considerare. Itaq; refugere lucem, quod inquā est auersa-ri, propter debilitatem accidit visoriç facultatis. quæ non-nunquam affectione laborat opificiorum, veluti per lippi tudines. interdum ipsa ex se afficitur, dum exitiale indiciū est. Pari modo si oculi illachrymant propter lippitudinem aut fluxionem aliquam de capite decumbentem, præter naturam quidem affectus est: non tamen omnino signifi-cat abolitionem. si vero propter debilitatem detentoriæ facultatis, exitiosum indicium lethale'q; est. Porro peruer-tuntur oculi, conuulsis musculis eos cōmouentibus. quod si fuerit illorum tantūmodo affectus, nihil difficile signifi catur. si vero principij neruorum, (quod quidē cerebrum est) summe exitiosum est. propinquantes enim musculi, principij affectum prius quàm cæteri persentiscunt: in-terdum ij qui in oculis sunt, de quibus nunc dicit: quādo-que crotaphitç, id est musculi temporū nominati, de qui-bus libro de articulis indicauit. Quinetiam fieri alterum oculum minorē quàm qui constet ex natura, accidēs exi-tiosum habetur. indicat enim extingui facultatem regen-tem eū. At vero albamentū oculi apparere rubrum, (quo modo per lippitudines quasdam accidit, & item quasdā temulentias) copiam significat quæ in cerebro ac mēbra-

nulis fatiget:interdum etiam inflammationem quæ in eo infestet. Nam vtrouis modo sanguis ad oculorũ venulas exprimitur:& ob eam rem pars in eis candida,rubra apparet,quę coralla appellata ambit circiter:quã per dissectiones docuimus omniũ in oculis mẽbranularum tunicularũ'q; copulã quãdam haberi.& item docuimus vt ambientis caluam mẽbranulę terminus,ad eam vnà cum venulis permeet.Cæterum vt ob hæc dixerit candidum fieri rubrum,perspicue indicauit ex ĳs quę subinferẽs ait, Aut liuidas,aut nigras venulas habent. id vero perquã exitiosum censetur.Rubrę enim apparẽt venulæ etiam propter nimietatem (vt dixi)vel inflammationẽ quãdam quæ in cerebro fatiget. At vero nigrescunt & liuent refrigeratæ. refrigerãtur vero extinctæ.ita fit vt hi colores prorsus exitiales assidue existãt. Cæterum pituita accidit oculorum, vt constat, tum ob affectum opificiorum,quẽadmodum per lippitudines:tum etiam aliter:quę nullo cum periculo est.porro accidit propter imbecillitatẽ regentis oculum facultatis naturalis, quę impos est oculorum concoquere alimentum.pituita enim (vt ostẽsum iam est) excrementum semicocti alimenti est. Ergo per lippitudines prę copia humoris præter naturam, & item propter affectionẽ opificiorum, verisimile est nequaquã concoqui recte alimentum eorũ.At vbi inopia perspicua est,quam cauum indicat oculorum:causa de nimietate prorsus recedit, sed restat virium debilitas sola, non quælibet,sed admodum vehemẽs,quæ nec minimũ quid alimenti oculorũ abunde cõcoquere potest.Quinetiam sublimes oculi,id est instabiles & subinde cõmoti, significant aut delyrium, aut tremorẽ circa musculos eorum. è quibus alterutrũ per relatam affectionẽ exitiosum habetur. Profecto delyriũ ex inopia,maximo cũ periculo est: & item tremor propter ariditatẽ opificiorũ,insanabilis est. At vero tumidos oculos,aut admodum cauos detestatur.Itaq; tumẽtium accidens oculorũ,inter initia quoq; fatigat ægrotationis:maxime'q; vomẽtibus ex copia,ingesti vini cibi'q;:caui vero admodum oculi nequaquã fiunt: & ob eam rem neutrũ

cōmemorauit accidens inter initia, dum ait: Nasus compressus, oculi caui. Hoc quidē ea ratione, quòd nullo pacto appareat in vultu exitioso. Nā quo pacto pariter caui tumidi'que oculi erunt? Illud quia nullo modo tantisper eueniat. Atqui videntur ea quæ dicta sunt de oculis tumidis, cum prædictis pugnare. Cum enim dixerit de vultu exitioso, nasum cōpressum, cauos oculos, tum autē talia definiendo: ĳs quæ triduo iam appareāt, tumidos nequaquā recte adiecit. Sed quod mihi videtur ab Hippocrate factum, hac oratione iam explicabo, permutando omnem eius sermonē in hanc dictionē: Si vero morbo vetere iam triduo talis fuerit vultus, de ĳs interrogare oportet de quibus antea monui: alia quoque signa consideranda quę in toto corpore atque etiam oculis existant. In oculis vero signa exitiosa iam triduo talia sunt, si lucem refugiunt, si lachrymāt, si peruertūtur, si alter altero fuerit minor, & candida pars in eis rubra appareat, si venulas habent aut nigras aut liuidas, aut pituita angulis inhęrescit, aut sublimes sunt, aut tumidi, aut admodum caui, aut totius vultus color euariat. Hæc enim omnia exitiosa habentur: & quicquid horum existat circa vultum prædictū, indicium non paruum est futuræ mortis. Igitur ad hunc intellectum (vt mihi videtur) numerantur cum cæteris signis quęcunque in vultu exitioso pariter existere queunt, atque etiam tumidi oculi, qui simul existere nequaquā possunt: quia nō solum instituerat dicere quæcunque simul sint cum vultu exitioso, sed etiam ex signis exitiosis quęcunque circa vultum apparent. Quocirca si non vnum solum, sed etiam plura de prædictis non possint esse in vultu exitioso, nulla pugna erit in sermone eius qui de prauis signis omnibus faciat mētionē. Cęterū vt recte dixerit, necdum possibile sit aliĳs scrutari signis: considerandū iam est vno capite communi tali. Vnūquodque ex prædictis, aut non accidit inter initia, aut non ex toto exitiosum est. Sed seorsum singula consideranti tibi, videbitur id quāmaxime verū. Igitur ex multa vini potione, nonnūquā & vomitiōe vehemēti, inter initia morbi lucē effugiūt: itidē lachrymāt, & peruer-

tuntur oculi, aut sublimes fiunt, aut tumẽt, aut venulas habent rubras. At vero in colorem nigrum aut liuidum mutatio venularum, nũquam accidit inter initia, quo modo neq; insigne cauum, neq; pituita oculorũ, sed triduũ aut quatriduũ (quod nimiũ fit) in geniturã taliũ desideratur.


XIIII

CONsiderari conuenit hunc in modum suspectiões etiã oculorũ per somnũ. Si quid enim candidę partis subapparet commissis palpebris, nec alui fluor aut medicamẽtũ in causa est, aut nec ita dormire cõsueuit: vitiosum indicium exitialeq; admodũ est.

DE verbo suspici, suspectionis vocabulũ fecit, cuius pluratiuũ hypophasies, id est suspectiones exiit: a quib9 per diuisionẽ ionicam hypophasies, id est suspectiones formãtur. Cæterum non satis noui qua ratione adducti Artemidori & Dioscoridis sectatores scripserint hypophasias cũ v. Quod igitur est ab Hippocrate dictũ, clarum est. Ipse enim enarrauit quidnã appellet suspectionem, dicẽs: Si quid enim subapparet candidę partis cõmissis palpebris. atq; etiã adiecit definitionẽ ad exquisitiorẽ sermonis cognitionẽ, dicens: Neq; fluor alui, aut medicamentũ in causa est. Sed subaudiri oportet cætera quoq; quę vim eandẽ obtineãt. Vno enim capite cõplexus, dixeris accidens id propter imbecillitatẽ fieri mouẽtis palpebras facultatis: quod inquã exitiale est, quoties sine causa constiterit exteriori. Hæc vero talem habent scilicet oportet vim, vt vires exsoluant. Verbi gratia, alui fluor, aut purgatio ex medicamẽto purgante vehemens, aut mœstitia vehemẽs, aut insomnia, aut inopia alimẽti, aut sanguinis fluor multus, aut simpliciter quæuis alia immodica vacuatio. Cæterum cõnumerare Hippocratẽ (vt pauloante dixi) omnia exitiosa signa, nõ solum quęcunq; in vultu exitioso habeantur, indicauit hac parte, adijciẽs; Nec alui fluor, aut medicamentũ in causa est. Prædixerat

enim in vultu exitioso talem finitionem, an aluus admodū resoluta fuerit. Resoluta enim aluus, cōmune quoddā est fluoris alui, & itē medicamēti. Sed quoniā rursus aliūde orsus omnia exitiosa percenset indicia, merito cuiuis eorum proprias definitiones apponit.

XV




SI peruertitur, aut liuida palpebra est, aut labrum, aut nasus cum aliquo alio signo, mortem prope esse sciendū est.

IN multis codicibus ita legitur initiū orationis, in aliis vero, pro peruertitur, distrahitur scriptū est: ita vt ex voce, palpebræ cōtractio significetur, velut ea quæ propter algorem refrixerūt. Id igitur indicium est mortis, queadmodum liuida. Si vero, peruertitur, tentionem quandā conuulsificam, aut resolutionem in altero ex musculis oculos claudētibus indicat: vtrūq; exitiosum censetur, quoties alia indicia suffragantur, queadmodum indicauit, tanq̄ hæc sola nequaq̄ sufficiāt denūciare mortē.

XVI

¶ Quomodo oporteat cubare ægrū. Cap. V.



CVbantem offendi ægrum a medico oportet in latus dextrum aut sinistrū, ac manus, ceruicem, & crura paulum reducta habentē, & omne corpus molliter positum. Ita enim plerique beneualentium cubāt. at ita cubare vt sani solēt, saluberrimū est.

ID quoq; testatur numerari ab Hippocrate signa exitiosa hac tota libri parte. constat enim vt nobilissimus vir nūc nō ab alio principio de signis in toto corpore doceat, sed ea copulat prædictus. Cum enim antea dixisset in vultu exitioso etiā alia signa considerāda esse quæ in toto corpore atq; etiā oculis existant, deinceps omnia inter se copulādo persequitur. Id vero q̄d dicitur, oportere offendi ægrū à medico cōsiderante non cubantē

supinum ceu quendam resolutũ, sed in alterũ latus, prout melius illi adfuerit, idcirco bonũ est, quia robur indicat facultatis per musculos firmantis corpus, quomodo rursus debilitatem vbi cubare in latus nõ queat. Verũ ipse Hippocrates adiecit orationi cõmunem epilogismũ dicẽs: Ita enim pleriq; beneualẽtium cubant. scilicet potissimũ tantisper dũ medicus ægros cõsiderat. Rectius enim est subaudiri in oratione proditũ ab eo potestate per dictionem dũ ait, Cubantẽ offendi ęgrũ à medico oportet. Nõ enim simpliciter in latus ait oportere hominẽ cubare, sed à medico offendi cubantẽ ita. Porro adiecit, Ac manus, ceruicẽ & crura paulum reducta habẽtem. Id enim consuetũ plerisq; beneualentium est. Quinetiam adijciens verbũ pleriq;, apposuit finitionem quãdam alterum habentem caput alijs multis vtile pręsagijs, cuius meminisse cõueniet, licet interdum omissa sit. At vero quid'nam illud sit, iam explicabo. Quęcunque in ægris priuatim præter cęteros peculiaria sunt: hæc haudquaquam veluti superuacua cõsiderari oportet. Si enim offendas ęgrum vt pleriq; beneualentium cubantem, diliges talem iacentis habitũ. Si vero econtrario, non conuenit continuo horrere quasi malũ indicium: sed requirere vtrũ in consuetudine sit talis ęgro figura. Cæterum quod est dictũ, molliter positum offendi corpus, exaduersum intento proditum est. Quatuor enim mẽbra, id est crura ac manus paulum reducatur, & omne corpꝰ iaceat oportet, extra immodicos habitꝰ cõstitutũ. Intelligo habitꝰ immodicos, quoties aut summe extendũtur, aut immodice inflectũtur mẽbra, aut spina, cuius partes vertebrę quoq; in ceruice existũt. Igitur immodici habitꝰ, extentis admodũ neruis efficiũtur, quomodo libro de motu musculorũ definitũ iam est. Qui vero inter habitus immodicos incidit, nequaq̃ intẽtus est. Quocirca talẽ vocauit mollẽ, quia corpora molliora intẽdi nõ solẽt.

XVII


Vpinum vero cubare manibus & cruribus extentis, minus bonum est.

TAlis iacentis habitus omnino bonus nõ est:proindeq́ue nec minus bonus est. Si enim omnino bonus non est:vt talis habitus minus bonus sit, fieri qui potest? Cæterum vt id bonum non sit, ipse postea docebit hũc in modũ, Si vero ꝓcliuior fuerit, & subinde ad pedes dilabitur, maiori cum periculo est. Tãquam eñ prędictus habitus cum periculo sit, ita dixit de eo, Maiori cum periculo est. At vero mihi videtur vt talis iacentis habitus, neutris adnumeretur indicijs, quę nec ad sanitatẽ vim habeãt insignem, neque ad mortem, sed aut integre media sunt, aut parum ad alterũ tẽdũt, ita vt qui negligẽtius loquuntur de eis, cum vtrisque cõferre possint, velut hoc loco Hippocrates dixit minus bonã esse talem cubãtis figuram, quàm quę est antea prodita: deteriorem vero quàm hæc ea quę deinceps dicta est: admonens hoc loco finiri oportere in omnibus locis, nũ consuetus sit æger cubare supinus. Si enim ita fuerit, nec admodum magnifaciat medicum ingredientem: tunc neque in medio mali boniq́ue habitus existimabitur, sed potius bonus. Si vero neque hac soleat cubare figura, & admodũ vereatur medicum, non bonum indicium est: sed potissimum si fuerit pudentior ex natura. Quocirca talis iacẽtis habitus, in medio boni maliq́ue collocandus est, quantum in eo est, sed vtroqueuersum pro natura ægri transferendus est.

XVIII

SI vero procliuior est, ac deorsum delabitur subinde ad pedes, maiori cum periculo est.

QVemadmodum cubare in latus, quandam obtinet vim: ita erectius iacere, quomodo omnes cubamus. Et ob eam rem si in alterum colloces latus corpus defunctum, prorsus aut in partem pronam, aut supinam conuertetur: velut si illud accliue figures, ita quoque in pedes delabitur. Merito igitur prauum id dixit haberi indicium: quòd quidem extinctionem quãdam significet regentis corpus facultatis.


XIX


I vero nudos habeat pedes, nec admodum calidos:ac man⁹, collum & crura dispergat inæqualiter:malum est. Significat enim inquietationem.


Ptime finiuit orationem dicẽs, Nec admodum calidos. Per febres enim calidissimas vnà cũ cæteris partibus etiam pedibus ardescentibus, nudare eos ægri coguntur. Si vero febris non fuerit talis: nudare pedes, malitiæ est ægri vel inquietationis indicium. Porro si manus quoque pariter cum ceruice & cruribus non ex more componit, vt antea dixit, sed inæqualiter tales dispergit partes: malum indicium est. Dixit eñ significari inquietationem. Hoc vero nomen indicat illos cõflictari quouis iacentis habitu, necnon alium ex alio mutare. Quòd si ● præsente (vt docui) iacens æger, statim cõmutet priorem habitum ad alterum, pariter & membra dispergat inæqualiter, vel etiam ceruicis posituram: scias talem aut propter ventriculi vitium, aut propter virium debilitatem inquietari: colligens hoc etiã loco epilogismo ingenium ei⁹, vtrum mollior sit, & ad singula manus det promptius, licet perquam exigua, & peruincatur.

XX


I vero hianti dormiat ore, exitiosum est.


Ebilitatis hoc quoq; signum claudẽtium os musculorum est, quẽadmodum pauloante de musculis palpebras cõmittẽtibus explanatum iam est. Itaq; codex ita legitur, quẽadmodum nunc dixi. nam antiqui codices ita habẽt. Dioscorides vero aliter legit, ad hunc modũ: Si vero hianti dormiat ore, subinde male est. vbi duplex concurrit significatio. vna quidem, vt subinde hiet. altera, vt subinde dormiat. Vt igitur secundum mali sit, quãquam non hiãti fiat ore: planius indicauit per illam sententiam qua dixit: Somnus & insomnia alterutrũ si modum excessit, mali est. Sed primum dictum esse verisimi

le est, vt hiet tantisper dum dormit. Si enim hiet non dormiens, multo maiorem noxam significabit.

XXI

SI crura quoque supini cubantis admodũ reducta distractaque sint.

SIgnificantur crura quæ plurimum dispersa sint. ac talis iacẽtis habitus abhorret à ratione, ita vt indicet delyrium : quãdoquidem nullus ita cubare soleat, quemadmodum neque si circũplexa legantur. talis enim habitus absurdus est, si quis cubando supinus habeat crura reducta, & inter se circunplexa.

XXII

Q ũo cubare in ventrem malum sit. Cap. VI.

SI quis cubet in vẽtrem, nequaquam solitus ita dormire quo tempore sanus fuit: malo est. delyrium enim aut dolor circa ventris sedes significatur.

CRebro cõmemorat adiunctam his omnibus definitionem, vt secũdum consuetudinem aliquid accidat ægrotantis. Etenim nunc cubare in ventrem contra consuetudinem, aut delyrium significat, quẽadmodum in prædicta cubandi figura: aut dolorem quẽdam qui circa tales partes fatiget. cõstat enim vt multi talem eligant figuram, quorum in ventre dolor infestat.

XXIII

SI vero velit residere æger in ipso morbi vigore, in omni morbo acuto malũ: pessimum vero in pulmonia est.

QVi pulmonia infestantur, ĳ dicunt sentire magnam in thorace angustiã dum supini cubant: residẽtes vero, fieri spirãtiores. Decumbit enim ad spinam, per supinum iacendi habitum, pars in pectore thoracis, à qua pulmo arctatur, nec idoneum accipit aerem inspirando. per alios vero morbos, quoties vigent (id

enim maxime considerandum est, tanquam non sit teme re additū) exitiosissimum est velle ægrum residere in ipo consistendi vigore. Amāt em̄ tantisper maxime perpessi, immoti cubare: & si quis eos excitet, conflictātur. Itaque arbitrare, propter vehemētem spirandi difficultatem, aut inquietationem, aut delyrium, residere ægrum aggredi per consistendi vigorem ægrotationis.

XXIIII

Quam malum sit stridere dentibus ægrum in febribus. Cap. VII.

SI quis strideat dentibus, nō consuetus a pueritia ita efficere: insania significatur ac mors. sed in vtrisque futurū prædicere periculū, necesse ē. Si vero mēte cōmotus ita efficiat, admodū exitiosum iam est.

STrident dentibus, quoties musculi in temporibus & maxillis modo conuulsionis commouētur, interdum affectis musculis dūtaxat, aut ab ortu naturæ, aut propter aliam aliquam causam posteriorem, nōnunquam origine neruorum in eiusmodi affectionem deducta, de qua maxime cōuulsiones fieri solent. Cęterum agnoscere oportet initialē vniuscuiusque præparationem partis propriam: de qua alio loco fusius explanatum iam est. Nunc vero sufficiet semel dicere, præcipientes hoc loco reuocari in animum residuum disputationis, quo minus mireris fieri posse vt communi neruorum origine affecta, musculus aliâs alius tremore aut cōuulsione excipiatur. Vt enim clare videmus in quibusdam corporibus optimam inesse crurum pręparationem, in aliis deterrimam statim ab initio, ita vt hi currant ocyssime, illi vix stent, & item partes alias similiter affectas: ita facile offendi ab exiguis causis alios cruribus, alios summis pedibus, aut oculis, aut capite, aut alia aliqua parte, statim à principio sequitur opificiorum præparationes. Nihil igitur mirum videri debet si aliqui debiles habent musculos

qui oculos mouent: aliǯ vero eos qui maxillas mouēt.qua de re,nōnulli subinde strident dentibus etiam propter exiguas causas:illi vero subinde mouent oculos. Stridere em̄ dētibus ex natura,simile est affectui oculorum insito quibusdam,quem appellitāt equum,cum nullo tempore manere possint requieti,sed in modum intermiscentium subinde nictant. Cęterū per morbos febriculosos,affectū originis fieri conuulsionem,simile est rursus illi pręparationi musculorū in oculis,de quibus ait:Aut sublimes apparēt. In quibusdam enim corporibus citius accumbūt originis affectibus musculi oculorum: in aliǯs musculi temporum aut maxillarum. Merito igitur dixit accidens illud significare insaniam aut mortem.Insaniam quidem,quasi mentis dixerit vehementem cōmotionem.Mortem vero,quia neruorum origo affecta est. Illud existimari potest,quonam modo supra dicens insaniam significari,mox dicat: Si vero mente cōmotus ita efficiat:admodum exitiosum iam est.Etenim perspicuum est,vt si stridere dētibus pręnunciat delyrium : adeò non desinet,vt vehementius fiat accidente delyrio,cum hoc quòd aliǯ quidam musculi tantisper in talem deducantur affectionem.Videtur ergo talis intellectus esse orationis:Stridere dētibus quib9 ab initio non erat consuetum,futuri delyriǯ accidens est.Si vero adeūdo interdum ægrum offendas vtrunque perpeti,delyrare,& stridere dentibus:hunc iam esse prope mortem arbitrare. Quocirca in priore sermone cum nondum cōmotus mente stridebat dentibus æger : similiter id ipsum indicabatur duntaxat vt insanię ac mortis indicium haberetur.vbi vero iam delyrat, pariter & stridet dentibus:in propinquo mors est.Id vero clare docuit adiǯciēs verbum iam.vt enim exitiosum sit accidens, priore docuit oratione.sequente vero , verbum admodum & iam adiecit dicens: Admodū exitiosum iam est,id est valde exitiosum: quod est quidē non multopost, sed cito moriturū ęgrum.

XXV

De vlceribus. Cap.VIII.

Ulcus, siue anteà extitit, siue existat: in morbo considerãdum est. Si enim moriturus æger est, ante mortem aut liuidum & siccum, aut pallidum & siccum erit.

SIccum erit omnino vlcus, quoties facultas nutriens corpus debilis habeatur. nullus vero color in eo semper erit: sed pro diuersitate humorum in corpore, & itẽ pro mensura lœsionis euariabit. Si enim biliosus humor exuperet, croceus erit color. si nigribiliarius aut liuidus aut secũdum alteram significationem, viridis erit. Antea enim docuimus vt chloron interdum pallidũ colorem, interdum viridem significet: ex qua significatione solemus brassicam viridem nominare. Pari modo lœsio quoque maior, liuidum solet efficere colorẽ, vt qui nõ longe distet à nigro: minor vero, rubrum aut pallidum. Quocirca finem dictionis quidam legũt ita: Aut pallidũ & siccũ erit. alij vero illo modo, Aut viride & siccũ erit.

XXVI

De gesticulatione manuum. Cap. IX

DE gesticulatione manuum ita agendũ est, Qui in febre acuta, aut delyrio, aut pulmonia, aut capitis dolore, manus subinde ob os fert, aut frustra venatur muscas, aut colligit festucas, aut de veste euellit pilos, aut de pariete stipulas carpit: id omne malum, exitialeque est.

GEsticulationes manuum, id est functiões & motus, quos hoc loco commemorauit, ob imaginationem fiunt illi similem quæ per suffusiones contingit. Aegri enim per suffusiones, quęcunque vident in medio loco crystallodis (ita à glacie nominati humoris) & tuniculæ circa pupillam cornus similioris, foris sita esse existimãt: quia semper assueti sunt dum haberent per

naturam, res p mediū aerem intueri. Pari modo ꝗ de quibus Hippocrates agit ī febre acuta, pulmonia, delyrio, ac dolore capitis, intueri se tanquam foris sita credūt ea quę intus in oculis habeantur. Ostendimus enim vt spiritus visorius, vtpote splendēs, sibi medium assimilet crystallodis (ita à glacie nominati) & pupillæ humorem tenuem ac mundum, simillimum candido ouorum, quo per lippitudines vtimur. Porro diximus vt spiritus per hunc feratur humorem ex pupillę foramine ad aerem exteriorem vnà cum eo compactum. Hoc vero aere illustrato visus vtitur tāquam insito opificio, qualis in corpore neruus habetur. id'que docuimus seorsum dicato opere quo agitur de visu: necnon. xiiij. de demonstratione libro: atque etiā septimo de decretis Hippocratis & Platonis: & item decimo libro de vsu partium. Vt ergo cerebrum per neruū sentit affectionem digiti in pede, ita per aerem circunductum externa visibilia contuetur, quæcunque modice distant. Itaque suffusiones fiunt in hoc humore subsimili (vt dixi) candidę tenuiori'que parti oui qui inter pupillam & crystallodem (ita dictum à glacie) incidit. Ita fit vt per cruditates quoque nonnunquam visa similia suffusis contingant. Si enim restitit humor aut niget aut crassus prohibens digredi foras visorium splēdorem, ibi visa pro natura humoris consistunt: interdum pilorum quorundam aut subtegminis, aut staminis, quandoque culicis nigrescentis, aut musculæ quę volitare ob os videatur, quandoque rei similis lenti, aut milio nigro: Ita accidit per febrē acutam ac pulmoniam, exhalantibus ad caput in corpore humoribus. Humor enim ille in pupilla mundus, concipit exhalationem. vbi vero perturbatur, prædicta visa apparent: atque etiam per vehementē capitis dolorem. Vt igitur per delyrium præ capitis repletione redundans aliquis humor in oculos, eadem accidentia cōmittit, & euellere subtegmina, & colligere festucas, solita ab omnibus vocari medicis, per delyrium nomen inde traxerūt. Itaq; nonnulli tradiderūt nobis subtegminis & stipulę visa tātisper dum fiunt: & item qui postea meminerūt. At vero

duplex eorum differentia est. Quidam enim per ipsa sensibilia visa cœperunt delyrare, iudicandi facultate constante: alij vero propter eximiam prudentiam, attamē parua ex parte affecti, iudicandi facultate restiterunt retuleruntque vt vincant & repugnent, nec visis accedāt. Hi igitur indicarunt nobis quibus visis mouerant manus, vt Hippocrates scripsit. Sæpe enim videbantur illis subtegmina vestium eminere: atque in pariete stipulas adiunctas esse: sæpe vero & festucas multas impositas stragulis, atque etiam volare pusillas bestiolas prope oculos. has igitur venari aggrediuntur, circunferētes manus tanquam aliquid arrepturi. alia vero quæ videntur eminere, partim de vestibus carpere aggrediuntur: partim euellere de pariete. merito igitur affectiones talia committentes accidentia, censentur difficiles: quippe quæ febris acutæ, aut pulmoniç, aut doloris in capite sequantur magnitudinem. in delyrio vero, quia sedes princeps est affecta: cuiꝰ vniuersum genus exitiale habetur. in febre vero, & item pulmonia, atque etiam capitis dolore, propter magnitudinem: quēadmodum definitum iam est.

XXVII

De spiratione. Caput X

SPiritus crebrior significat dolorem, aut inflammationem quæ supra præcordia fatiget. Si vero spiratur magnꝰ, multo'que interposito tempore, delyrium indicat. Si vero frigidꝰ de naso & ore, admodum exitialis iam est.

HAnc omnem dictionem, secundo de difficultate spirandi libro, latius enarraui: quocirca nunc duntaxat capita rerum attingam. Spiritum hoc loco vocat vniuersam spirationem. qui si crebrior fit (ait) interdum significat dolorem, quandoque partium in thorace inflammationem, quę sunt cor ac pulmo, positę supra septum. Maiores enim prēcordia ac septum, idem ap

pellauerunt. Itaque per dolorem spiritus, quemadmodũ ostensum iam est, crebrior paruus'que est: per inflammina vero crebrior magnus'que. Hęc em̃ assolet nominare inflãmationes. At vero rara spiratio, hoc est multo interposito tempore, si magna est, indicat delyrium: si parua, extinctionem natiui caloris. Sed hanc affectionem significauit ex accidentibus, dicens: Si frigidus de naso & ore, admodum exitialis iam est. Cæterum vt de his spirandi difficultatibus fecerit hoc loco mentionem tantummodo de morbis agens acutis: item'que vt libro de morbis vulgarijs plures citauerit spirandi difficultates: secundo libro de spirandi difficultate perpensum iam est.

XXVIII

SPirationis facilitatem existimari oportet perquam magnam vim habere ad salutem in omni morbo acuto qui cũ febre infestet, & quadragesimo die iudicetur.

NAturalem spirationem appellauit spirationis facilitatem, significantem neque thoracem, neq; cor, ac pulmonẽ, neque pręcordia, doloris quãdam habere affectionem. Quinetiam partes quędam ĩs adiunctæ que mouentur per spirationem, dolore afficiũtur, & vbi pręhendantur inflammatione, & item quouis modo doloris trahant affectionem. Hæ vero sunt ventriculus, lien, iecur. Si igitur nulla ex his afficitur, neque caloris infestat copia adeò vt deuri inflammari'que videatur: sed neque econtrario vt iam extinguatur calor insit9; quo pacto non dixeris magnã spem subesse salutis in morbis acutis, in quib9 propter magnitudinẽ febriũ, aut ꝓpter inflãmationem ꝓprie noĩatam, pericula imminẽt? Itaq; lõgi morbi sine his, eo quòd vires exsoluãt, nõ sine piculo sũt: proinde'q; eos ab oratione excepit, ac de solis acutis definiuit. At vero cũ duplex genus horũ habeatur: siquidem nõnulli simpliciter ac primum vocãtur acuti, quidam ex

conuersione: de vtrisque docuit dicẽs: Qui cum febre infestet, & quadragesimo die iudicetur. Adiecit enim, qui cũ febre infestet, vt eum à conuulsione & distentione neruorum, & bilari disiungeret, & quicunque alij morbi sine febre acuti sunt. Quod vero dictum est, Et quadragesimo die iudicetur: vt connumeretur cum simpliciter propriéque acutis acutus ex conuersione: talis fit quoties inter initia acute ægrotet, tum autẽ quartodecimo die, aut etiam ante, nõ integre iudicetur. Sed quia supersunt quędam reliquiæ ęgrotationis, ex quibus ad quadragesimũ diem vsque morbus extẽditur. Vertitur vero per iudicationes imperfectas acutorum morborum, non solum in hos, sed etiam in alios diutinos, maxime marcorem, quartanam, suppurationem, tabitudinem, aquam intercutem. Verum Hippocrates excipit à pręsenti oratione etiam illos in solis simpliciter acutis morbis qui cum febre infestent, & item ex conuersione iu quadragesimum veniant diem, optimum esse indicium dicens spirationis facultatem, non in omnibus qui sine febri fatigent acutis, neque diutinis: ita vt tria sint omnia genera morborum quantũ in ipsam agitur temporis differẽtiam. Aut em̃ acuti sunt, qui quartodecimo finiuntur die, quibus diutini opponũtur: ambiguum vero & velut in cõfinio positum tertium genus, cuius terminus decretoriorum dierum quadragesimus dies est. Hæc igitur dico confirmare ea quę in ægris apparent, quòd si quis ea probet in illis ita se habere, naturam rerum agnoscet. At vero quicunque volunt significari numerum dierum decretoriorum ab Hippocrate dum ait quartodecimo die iudicari morbos acutos, adeõ nesciunt ea quæ maxime oportet eos scire, vt dictiones quoque vetustissimi medici nequaquam intelligant. Si enim quartodecimo die finiri morbũ, significat dierum decretoriorum multitudinem quanta sit: quadragesimo etiam die iudicari morbum, numerum significabit decretoriorum dierum. Quęrant igitur vt quẽadmodum quatuordecim efficiunt ad quadragesimum vsque, ita quadraginta nunc dies efficiant.

¶ De sudore. Caput.XI.

SVdor optimus est per omnes acutos morbos, si per diem euenit decretoriũ, & integre sedat febrem. Bonus etiam est si ex toto corpore prodeat, faciatq; vt æger ferat facilius morbum. Si vero nihil tale efficiat, nequaquam vtilis est. Pessimus vero est si frigidus egrediatur: & circa caput tantũmodo, vultum & ceruicem. Hic enim cum acuta febre, mortẽ: cum mitiore, morbi longitudinẽ indicat.

IN sudore optimo duo scribẽs indicia, tertiũ prę termisit, tãquã necessario sequatur ea quę dixit. Qui enim die euenit decretorio, & itegre sedat febrẽ: is quoq; ex toto corpore it. In bonis vero, nõ tamen optimis, prodire ex toto corpore, & aliqd morbi tollere scribens, nihil præterea adiecit de diebus decretorijs, tanquam id quoq; bonum rursus sudorẽ necessario comitetur. Cæterum tertius sudoris ordo censetur modice mali de quo dixit: Si vero nihil tale efficiat, nequaquã vtilis est: vt nec ex toto corpore eat, neque faciat vt æger ferat facilius morbum. Sed constat vt ex his ipsis peior sit qui neutrum horum efficiat: modicus vero qui alterum: & rursus ex his ipsis qui efficit vt æger facilius ferat morbum, moderatior est: quãquam non ex toto corpore eat: peior qui grauiorem exhibet morbum, licet in omne extẽdatur corpus. Sed omnis eiusmodi sudor calidus est: & ob eã rem nullo de tribus ordine indicauit eũ, solitus omittere quæcunque sequuntur alia necessario, & item quæcunque ex oppositione eorũ quæ deinceps dicenda sunt, demõstrantur. Omnibus vero in hoc sermone dictis sudoribus opponit frigidos, dicens ita: Pessimus vero est si frigidus egrediatur. & item cum eo malum esse dixit, si circa caput & ceruicem eueniat, licet frigidus nõ sit. Hic enim minatur

ſyncopen. Si vero circa tales partes, frigidus'ꝗ appareat, peſſimus eſt, quippe qui nõ inſuper fore, ſed iam eſſe ſyncopen indicet. Definiuntur vero vehementia febris. Nam ſi fuerit acuta, prorſus afferet mortẽ frigidus ſudor, licet ex toto corpore prodeat: & itẽ ſi circa caput ceruicem'ꝗ calidus eueniat. Si vero mitior febris eſt, poterit facultas nõ abſumpta prius ab acuta febre, ſpatio tẽporis prauos cõcoquere humores. Cęterũ de diebus decretorijs nõ inſuper docuit aliquid in alijs ſudoribus: atqui de optimo docuit inter initia, quia eſt vim quandam decretoriorũ dierum in eorum ſermone dicturus: in ipſa vero dictione pariter demonſtrauit. Vna enim eorum vis eſt, reddere firmam iudicationem, ſiue in bonum, ſiue in malũ finiatur. At vero agnoſci oportet prædictę finem dictionis, quem Dioſcorides ſcripſit ita: Peſſimus eſt ſi frigidus eſt, & circa caput ceruicem'ꝗ tantũmodo prodeat. Hic enim aut mortem, aut morbi longitudinem pręmonet. Sed cõſtat vt hæc lectio ſit quàm prædicta conciſior, tamen eandem vim obtinet: atꝗ addẽdum erit ab expoſitore id quod in prædicta ſcriptum iam eſt, Cum acuta febre mortẽ, cum mitiore longitudinẽ morbi. Cæterum deinceps alia quædam de ſudore ſunt ſcripta, nõ in omnibus codicibus, quę merito alij quidam ſuſtulerunt tanquam non ſint Hippocratis, atꝗ etiam Artemidori & Dioſcoridis ſectatores.

XXX

ℭ De iliis. Cap. XII.




Lia ſaluberrima ſunt ſi dolore vacãt, ſi mollia & æqualia ſunt dextra ac ſiniſtra parte. Si vero inflammatione vexantur aut dolore, aut intenta ſunt, aut inæqualiter affecta dextra ac ſiniſtra parte: hæc omnia animaduertenda ſunt.



Mnem aliquis orationem comprẹhendens, vno breuiſſimo capite dicet: Ilia ſi naturæ ſimillima ſunt, ſaluberrima ſunt. Particulatim vero docẽs

eorum indicia Hippocrates, primū scripsit ex ĩjs quę nō existunt. Hæc solent medici recentiores nō accidentia nominare: duo vero alia signa accidentia sunt in ilĩjs. Quocirca ilia dolore vacare, ex non accidentibus dictum est: mollia vero & æqualia esse, ex ĩjs quæ existunt. Sed mollia cognoscūtur quoties modice renituntur. illis enim opposita, vtpote vehementer renitentia, dura sunt. Cęterum æqualia non secūdum vnam intelligūtur qualitatem. fieri enim potest vt similiter æqualia sint, sed aut aliqua parte dolore vacent, aliqua dolore afficiantur: aut altera pars calidior, altera frigidior habeatur, aut subleuatior aut depressior. Opponēs igitur saluberrimis ilĩjs pessimorum & inæqualium signa, dixit: Si vero inflammatione vexantur aut dolore, aut intenta sunt, aut inęqualiter affecta dextra ac sinistra parte. Itaq; vexari inflammatione, de omnibus ilĩjs dixit. Significat vero verbū inflāmari, velut si peruri succendi igniri'q; proditum sit. Pari ratione dolore vexari, de omnib9 ilĩjs dictū est, quomodo intēta esse. id enim omnibus etiam ilĩjs tribuitur. At vero inæqualiter affecta esse dextra ac sinistra parte, quoties non omnia ilia eandem habeant affectionem, aut per caliditatem, aut per frigiditatem, aut per dolorem, aut per indolentiam, aut per gracilitatem laxitatem'q; & intentionem. Quandoque enim intenduntur ilia sine inflammatione proprie nominata, aut propter vehementem siccitatem non solum in illa parte, sed etiam in septo transuerso, costis, membrana, præcordĩjs: aut propter inflāmationem cū tumore ipsorum in ilĩjs musculorum consistentem sine inflammatione proprie nominata, quæ quidem tumor dolens est.

XXXI XXXII



SI vero pulsus in iliis insit, perturbationem significat, aut delyrium. Verum oculos talium conspicari oportet. Si enim crebro obtutus mouetur, expectanda insania est.

IN quibuſdam codicibus nõ pulſus, ſed ſubſultio legitur: ac perſpicuum eſt vt tale accidens ob ſpiritum fiat flatuoſum. Sed in multis codicibus legitur pulſus, aut qui ſimul cum magnis fatiget inflãmationibus, aut ſenſibilis ægro motus arteriæ in ſpina maioris: quemadmodum libro de morbis vulgarijs ſecundo dixit, Vbi vena in cubito pulſat, inſanum furibũdum'q; eſt. Conſtat enim vt pulſare de magna adeò & vehemẽti afferat motione arteriarum, vt antequam cõtingatur, innoteſcat interdum ægro duntaxat, quandoq; etiam deforis intuentibus. Sed quodcunq; horum fuerit accidens, ſignũ non bonum eſt. Maior enim arteria pars eſt maxime principalis: & item vẽter ac iecur: quomodo ſeptum tranſuerſum. At ex his prorſus vnum afficitur, ſiue ſubſultio, ſiue pulſus legatur. Septum vero trãſuerſum, delyrium infert promptiſſimum: quam ob rem maiores id præcordia nominauerunt: & item ventriculi oſtiolum, quoties inſigni afficiatur inflammatione. Alię vero partes ibi quę aliquã ex prædictis affectionem traxerunt, in periculoſam incidunt affectionem. Quapropter merito Hippocrates dixit vel perturbationẽ, vel delyrium ab eo accidente ſignificari. perturbationem quidem vno communi accidenti omnium periculoſarum affectionum: ex quibus non ſolũ ægri, ſed etiã medici perturbãtur. delyriũ vero ob ſeptũ tranſuerſum, & item ventris oſtiolum. Cæterũ de muſculis in ilijs conſiderãdum eſt. neq; enim neceſſario delyriũ, neq; periculum pulſantes ſubſultantes've inferunt. Non igitur magis proprie inaudire oportet verbum inſit, per dictionem qua dixit Hippocrates: Si vero pulſus inſit in ilijs: quippe qui velit pręalte in ilijs pulſum ſubſultionẽ've de vocula inſit, ſignificari. Verum conſpicari talium oculos oportet. Si enim crebro obtutus mouetur, expectanda inſania eſt. Cum perturbationem aut delyrium dixerit ab eo accidente ſignificari: nunc definit docet'q; quando delyrium, quando perturbatio ſola futura ſit. Definitio vero ab oculorum ducitur motione. Quos nõ ſolum hac in re, ſed etiam in alijs morbis omnibus in quibus inſpexeris ſo

re delyrium, exquisita ratione considerabis. Si enim insta biles apparēt, indicatur delyriū. Verū hoc loco nō simpliciter ait fore delyriū, sed insaniā indicans vehemēs quoddam delyrium ex prædictis indicijs affecturum. Porro vt oculorum crebra motio, delyrij firmet suspicionē, patere arbitror ex ijs quæ à nobis explanata iā sunt, vbi musculos oculorum diximus primos sentire cerebri affectiões. ipsum vero cerebrum septo transuerso & ostiolo ventriculi consentit, quemadmodum cæteris omnibus neruosis membris. Cum enim ex illo omnes nascantur nerui: quæcunque pars plurimis aut maximis participat, hæc merito in consensum originem eorum perducit.

XXXIII

¶ De abscessibus. Cap. XIII.


Vmor in ilijs durus & dolens, pessimus est si in omnibus ilijs fatiget. Si vero altera parte infestat: sinistra minori cum periculo est.


Vmorem solet Hippocrates nominare omnē molem prēter naturam: recentioribus medicis vocantibus vnam tantummodo molem quæ premēdo dolore vacat, & digitis cedit. Quam vero rursus medici recentiores proprie nominant inflammationē: hanc Hippocrates composita dictione durum & dolentem tumorem appellitat. Inflammationis enim vocabulum de inflammine afferebat. Itaque constat vt talis affectio si dextra affligat parte, periculosior sit, propter iecur: indulgentior si sinistra, propter lienem: exitiosissima si vtraque lacessit.

XXXIIII


Alis vero tumor ab initio, mortem breui fore significat.


Rędictus in ilijs tumor si durus ac dolēs est, à medicis recentioribus proprie nominatus inflamma

tio, mortem (ait) breui fore significat. At vero id, nisi aliquid intimum afficiatur, mendacium est. Constat vero vt intimum sit iecur, & item ventriculus, lien, & abdomen. Nam musculi in ilijs si inflãmatione laborãt, inferre mortem qui possunt? nisi sane raro, aut propter magnitudinẽ insignem inflammationis, aut propter virium debilitatẽ, aut etiam quia medicus male curet, aut quia æger aliquid committat. Itaque confusius indefinitius'que talem dictionem scripsit.

XXXV




SI febris trigesimum transcẽdit diem, & febris detinet, & tumor non desistit: in suppurationem verti contingit.



OMnis tumor præter naturam disiecto cõmitten te eum humore curatur. Ergo perspicuũ est vt nisi desistat, cunctantur humores, ac spatio temporis prorsus mutatio futura est aut per qualitatem interdum ad putredinem, quoties (vt in defuncto corpore) nihil ad eorum concoctionem natura molitur: interdum si vires valẽt, in pus. Itaq; merito Hippocrates ait, Nisi desistat inflammatio, & febris detinet ægrum, in suppurationem vertitur. Sedata enim febre, considerandum est num inflammatio aliqua duritiei similis infestet. Nam sępenumero euenit ita, vbi morbum cõmittentis humoris pars tenuior difflatur, crassior vero & sequax in amplitudine corporis affecti depacta sit. Cæterum quam ob causam vigesimum diem limitem statuit talium abscessuum suppurationis, libro de diebus decretorijs dicemus.

XXXVI



ACcidit his in prima circuitione, sanguinis e naribus fluor, atq; admodũ iuuat. Sed requirendum est num doleant caput, an hebetudines subeant oculorũ. Siquid enim horum fuerit, eo tendet.

QVia inflammationes in illis indefinitius commemorauit, per hanc quoque dictionem definire ipse videtur. Sanguinis enim fluorem fieri dicit è naribus, qui ex vsu admodum fit: id quod per inflammationes in iecore & liene fieri potissimum solet: de quibus alibi, fluere sanguinem recto itinere commēdauit: econtrario vero culpauit, docens ipse quid'nam econtrario intelligat: verbi gratia, liene gradiore fluere sanguinem è nare dextra. Sanguinis fluorem in prima circuitione fieri dixit decretoriorum scilicet dierū: ac legitur dictio bifariam, singulariter & pluraliter. Singulariter quidem, in prima circuitione: pluraliter vero, in primis circuitionibus. Si igitur legatur singulariter, septenariam indicat circuitionem. Si pluraliter, conuenit quoque septenariam intelligi circuitionē. In quibusdā em̄ sanguis secundo septenario effluit. Sed potius intelligi oportet in tali dictione quaternarias circuitiones. Nam in plerisque funditur sanguis primis septem diebus: paucis nono & vndecimo: rarissimis quartodecimo. Cæterum tendētibus sursum versus humoribꝰ, sanguinis fluorem fieri docuit, adijciens signa, capitis dolorem, & item hebetudines oculorum. Sed deinceps de eo latiꝰ docebit, quo loco nos quoque sermonem omnem de sanguinis fluore integre absoluemus.

XXXVII

SAnguinis fluorem in iunioribus potius quintum & trigesimum annum agentibus, expectare oportet.

DVctam ab ętate definitionē in pręsagium fluoris sanguinis docet. expectādum enim sanguinis fluorem esse potius in iuniorībꝰ quītum & trigesimum annum agentibus. etenim per hanc ætatem sanguis plurimus est, & item facultas valentior, atque etiam calor exuperans.

XXXVIII

SI vero mollior tumor est, nec dolet, & pressus digitis cedit: diuturniorem es-

ficit iudicationem, ac minori cum periculo est.

HIc est quem proprie medici iuniores appellant tumorem: de quo nonnunquam dixisse maiores sufficere volunt, mollis tumor: quandoque etiam adijciũt, nec dolens. Quoties igitur id dicere supersedent: tanquam vnà cum molliore significetur, omittũt. Mollis enim tumor dolore vacat. At vero nunc Hippocrates non id solum adiecit, sed etiam vt digitis cedat: qđ quidem in verbo mollior, contineri videtur: nisi velit intelligi eum qui pressus cauatur in foueam: quod quidem nõ cuilibet qui cedat pressus digitis, accidit: at vero id accidit cute extumescente: & quia omnis talis pituitosus cẽsetur, idcirco diutius immoratur, ac minori cum periculo est. Immoratur enim diutius, quia frigidior est. Calore eñ concoctio fit. Porro minori cum periculo est, quia dolore vacat. vires enim exsoluit dolor.

XXXIX

SI vero pręteреat sexagesimum diem, & febris detinet, nec desistit tumor: fore suppurationem hoc loco & reliquo ventre significat.

SVpra de tumoribus agens qui inflammationis institutione consistant, vtpote calidioribus: nisi febris desinat, à die trigesimo dixit fore suppurationem. Nunc vero de frigidioribus, sexagesimum limitem posuit suppurationis. At vero alij inter hos medij incidunt, quadragesimum diem habentes terminum suppurationis. Sed vniuersum de his omnibus sermonem ad librum de diebus decretorijs distuli. Porro non solum tumores qui in ilijs fatigent supersedẽtes suppuraturos, sed etiam in reliquo ventre dixit, tanquam ilia secundum aliquam significationem partes ventris existant.

XL



QVicunque ergo tumor, dolens, durus & magnus est: periculum mortis bre

ui fore significat. Quicunque vero mollis non dolēs digitis cedit premētibus, diutius immoratur.

Nihil amplius hac docet dictione quàm quod superiore dictum iam est, præter quòd accidit doIenti duro'que tumori magnitudinem: quā nos antea diximus, dum doceremus non esse cum periculò inflammationes musculorum in iliјs, nisi magnæ admodum fuerint.

XLI

Tumor qui in ventre fatigat, minus facit abscessum, quam qui in iliis.

Tumor si non discutitur: nō solum citius, sed etiā magis in ilijs suppuratur, propterea quòd sedes calidior est. Qui vero lōgi9 abest: deorsum vei sus serius minus' que suppuratur: & ob eam rem, tumor subter vmbilicum, raro in pus vertitur.

XLII

Sanguinis vero fluorem, maxime de supremis sedibus expectare oportet.

In quibusdam codicibus dictio cum & copulā perscripta est: atque ostenditur non solum sanguinis fluorem fieri si in ilijs infestet tumor, sed etiam si in imis sedibus affligat. In quibusdam vero sine & copula: & ostenditur quidem fieri si in his quoque infestet, sed minus. In aliquibus vero sine verbo maxime, ad hunc modum: Sanguinis vero fluorem de supremis sedibus expectari oportet. nam inferiores nequaquam afferre solent sanguinis fluorem. Sed res ita se habet, vt si in vmbilico fatiget, sanguinis fluor eueniat magis de sede suprana, maxime de suprema. Sed de sanguinis fluore deinceps agetur, vbi nos quoque lucem fundemus obscuritate clariorem.

XLIII

Uniuscuiusque tumoris supersedentis qui in his fatiget sedibus, suspicatio consideranda est.

TNo compræhendens capite perstrinxit quę supra docuit particulatim: & ob eam rem dictio noua enarrationis luce non indiget.

XLIIII

SVppuratio ita consideranda est. Quæ enim foras vertitur, optima est si parua est, maximeque egreditur, & in sublime resurgit. Si vero magna est & lata, minime'que in mucronem subducitur, pessima est.

APpellare Hippocratem suppurationem purulētiam'que, vbi pus vniuersum constiterit, concocto tumore quopiam præter naturā, perspicuū erit, simul vniuersam hanc orationem eius euolueris, qua de tumoribus in ilijs habuit mentionem. At vero colligitur pus in eis quandoque sub cute, sæpi9 in profundo, duplici de causa: aut quia purulenta pars intus in abdomine affecta est: aut quia licet musculus affectus sit, pus ab aliqua tunicula eius includitur, haudquaquam prius in exteriorem deductum sedem, propter lentorem, aut continētis membranulę densitatem. Etenim studet natura secernere pus de affecto corpore, expellēdo: sępius'que finem adsequitur, quoties nacta sit meatulos idoneos in secretionem, veluti quosdam aquæductus: non tamē semper eos adsecuta, pus in adiacentes compellit sedes: quę quoties exiguę fuerint, derodit condens eas tegumentum, sub eo amplificando sedem. Constat igitur vt ex his suppurationibus indulgētior habeatur, quæ foras, nō intro tēdit: atque ex his ipsis, quę non ampliorem præhēdit sedem in latitudinem extenta. Si vero in sublime efferatur, coni formulam reddens, robur foras expellentis indicat facultatis: & item non magnam corrumpit sedem corporis quod erodit. Cęterum siue in mucronem subducta, siue in gibbum legatur, nihil interest. Nam ex vtraque lectione vnus idē que sensus est.

XLV



Væque vero intro rūpitur, optima est si cum exteriori sede nihil cōmunicat, sed adducta est, nec dolet, & omnis exterior locus vnicolor apparet.



On simpliciter talis suppuratio optima est: sed earum quę intro foras que rumpuntur, optima est. Siquidem hęc deterior est quàm quæ foras rūpitur. Hæc enim eruptio in partes multo nobiliores fit, quàm sit in illis cutis: & item non æque medicamentum adhiberi curatorium potest, quoties introuersus rumpantur: atque etiam secretum pus mordet & cōcerpit ea, difficultatem'que committit intestinorum: & siquando ex ieiuno aut tenuioribus fiat intestinis, alimonię vitiat diductionem, atque ex ventriculo debilitat concoctionem. Itaque perspicuum est vt pessima sit quoties in vtranque rumpitur sedē, introrsum atque extrorsum. Ita enim geminatur malum: nec sedem ac velut initium recreationis vllum obtinet natura reparandis ruptis, quo tanquam solo firmiora iaciat fundamenta repletionis.

XLVI

De signis quibus cognoscitur pus. Cap.XIIII.



Vs optimum est, si cādidum, æquale, leue'que, & quāminime fœtidum est: maxime vero contrarium huic, deterrimum est.



T quāminime fœtidum pus esse debeat, propalam est. etenim superans graueolentia, putredinis est, non cōcoctionis indicium. Vt autem candidum quoque esse conueniat, discas licebit, si genituram eius intelligas ex ijs quæ alibi definita iam sunt. Omnia enim in omnibus docere locis, nugacitatis potius quàm doctrinæ proprium est. Quæ vero alijs sunt commentationibus explanata, talia sunt: Libro de viribus naturalib9

dictum iam est vnã esse vim alteratoriam, quæ & in vẽtriculo & in iecore molitur cõcoctionem, commutata alimonia in iecore quidem ad sanguinem, in vẽtriculo vero ad idoneum sanguini humorem. & item vniuscuiusque partis animalium officium esse, ad propriam deducere naturam propinquantem humorem. Nouissima eñ concoctio fit propterea quòd alimentum in nutrito animali coagmentetur atque assimiletur. Itaque perspicuum est vt spatio temporis lõgiore in talem præparetur similationem. Porro proditum est libro de semine genitali, vt in cõceptaculorũ tuniculis de quibus alũtur testes, sæpe appareat liquido commutatus iam sanguis ad seminis genitalis creationem. Non eñ conuenit ipsas conceptaculorum tuniculas ab alio quopiam nutriri. atque appellãt eiusmodi humiditatem nõnulli medici genitale virus: & ob eam rem semen ipsum genitale virus nominatur. Sed potissimum ĳ qui vim eius dictitãt semen, non substãtiam corpulentam. Quinetiam vt decumbens sanguis in partes laborantes inflammatione, committat inflammationes, ita vt abinitio quidẽ sola cõceptacula repleat distendat'que, mox adiacentes sedes inanes complures atque exiguas in singulis membris: libro de tumoribus pręter naturam definitum iam est, & item dictũ quoque libro de iniqua intẽperie. Talis igitur sanguis ad exiguas dispersus partes in locis inflammatione affectis, vtpote extra propria conceptacula positus, nõ insuper remeare ad antiquam naturam potest: mutatur vero ac putrescit, quo modo omnia quæcunque in alieno loco vehementius calefiũt. Si igitur natiuus calor de propria exorbitat tẽperie: plurimum, vt in corpore inanimi, putrescit. Si vero vim seruet quãdam: permixta quędam commutatio de causa per naturam & item præter naturam efficitur. siquidẽ causa naturalis concoquit: præter naturam, putrefacit. vtra earum magis exuperet, per eam ipsam necessario signa accedunt, tum coloris odoris'que, tum etiam cõditionis. Ex his igitur (vt docui) definitis in alĳs cõmẽtationibus, series est vt colligas sanguinem qui probe sit in pus commutatus, principio si

non putret,sed potius concoctus est: tum autem si aliqua in eo præter naturā putredo,ea'que exigua apparet,quēadmodum Hippocrates ait,quamminime fœtidum. etenim quāminime id pollet,quod quamparuissime potest. Ad hęc,colorem eius reddi similem semini genitali,ratio est.candidum vero non exquisita ratione velut nix est. Semen enim à natura ducitur in solidiorum corporum colorem,exquisita ratione:modice,pus. Siquidem semen nihil habet præter naturā permixtum:pus vero non assidue par,vt explanatum iam est. Permiscetur ergo oīno quoties sanguis de proprijs opificijs exiliuit.Hæc itaque causa est ob quā candidum semen genitale ac pus est.Pus em̄ quodammodo solidioribus assimilatur corporibus, quæ quidem sunt conceptaculorum tunicułæ nerui'que,& copulæ ac mēbranulę, atque etiam chartilago ossa'que. Eadem causa est ob quam subsidet in vrina candidum sedimentum.id quoq; velut pus obtinet generationem,quod proportione respondeat,inter id & naturales humores iniectum. Alimētum enim quod naturæ refugit confectionem,subsidet in vrina, neque vt sanguis ab ea commutatum,neque vt pus præter naturam causæ particeps.

HIPPOCRAtis Coi prędictionum Liber secūdus Laurentio Laurentiano Florentino interprete.

De aqua intercutem. Caput. I.


QVA INTERCVtem omnis si ex acuto morbo existit, mali est. non enim sedat febrem: sed dolorem admodum infert ac morte: mfere'que incipit ex parte inani ac lumbis iecore'que.

CLAVDII GALENI IN PRAEDICTIONES Hippocratis Liber secũdus, eodem Laurentiano interprete.



Nter initia libri ipse dixit: Cõsiderari conuenit hunc in modum per morbos acutos: principio vultum ęgri, sit'ne similis beneualētiũ. Ita aliqui dicunt non solum de vultu exitioso per morbos acutos, sed deinceps de omnibus ipsum facere sermonem: haudquaquam legentes finem sermonis vbi dicit: Hęc dico de morbis acutis, necnon quicũque ex acutis morbis consistunt. Atqui constat vt de purulentis docuerit, non solũ illis quicunque vigesimo die rũpi solẽt: sed qui ad trigesimum quadragesimum & sexagesimũ deuenerunt. atque etiam antea de morbis qui ad quadragesimum vsque diem præcesserunt, vbi dixit: Spirationis facilitatem existimari oportet perquam magnam habere vim ad salutem in omni morbo acuto qui cum febre infestet, ac quadragesimo die iudicetur. & item hoc loco ait nõ de quauis aqua intercutem facere sermonem, sed quęcunque ex acuto morbo existat: atque etiam de purulentis tabidis'que deiceps docebit: & ad hęc de quartanis, vt constat, etiam diutinis morbis. Igitur vt aqua intercutem omnis si ex acuto morbo existit, mali sit, nequaquam sedans febrem, sed inferẽs dolorẽ: ipe dixit. porro docuit genituram eius, iecoris nominatim faciens mentionem: atq;

vna communi ratione, partis inanis, quæ sunt ieiunum & lactes, & item intestina tenuiora. Nam ĩ more est vocari illas partes inanes, quæcunque inter extremã thoracis costam, & femoris ossa, habentur. Atqui inanis videtur oĩs talis sedes si eam cum supernis infernis'que partibus vtrisque osseis, conferas. At vero omnis talis pars flaccida habetur, quoties non fuerit aliquis pauloante repletus esculẽtis poculentis'que. Ita mihi videtur poeta has ipsas corporis partes, eo quòd flaccidæ sint, appellare laparas. Itaque cuiusuis aquæ intercutem communis genitura est vbi sanguificationis officium intercidat. Etenim quemadmodum in ventriculo concoquuntur esculenta, pari ratione in iecore & venis præconcoctum in ventriculo alimentum. Quinetiam vt in ventriculo interdum minus intercidit concoctionis officium, interdum magis: ita in iecore. Nonnunquam enim iecur afficitur per sese & sua vi: quemadmodum etiam ventriculus: interdum per cõsensum aliarum partium. Itaque constat vt omnes sibi inuicẽ conferentes partes, aut quia vicinę sint, aut quia habeant societatem magnam ex cõceptaculis neruis'que, afficiantur. In hunc modum, iecur ex magnis venis copulatur & lieni, & ventriculo, & intestinis. Atque etiã positura eorũ ita vicina est, vt quædam cõtingant ipsum: quędam propemodum tangant. Itaque lienis nequaquam mentionẽ habuit Hippocrates. siquidem de morbis acutis agebat. etenim hoc viscus simul per longos morbos traxerit duritiem, ad consensum agit iecur, omni'que corpori per tale medium aquam intercutem concinnat. Porro iecoris ac partis inanis mẽtionem facit, ac docet differẽtias aquæ intercutem ex illis, quomodo procedente sermone perspicuum erit.

pars inanis
t [illegible]

NB

II



SI quibus ergo ex inani parte existit, pedes intumescit, & alui fluor diutin⁹ fit, neque exsoluens dolorem qui ex inani parte efficitur ac lũbis, neque molliẽs ventrem.

TNtumescere pedes, omnis aquę intercutem cõmune est. sanè & quibus in iecore vitiũ est, subsequi dicit. Sed constat vt vitio lienis & omnib9 alijs comitetur. Sed alui fluor peculiare est aquæ intercutem ex inani parte affligentis, vbi ieiunum & lactes inflammatione vexentur. his enim potissimum venæ debiles fiũt, per quas iecur ad se trahit alimentum: ita fit vt nequaquam subseruiant visceri ad diductionem, neque maneat in ieiuno tenuioribus'que intestinis alimentũ. Quòd si grauentur ab eo, vtpote debiles: statim id omne pellunt deorsum. atque hæc alui fluoris causa est. quinetiam corrumpi alimẽtum, bilis'que colligi copiam, ratio est ob calorem partium quæ inflammatione vexantur, & ob eam rem intestina admodum mordentur, proinde'que incitantur ad excernendum condita ibi excremẽta. atque hęc rursus altera causa alui fluoris est. Quocirca merito ait neq; sedare dolorem ipsum, neq; mollire, id est vacuare ac cõtrahere ventris tumorem: indicans ex his vt cum dolore excernant, & vt imus venter omnis attollatur in molem. fieri enim dolorem necesse est ob inflãmationem demorsicationem'que. porro vẽtrem omnem subleuari repletis intestinis spiritu flatuoso, cuius genitura optima ratione subsequitur cruditatibus: & tandem manere intus ex imbecillitate secretoriæ facultatis intestinorum.

III

QVibus a iecore aqua intercutem incepit, tussire quidem cupiditas est, sed nihil excreant commentatione dignum, pedes'que intumescit, ac vẽter nõ deiicit nisi dura, ac pro necessitate, atque etiam circa ventrem tumores fiunt, qui modo in dextra parte, modo in sinistra consistunt desinunt'que.

CVpiditatem dixit hoc loco propensionem, quã quidem ad tussiẽdum obtinent: incitati vero ad accidens, statim desistunt, tantũmodo tentantes

initium tussiendi. etenim iecoris moles incidens præcordijs, facit angustiam in pulmone. Cum ergo sublimis reddatur affectio veræ illius angustiæ, ob quam inflammatione laborans decumbente ex capite materia afficitur, cupiunt tussire, sperãtes nocuam vacuando materiam, esse angustiam curaturos. Sed incipientes statim desinunt, ob experientiam ipsam deducti in notitiam dispositionis exquisitiorem, sentientes quàm temere sperauerint. Quin etiã natura ipsa per se infert tussim, infartiones expurgando pulmonis, quãquam ipsi nequaquã tussire cogitem9, ita vt difficile sit sæpenumero obsistere inhibere'que accidens. Nunc igitur quando ob angustiam ad tussim ægri veniunt, frustra ceu auxiliaturam affectui, naturalis facultatis nequaquã habentes ministerium, cõtinuo desinunt. Ergo ob hæc propensiores ita affecti ad tussim reddũtur, sed eos cito tale deficit munus, propterea quòd nihil dignum cõmentatione excreant, sed tantũ quãtum in asperam arteriam serosum tenue'q; ex conceptaculis sanguinem continentibus serosum, comprimitur in modum sudoris cuiusdam. Igitur hoc pacto aqua intercutẽ quæ de iecore existit, à prælatis interstinguitur, atq; etiam paucitate & ariditate deiectionum. Incitantur enim illi perpessis ipsis vel intestinis vel lactibus. per aquam vero intercutem, quæ de iecore existit, vtpote imperpessis his, nec vitiato alimẽto, neq; grauatis ab eo partibus (etenim bene ualent) nec alui fluor infestat, manent'q; diutius inibi reliquiæ alimenti, quæ partim mittuntur ad intimam abdominis sedem, partim inflammatione iecoris torrẽtur. Porro vniuersa cutis, vtpote quæ de pituitoso sanguine nutriatur, intumescit. quod si premas eã digito, statim apparet caua, sed paulopost ad pristinã reuenit conditionẽ. non tamen statim ab initio simul acutus vertitur morbus, ita fieri solet, sed pedes intumescũt primi, quippe qui procul à calidissimis absunt partibus: tum autẽ subrepens accidens circa ventrem omnẽ, eam ipsam quoq; cõmittit affectionem. Itaq; si premas tumorẽ digito, cauatur, ac velut foueam facit: tum autẽ paulopost ad pristinã remeat condi-

tionem. quod Hippocrates ait: Atq; etiã circa ventrẽ tumores fiũt qui cõsistant desinãt'q;. At vero fieri potest vt id quoq; dixerit de prima eorũ genitura. Nã incipientes cõsistere, sępenumero desistũt, ita vt videantur quidẽ integre destitisse, mox rursus subleuantur, & rursus desistunt: & rursus subleuãtur: procedẽte vero tẽpore permanẽt nõ insup desistẽtes. Sanè distãt à pręlatis qui infestãt ex inani parte, eo quòd pressi cauẽtur, pituitosam habẽtes naturã, nec insuper spiritu fluctuoso quẽadmodũ illi consistẽtes.


IIII

SI caput, manus, ac pedes frigidi sunt, vẽtre costis'q; calentibus: malum est.

PEr morbos diutinos, potissimũ hyeme & senibus, non solum per incursiones febriũ quas nominant accessiones, sed etiã ex intermissionib9, nihil mirum videri debet extremas corporis partes refrigerari, quippe quæ carne vacant ex natura, lõge'q; sunt à viscerib9 positę. Verũ hoc libro nequaquã agit de morbis diutinis. Itaq; per morbos acutos, tales refrigerantur partes prope dixerim propter affectionẽ contrariam illi quæ per morbos diutinos tale accidẽs infert. Per illos enim calor natiu9 pre debilitate nequaquã permeat ad extremas corporis partes. in morbis vero acutis, propter inflãmationis magnitudinẽ in visceribus fatigãtis, parum sanguinis in omne permeat corpus: plurimũ vero eius in parte affecta inflãmatione includitur: & ob eã rem medię corporis partes, quę sunt thorax ac vẽter, admodũ calent. At vero per morbos acutos interdũ accessio cũ rigore pręhendens aut frigore, non solũ extremas corporis partes, sed etiã cutem circa costas ac vẽtrem, frigidã reddit. Id igitur circa viscera vitiũ non ostẽdit. sed vbi permanẽtibus partib9 circa costas ac vẽtrem calidis, aut etiã calidioribus quàm soleant ex natura, summę refrigerãtur corporis partes: in visceribus magnitudo significatur inflãmatiõis. ac forte melius est intelligere vẽtre ac costis calentibus ita dictum, vt planius calefiant quàm dum haberẽt per naturam. Cæte-

rum vt lypariæ febris nomen relegetur ad hoc genus, cuiuis perspicuum est.

V




Optimum vero est, si corpus omne æque calidum molle'que est.



Cum deterrimã prędixisset conditionem morbi, quoties medijs corporis calefactis partibus, refrigerentur partes extremę: hoc loco opponit optimam in nobis, in qua corpus omne æque calidũ, & item æque molle est. etenim verbum æque, cõmune vtrique existit. Igitur æque calidũ corpus omne est in febribus ardentissimis, sed mordens & siccum per eiusmodi affectiones haudquaquã molle apparet. quòd si molle pariter & calidum æque sit, optimam indicat corporis affectionem.

VI

Qui dolore vexatur, facile conuertatur, sit'que resurgendo leuis, oportet.



Summa totius presagitionis in morituris cõualiturisq; est, quoties vis ægrotationis cũ ægri facultate conferatur. Si enim morbus vehementior est, ęger omnino morietur. si debilior quàm ęgri facultas, haudquaquã morietur, vbi nihil committatur. Hæc vero summã ipse scripsit per sentẽtiam, cuius initiũ est: Colligẽdum etiã est an ęger possit eo victu quẽ pręceperis, durare ad cõsistendi vigorẽ vsque ægrotationis. Hęc ergo summa pręsagitionis habetur. Cæterum cum tres secundũ genus vires ex triplici pẽdeant origine, cerebro, corde, iecore, p earũ ministeria firmitas atque infirmitas cognoscitur. Pręcipua vero cerebri ministeria sunt, meminisse ac cogitare: subseruientia vero, sentire & moueri secundũ desideriũ. Cordis vero, motus arteriarũ. Iecoris vero, generatio sanguinis & humorũ. Itaque cũ presensionis cõteplatio in hæc diuidatur capita: quodcunque signũ est ab Hippocrate dictũ, cõsiderandũ quo genere collocetur, velut nũc vt facile vertat æger, atque resurgẽdo leuis appareat. Hęc enim

signa sunt facultatis corpus secūdum desideriū cōmouentis. Cæterū constat vt in præsens nequaquā intersit dicere secundū desideriū, aut appetitū, aut voluntatē. Ad hunc modū supra de cubātis habitu dictū est in dictione cuius tale est principiū: Cubantē offendi ægrū oportet. Indicatur enim vt talis cubātis habitus, quēadmodū etiam accliuis, fiat fungentibus officio musculis, quē solent firmū nominare. Sed de eo, libro de motu musculorū fusius dictū iā est. Itaq; phibuit Diocles vt animaliū corpora cōsistant ex eo q̄d fert fertur'q;. fert facultas, corpus fert. Ergo quēadmodū ferētes onera aut grauati ab eis vix mouentur, aut si leuius appareat onus, innocue ferūt: ita facultas. si enim superest, facile corporis onus fert, vt haudquaquam mouendo offendatur. si deest, vtpote grauata, vix subleuat corporis partes.

VII

SI corpus omne graue est, & item manus, ac pedes: maiori cum periculo est.

AGgredieti moueri secundū desideriū, grauitas partiū conspicua redditur, crurū quidē dū surgere & ambulare aut etiā omnino trāsferre ea cubādo æger tentet. Pari modo manuū, dū capere aliquid ac dimittere necnō trāsferre tentet. Simili ratione ceruicis ac spinæ, dū cōmutare corporis habitū experiatur. Itaq; grauitas partium, maximū indicium præcipuūq; debilitatis facultatis habetur, nō cuiuslibet (vt antea est proditū) sed eius quę in musculis ac neruis tantūmodo est.

VIII

SI corp⁹ adeo graue est, vt vngues quoque ac digiti liuidi sint, expectanda mors continuo est.

DIximus alio loco quo'nam modo gubernantes animal vires simul intereāt, & vt animal prorsus viuat quoad quęuis earū seruetur. Cū ergo dixerit Hippocrates languentis indicia facultatis de qua

musculi mouētur, addit alia extinctę facultatis ꝓpria indicia quę de corde emanat: & ob eã rē nõ simpliciter ait liuiditatē grauitati partiū accedentē indicare mortem, sed continuo & sine vlla cũctatione, propterea quòd vtriusq; intermortuę signa appareant facultatis.

IX

SI digiti ac pedes omnino nigrescũt, minus pestiferi sunt quã si liueant: sed alia signa consideranda sunt. Si enim facile ferre malum appareat, & aliquod aliud salubre fuerit signum: morbum verti significat ad abscessum, ita vt æger sit conualiturus, corporis vero nigredo casura.

NOn minus pestiferi dixisse oportuit, sed vt interdū nullo pacto, interdū summe pestiferi habeantur. ac forsitan existimabit aliquis Hippocratē ignorasse id, propterea quòd non proprie vtitur dictione: sed adijciens definitionē deinceps, ac docēs vtrũq; eorū quę dixi, cõstat vt agnouerit veritatē, sed haudquaq; exquisite locutus est. Nã interdũ pars nigrescit, quia materia eo decũbit. Sed quo'nã modo aliquis internoscat eã rem, perspicue indicauit. Si enim facile ferre malum appareat, id est facile se habeat æger, & item aliquod aliud salutare affuerit signum, materia decumbit. si secus, mortis periculum imminet.

X

SI genitale testes'q; conuelluntur, dolor ac mors significatur.

COnstat vt in quibus infestat dolor, eæ conuellantur partes, quēadmodũ in defunctis: id'q; habet rationē. Nam vbi vitalis facultas intermoritur, proinde'q; extēdi ad fines vsq; corporis impos est, sed accũbit, & ad suã cogitur originē, partes comitētur viribus

cōcurrant'q;, & ad intermedia corporis copulētur necesse est. Cæterū vt dolor cōtrahi faciat vires ad sese, pspicuū est. Ita fit vt ob eam rem partes ad originē conuellātur.

XI

De somno. Cap. II.

DE somno, queadmodnm ex natura & in cōsuetudine est, interdiu vigilandum, noctu dormiendum est. Si contra cōmutetur, pessimū est. Minime vero offendit si quis dormiat prima luce ad tertiā diei partem. Qui vero ab hoc tempore somnus est, deterrimus est.


NOn solū recte pronunciauit de signis p somnū, sed etiam causam eis adiecit, in habitū referens naturæ quæcunque vtilia sunt, contraria vero damnans, quia præter naturam existant. Ad hunc modū res ex cōsuetudine habet. Quod enim consuetum est, bonum est: incōsuetum vero malum est. At vero tēporibus Hippocratis nō aliud fuit ex natura, aliud in consuetudine. Nunc vero diuites ecōtrario agūt, tum in quibusdam alijs, tum etiam somno interdiu dormiētes, noctu vigilātes. In his igitur, vt qui soliti sint viuere præter naturam, sermo nequaquā verus ab Hippocrate dictus est. etenim hoc tēpore magis rara cōsuetudo est quàm natura, nō in mulieribus solum ditioribus, sed etiam nō paucis viris.

XII

PEssimū vero est, si neq; interdiu, neq; noctu dormiat. dolor enim ac labor ab eo indicio significatur.

NEque interdiu, neque noctu dormiunt ij qui ex dolore ac labore contendūtur, & item qui incipiant delyrare. Nam id quoque committit insomniam ob temperamenti in cerebro siccitatem.

De deiectionibus. Cap.III.


Eiectio optima est, si mollis cõstans'q́ est, & eo tempore secreta quo secunda valetudine assueuit, si copia ex ratione ingesti cibi est. Si enim talis excernitur, inferior venter beneualet.

A Conditione, quãtitate, & tẽpore quo deiectiones excernuntur, denotationem fecit optimæ deiectionis, non tamẽ determinę ex his solum, sed adiecit eis indicia coloris atque odoris, & ad hęc sonitus per screationem adiuncti. Itaque conditionem obtinet per naturã, vbi non omnino dura sit quemadmodũ lapides, neq; extreme humida vt diffluere queat, sed intãtũ mollis quoad constans permaneat. copia vero proportione respondeat ingesto cibo oportet: ac tẽpus quo vacuatur, assuetũ ęgro. Cęterum addẽdum est vt color & odor naturalis seruetur: quę quidẽ ipse Hippocrates non adscripsit, ceu ex ĳs quæ sunt prodita pręter naturã, hæc quoq; intelligere possis. id enim illi esse in consuetudine, sæpenumero docuimus, vt ex contrarĳs indicet contraria, pręter missis appellationibus eorũ. At vero beneualere ventrem dixit inferiorem, conferens eum cum thorace, vt intelligamus vẽtriculum ipsum, & item ieiunum simul cum intestino omni per ventrem inferiorem. Non tamen cõtraria deiectio continuo indicabit habere pręter naturam. Id enĩ nec ipse dixit, nec alioqui verum est. Itaque conuenit beneualere ventrem inferiorem: à iecore vero aut liene aliquid in eum confluens variare non solum colorem per naturam, verũ etiam conditionem atque odorem deiectionis. Porro quandoque permutabitur copia illius p̃mixtione decumbentis humoris, neque seruabitur tempus secretionis assuetum. Ergo simillima naturali deiectio indicat non solum inferiorem beneualere ventrem, (id quod ipse dixit) sed etiam nihil in eum decumbere ex visceribꝰ p̃tę-

dictis. Quę vero habet pręter naturam, significat větrem interdum solum esse affectum, sæpe vero decumbentis aliũde materiæ in eum, indicia habet: atq; hęc multiplicia sunt, eo quòd iecur non solũ sua ipsius excremẽta saniẽq; & humores præter naturam demittit in ventrem, sed etiã corporis totius, qñquidem vẽter per id oĩb9 corporis partibus copulatur, ac per illud recipit excrementa earũ: quę qñq; decũbũt purgãtia omne corpus, aut partem vnam, aut duas, aut plures pariter: sæpe vero quæ accidẽtia sint indicãtia affectionem aut corporis oĩs, aut partis alicui9, aut aliquarũ. Sed animaduertamus deinceps sermonem eius de talibus docentem:

XIIII

DEiectio madens, ex vsu est, si nec stridet, neq; crebro & paulatim excernitur. frequens enim desidendi labor insomniam facit. At si vniuersim & sæpe deiiciatur, periculum defectionis animę imminet.

MAdentem fore deiectionẽ propterea quòd non fuerit ex ventriculo diductio, vel quia de iecore aut liene aliquid defluxerit in eũ, cuiuis pspicuũ est. Sed fieri potest vt id bonum sit, quoties expurgetur iecur, aut lien, aut omne corpus per iecur. non bonum vero quoties accidentis ratione diductio à finibus concidat, aut si quæ de iecore eunt in ventrem, bonę affectionis signa non habent. hæc intersting uitur si nec stridet. nomẽ enim de sonitu confectum est. & item si nec crebro ac pedetentim deiiciatur. Quę ita enim deiiciuntur, accidentis obtinent rationem. Que vero multo interposito tempore vniuersim, sępenumero bonę secretionis indicia erũt, quia natura expellat nocuam qualitate aut quãtitate materiam, omne corpus aut aliquã eius partẽ vacuãdo purgãdo've. Porro vacuationem appello proprię materię, vbi quãtitate exuperet: purgationẽ vero alienę, que affligat per qualitatem. At vero sequuntur quędam alia talem deiectio-

nem, quorum mentionem habuit Hippocrates dicens: Frequens enim desiderdi labor insomniam facit. Quin etiam sępe & multum excernere, ceu vires exoluens, criminatur: atque admodū raro tales secretiones bonę sunt. Nanque eis adiuncta est exolutio virium, quę nequaquā bona est, quemadmodum decretorio quidem, sed immodico sanguinis fluori.

XV

SEd pro copia ingesti albi deiiciat bis aut ter die, noctu semel, oportet. Plurimum vero subeat prima luce, quemadmodum homini fuerat consuetum.

ID quoque supra docuerat, sed rectius erat eum disseruisse de secretione decretoria quidem, sed vniuersa, quemadmodū ego proxime feci. Cæterum damno tāquam supuacuum, bis aut ter die, noctu semel, & quicquid aliud postea scripsit. Abūde enim fuerat dixisse, quemadmodum homini fuerat consuetū. At vero sententię finis legitur bifariam: in quibusdam codicibus cum verbo subeat, in aliis sine tali verbo, ad hūc modum: Plurimum vero luce, quemadmodum homini fuerat consuetum. Sed nihil interest, hoc an illo modo scribatur. nam vtrouis modo seruatur optimum esse quod quā maxime fuerit consuetum.

XVI

COrpulenta reddatur deiectio, morbo eunte in iudicationem, oportet.

COrpulenta scilicet redditur, si aquosa ac tenuis, haudquaquā corpulēta dura'que existat. Quocirca sermo est de humida statim iter initia deiectione. id enim proprium est breuitatis, quam in dicendo maiores seruarunt, potissimum Hippocrates, vt ex oppositis interdum indicentur quædam nequaquam prodita nominatim.

XVII

SVbruffa vero, nec admodum graueolens est.

ID inter initia dicendum erat, dū ageretur de deiectionibus ad hunc modū: Deiectio optima est si mollis cōstans'que est, & eo tēpore secreta quo secunda valetudine assueuit, ac subruffa, nec admodum graueolens: vt (quemadmodum pauloante dixi) cōditionem eius & quātitatem, atque tempus secretionis, & itē vtranque qualitatem, tum visilem, tum etiam olfactilem definisset. Cæterum naturalem deiectionem subruffam esse suscipientem de iecore bilem decumbentem in ventrem modicam quantitate, clarum est, & omnibus medicis conspectum. Si enim syncera, aut multa decūbit bilis, ruffam reddit aut flauā deiectionem. Si vero nullo modo permeat ad intestinū, vt in arquatis, candida deiectio erit.

XVIII

AC lumbricos quoque teretes eumte in iudicationem morbo descendisse idoneum est.

SI natura pariter cū cęteris excrementis hos quoque pellit deorsum, melius est quàm si sursum, & quoties aliter extitit ratiōe accidētis. Sed de differentia decretoriorum dierum libro de iudicatione latius explanatum iam est.


XIX

AT vero in quouis morbo venter mollis corporatus'que sit, necesse est.


MOllis opponitur intento aut repleto, corporatus vero absumpto: vt principio de conditis in eo doceat, deinde de ipso ventre: quasi dixerit in hunc modum: At vero in quouis morbo, modice venter inanis sit & corporatus ex propria substantia, haudquaquam tenuis, oportet.

XX


I aquosa admodum, aut candida, aut admodum crocea, aut spumans deiiciatur: hæc omnia mala sunt.


Quosa deiectio, cruditatis indicium est. Candida vero haudquaquam decumbere croceã de iecore bilem in ventris sedes significat. Porro admodum chloron, id est viridis aut crocea (id enim vtrouis modo vertas licebit) quia gemina significat, vt antea dictum iam est, in altera significatione, bilis croceę copiam permixtam esse, in altera rubiginosæ, significabit. Cęterum spumans deiectio, interdum spiritum flatuosum humore permixtum esse solutu difficili, quandoque caloris copiam indicat. Ita enim per exteriora corpora fieri cernitur in mari incursantibus flabris, in lebete ex polẽtis præ copia caloris.

XXI


I exigua, glutinosa, candida, subcrocea, leuis'que sit, mala est.


Vplicem hoc loco deiectionum formulam docet, ambarum eueniẽtium propter absumptionem, diffidentium vero inquantum exigua ac glutinosa candida'que deiectio pinguedine absumpta ab igneo calore nõ tamẽ vehementer maligno efficitur: subcrocea vero ac leuis absumpta quoque pinguedine consistit, sed aut propter caliditatem vehementiorem, aut quia pinguedo ipsa vetusta ac velut semiputris existat. Itaque exterior non solum pinguedo, sed etiam sepum mutare spatio temporis priorem colorem, ac perspicue subcroceum reddi perspicitur. Si vero subuiridis sit, de rubiginosa bile (id enim vt antea dictum est, secundum voculæ chloras (id est viridis aut croceæ) significatum est) vehementis consumptionis indicium est. At vero leue redditur quicquid de corpore excernitur, aut quod habeat ęqualem cõcoctionem, vt nulla eius pars effugerit naturæ

alterationem, aut propter vehemētem consumptionem, vt nulla materię pars imperpessa supersit. Vt igitur quicquid salubre est, id omne salubrius redditur quoties ęquale sit: ita quicquid malū est, id omē euadit deteri9 si ęquale existat. Vtrunque enim per omnem materiā apparet, quę aut naturæ comptum recepit, aut turpitudinē prauitatis. Cæterum vt lentor sępenumero fiat vbi quædam calefacta admodum sint, perspicuum est: nōnunquam etiā qualitas esculentorum tales reddit humores. sed hi quoties commouentur ad excretionem, haudquaquam exigui sūt: deiectio vero sensim secreta, si glutinosa sit, ab his abest, tribuitur vero modicę consumptioni. sed interdum vehemens cōsumptio deiectionem reddit vniuersam, sed talis admodum graueolens est. ita interstinguitur ab humore crudo, quippe qui graueolens non est.

XXII

Genera deiectionum exitiosarum. Cap.IIII.

EXitiosior vero est, si nigra, aut liuida, aut opima, aut fœtida est.

NIgra deiectio, ab atra bile syncera tingitur: liuida vero vbi modica modice pmiscetur. Porro opima dejicitur, quoties pinguedo ab ignito calore cōsumitur. graueolētia vero, putredinis indicium est.

XXIII

SI vero versicolor est, diuturnior quidē, sed nihilominus exitialis est. Hæc strigmenta habebit, ac biliosa erit, cruenta, porracea, nigra'que, quæ nonnunquam simul, interdum vicibus excernuntur.

DEiectio versicolor multas haberi indicat affectiones, & ob eam rem tractu temporis eget ad concoctionem. Si enim multæ existūt affectiones, aliquas earum diutinas esse verisimile est. si secus, sed

prorsus occurrunt naturæ, quæ tanquam cum multis pugnatura inimicis, multum tẽporis consumat, necesse est.

XXIIII

SI flatus sine sonitu crepitu'que excernitur, optimus est. Melius vero est quoties erũpit cum sonitu, quam si condatur ac reuoluatur. Quod si ita excernitur, indicio est hominem vexari dolore, aut delyrare, nisi sponte dimiserit flatum.

FLatum nonnulli cum sonitu, deuorato pudore, excernũt. Alij vero deligerẽt prius mori quàm aliquid tale committerẽt. Hos igitur quoties audientibus multis dimittunt flatum, scire oportet è duobus alterũ: aut non satis intelligere quę gerant, aut propter vehementiam doloris agere aliquid contra arbitrium et voluntatem. In alijs vero qui prçsentes paruipendant, nullũ malum significare flatum cum sonitu, cẽsendum est. Sed salutarius in his est vbi sine sonitu excernatur. etenĩ prorsus indicat aut flatuosi copiam spiritꝰ, aut angustiam opificiorum. At vero quoties spiritus copia non admodum fuerit, & item opificia per quæ excernitur, laxiora, tantisper sine sonitu in talibus flatus excernatur oportet.

XXV

De dolore qui in iliis affligat. Cap.V.

DOlorem qui in iliis affligat, ac tuberculum si recens fuerit, nec cum inflammatione, soluit murmur incidens circa ilia: sed potissimum vbi cum stercore & vrina excernatur. si vero non transierit, iuuat si ad inferas sedes deuoluatur.

TVberculum in ilijs appellauit quẽ antea nominauit tumorem. Talis est omnis moles prçter naturam sine inflãmatione flatuosa, sed potissimũ

vbi recentior fuerit. At vero folui dolorem ait fi murmur accefferit circa ilia. Talis enim fonitus non folum fpiritus indicium eft, fed humore permixti, & corpore folidiore. Quoties igitur aut permeet deorfum fpirit9 ille flatuofus flatus effectus, aut nequaquam permeans fubdefcendat deorfum ad aliquam inferiorem fedem, ilia vindicantur vtroque accidẽte, tum doloris cruciatu, tum etiam tumore, fed potiffimum fi cum humore & ftercore vacuetur. Talis enim vacuatio nullum prętera relinquit in illis excrementum.

XXVI

De vrina. Cap. VI.



VRina optima eft, fi candidum fedimẽtum fuerit, leue'que & æquale per omne tẽpus dum morbus iudicetur. Securitatem eñ, ac morbum fore breuem fignificat. Si vero intermittit, atque interdum puram emittit vrinam, interdum fubfidet candidum ac leue: morbus diuturnior, ac minus fecurus eft.

QVemadmodum paulo fupra diximus ex ingrediendi functionibus agnofci vim vnã, quo pacto aut fuperfit, aut defit, quã fuperioris originis haberi docui, quam alio loco in cerebro domicilium ac fedem habere indicauit: ita nunc alterius facultatis naturalis Hippocrates indicia partim expofuit, partim hoc fermone exponit. Hęc vero facultas de qua dico fieri fermonem, alterans & concoquens appellatur. Igitur facultatis in ventre, indicia agnofcuntur ex ĳs que cotidie deĳciuntur: facultatis vero in iecore ac venis, ex vrina. In his enim indicia clara funt partim exquifitioris, partim parcioris, partim irritæ in plenum concoctionis: quemadmodum in ventris indicĳs: & ad hęc, vt ibi, exteriora quędã indicia fimul aliarum difpofitionũ, pari modo hic excep-

nūtur. Exorditur ergo tractatum Hippocrates ab indiciįs concoctionis, deinde cum eis cętera copulabit. Sed nos in primis dicamus ea quę ipse pricipio docuit in pręsenti dictione, sedimentum vrinę considerari præcipiens: Si candidum, leue, & ęquale semper, nec interdum tale, quādoque diuersum existat. Id enim sæpissime euenit, vt aliquis emittens vrinā secunda die inculpabilem, alteram sequēti nocte culpabilem emittat, deinde rursus inculpabilem tertia die prima luce, postea vespera culpabilem. In tali enim vrina alius concoctus deuictus'que à natura conditus in conceptaculis humor, alius incoctus apparet. Si vero incoctus humor nequaquam interponitur concocto, talis vrina optima est. Si igitur vrina habeat sedimētum: id cādidū, æquale, ac leue sit quo dissoluitur morbo, necesse est. Si vero non habet prorsus, aliquā nubeculam candidā obtinebit. Necessario vero colore erit modice crocea, & conditione media inter tenuem & aquosam ac corpulentam, qualis iumētorum habetur. Cæterum vrina nullo pacto sedimentum habet si tenuiter, copiosum vero si largius, exiguum vero si modice viuitur. Quinetiam in morbis biliosis ad colorem croceum, in ijs vero quos crudi cō mittunt humores, ad candidum tendit. Porro sedimētum habet copiosum, quoties morbus ex humoribus crudis fatiget. nullo vero modo, aut oīno minimum, quoties ex biliosis fatiget, sed satis erit si habeat sublimamentum. Intelligo sublimamentum id quod corpulētius candidius'q; in vrina, neque in summis eius, neque in fundo vasis, sed in media sedē sublime vel exquisite medium, vel deorsum potius quàm sursum existat. Id igitur solit9 sum nominare sublimamentum. Sed ab Hippocrate id quoque nubecula nominatur, eandem obtinēs proportionem circa vrinam, quam veræ nubeculę ad aerem pręferunt. etēm hæ humore qui circiter est, corpulentiores: & item illæ, aere sunt. Itaque sæpenumero (vt dixi) supernatat in vrina desuper, quam ego nubeculam proprie soleo nominare. Sed hęc tibi sint in primis cognita atque in animo posita, mox animaduerte ea quę Hippocrates scripsit. Vrina enim as-

siduę faciens sedimentum quale dixit, securitatem significat, id est morbum esse sine periculo, atque integre exoluendum, ita vt non sit pręterea repetiturus: & item celeriorem fore solutionem, ita vt si prima die aut proxima nocte apparens, ꝑseueret simile die secunda aut nocte primę circuitionis decretoriorum dierū, non vltra procedet ægrotatio. Porro hæc dixit scilicet de morbis febriculosis. Quicunque enim sine febre affligunt, aut in cerebro, aut membranulis, aut in thorace, ac pulmōe, ex aliįs indicijs agnoscuntur, siue mitiores breuiores'que sint, siue periculosi diutini'que. Cæterum quam ob rem vrinæ sedimentū candidum esse conueniat: dum ageretur de pure, in calce primi voluminis explanatum iam est.

XXVII

SI vrina fuerit subrubra, ac sedimentum subrubrū & leue: diuturnior hic morbꝰ quā primus, sed admodū salutaris est.

QVoties sanguinis serum pariter cum vrina excernitur, colore subrubra apparet. Indicat autē exuperantiam sanguinis non exquisita rationę confecti. Igitur quia integerrimi humoris exuperātia est: idcirco sine periculo est. Sed quia humidior & item serosior quàm is est, eget concoctione. Si igitur spatio temporis cōcoctio fit, merito talis vrina significat vt diuturnior quàm primi, morbi solutio futura sit.

XXVIII

SI in vrina sedimentum speciem referat farinæ crassioris, malum est. Deterius vero si squamularum institutione consistit. Si vero tenue & cādidum admodum est, vitiosum est. Furfureum vero deterius est.

CRassior farinæ pars appellatur, quæ effracto inuehitur hordeo grādiuscula, refugiēs scilicet molę cōfectionem exquisitiorem. Hæc igitur quo-

ties inuehitur vrinæ sedimento, indicium non bonum est. Si enim farina nõ astringitur in partes admodum tenuiores, species farinæ redditur crassioris. In vrina vero, quoties alimonię pars nõdum diducta insuper duriuscula permanet. Sed assato sanguine crassiore, vel consumptis inæqualiter carnibus, ita contingit. At vero inæqualiter accidit, quoties à calore igneo, quæ recens est & nuper cõcreta caro, in saniem resoluatur. duriuscula vero, si ijs quę friguntur in sartagine subsimilis, exsiccata cõstiterit. Prima enim noua ac recens pinguedo cõsumitur per huiusmodi febres, deinde durior ac vetustior, & ab his deinceps noua ac recens caro, mox dura ac vetusta, postremo solida iam corporis membra: quibus rursus cõsumptis, squamulæ pariter cum vrina excernũtur: & ob eam rem talis vrina deterior est quàm quæ tantũmodo speciem farinæ referat crassioris. Cæterum aliud est tenue sedimentum, id est non habens corpulẽtiam, sed (vt ita dicatur) subsimile spumæ. tale vero continuo tenue existit, propterea quòd recipiat in se totum circũflui splendorẽ aeris magis quàm quod crassius est. At vero generatio eius est de spiritu flatuoso permixto tenacius semiconcocto humorũ excremẽto. Proprium enim concocti integre sedimẽti est id quod consueuimus nominare æquale. id accidit quoties totum similare existat. Quod enim vario permiscetur corpore, dissidentes obtinet in conditione & colore partes. Inęqualium vero corporũ, quæ ex partibus tenuioribus habeant inæqualitatem, deteriora sunt quàm quæ ex maioribus. Quæ enim sunt partium maiorum, magnũ indicant naturæ robur, tantum, quanta fuerit substantiæ magnitudo exquisita ratione confectæ. Quæ vero tenuiorũ sunt, peruinci ab humore indicant facultatem, & veluti pugnam haberi æqualẽ. atq; ea res in omni inæquali corpore promiscua est. Particulares vero in eo differentiæ pro virtute concoctę materiæ, vitio'q; non concoctæ, existunt. Porro ab his tribus sedimentorum differentijs aliam quartã adiecit, furfureum sedimentũ: quod inquam deterius quàm tertium est. Indicat enim quemadmodum primũ ac secũ-

dum flāmeam febris caliditatē & cōsumentem: quo quidem non quartum, sed tertium proditum esse oportet.

XXIX

NVbecula quæ inuehitur in vrina, si candida est, est bona. si nigra, vitiosa est.

CVm de discrimine docuisset sedimentorum, deinceps ad nubeculas se confert, indicans vt sublimamentū appellitet nubeculam, adiectione verbi inuehitur: è quibus vt nigrā merito criminetur, perspicuum est. siquidem nigredo, aut ob vehementē accidit frigiditatem, (qua ratione sanguis quoq; nigrescit cōgestis globulis: & quicquid extinguitur, in plenū frigescit) aut propter exuperantē calorem. etenim sanguis rursus trahit nigrorē si crematur, quēadmodum alia omnia corpora. & qui diutius in sole diuersantur æstiuo, nigri reddūtur.

XXX

DVm vrina tenuis fuerit ac ruffa, crudam esse significat ęgrotationem.

VRina naturalis modice crocea est, vtpote ex humore consistēs concocto, qui flauæ bilis parum recepit. Hæc vbi modū excedat, aut admodū syncera pmiscet, vrina ruffa apparet. Ergo si adeò talis colore est vt etiā tenuis habeatur, crudam esse significat ægrotationē. oportet enim vt in colore diximus modice croceam esse debere naturalem vrinam, ita etiam modice se habere in cōditione, nec ita tenuem esse quēadmodum aqua, nec adeò crassam vt assimiletur vrinæ iumentorum. Sed omnia sunt integre de natura vrinę ac differētia prodita libro de indicatione: inde ea discas licebit, si verus fueris prędictionis amator. At vero decernere quænā vere sint prodita, & quæ secus, & item adijcere demonstrationis fidem vtrisq;, ex superabundanti existit.


XXXI



Bi morbus diutinus fuerit, vrina vero talis excernitur, periculum est ne durare æger possit quoad morbus concoquatur.

Voties morbus diutius incoctus permaneat, periculũ imminet abolitionis, nisi facultas morbo resistens quãmaxime valeat. Cęterũ constat vt ad hunc reuocari locum possit sententia qua pręcipitur considerandũ esse quo pacto supersint vires, & quantum morbus concoctionis requirat, & vtrum ęger durare possit ad consistendi vigorem vsq; ægrotationis.

XXXII



Xitiosior vero vrina est, si aquosa, fœtida, nigra, crassaq; est.

Rrina aquosa, tenuis quidem conditione, colore vero candida, est summã indicans humorum cruditatem, naturalis vero facultatis debilitatem. At vero de quauis vrina fœtida antea est (queadmodum de nigra quoq;) perscriptum. hæ igitur iunctim ac seorsum per se exitiosæ censentur. Cęterum crassa vtrũ per se seorsum exitiosa censenda sit, an copulanda cũ prędictis, aut nigra, dignum consideratione est. Igitur quæ ipsi nouimus diligẽter obseruãdo, dicemus, vt ex illis orsus, simul scias veritatẽ, simul'q; meliorẽ eligas enarrationem. Vrinã, quo fuerit crassior, eo deteriorẽ haberi obseruauimus. At si colorem habeat naturalẽ, duplicem habet euentum, interdũ ad mortẽ, interdum ad sanitatẽ propinquam, quemadmodũ alia multa præter naturam, quippe corpus per illa repurgatur. Cæterũ constat vt ab Hippocrate crassa dicatur vrina, quæ per nimiũ talis habeatur. Quæ enim simpliciter crassior quàm naturalis existit, non admodum exitiosa habetur.

XXXIII



N mulieribus & viris vrina nigra, in pueris aquosa, deterrima est.

IN omni ætate vrina nigra & aquosa, exitiosissima est: sed in ætatis vigore consistentibus inter exitiosas primũ habet ordinẽ nigra, in pueris vero aquosa. Superius enim est ab Hippocrate dictum vt maxime contraria naturæ, exitiosissima habeantur. Contraria vero naturę in pueris nõ ita nigra perinde vt tenuis est. Per naturã enim in illis est vrinam emittere corpulentam, ac sediminis copiam habẽtem. In ætatis vero vigore consistentibus, tenuissimũ habet & exiguũ sedimentum: & ob eam rem in eis vrina nigra, exitiosissima censetur: in pueris vero ob aliam quoq; causam, aquosa pestifera est. In eis enim omnia concoquuntur ocyssime præ robore facultatis alterantis. At concoctio crassiorẽ reddit nõ solum vrinam, sed etiam deiectionẽ, quoties bene in ventre concoquatur, & item screationẽ in pulmonia & costali, atq; etiam pituitam per destillationes & grauedines, necnon per lippitudinẽ & pus in vlceribus. Si igitur in pueris manere videas plurimũ tẽporis vrinam aquosam, ita vt nullam habeat mutationẽ ad corpulẽtius, indiciũ exitiale est.

XXXIIII




Vi tenuem crudamq; diutius vrinam mingunt, si cætera vt in conualituris indicia fuerint, in iis abscessum ad inferas præcordiorum sedes expectare oportet.

ID quoque verissime est ab Hippocrate dictum. Morbus enim cõcoctu difficilior, vt qui crassiore frigidioreq; consistat, per abscessum iudicari assolet: qui vero calidiore tenuioreq;, excretione. Quoties igitur plus maneat temporis vrina nequaquã concocta, definiendum vtrum nequaquã duraturus longitudine ęgrotationis ęger sit, an iudicãdus per abscessum morbus

bus. Definitio vero ex aliis indiciis erit. Exitiosa enim indicant mortem, mitiora salutẽ. At vero abscessus in iis quiadmodum immoratur, ad inferas erumpunt sedes, ob frigus, crassitudinẽq; materiæ, ac virium spatio tẽporis languentium debilitatem. In acutioribus vero, prope auriculas. etenim per eos crassi minus humores existũt, & item copia coloris, ac valentior facultas. At morbi medii, inter hos obtinent abscessus, qui medio genere ambigunt. neq; cõuenit, quantũ in ipsum agitur tempus, quærere sint'ne sursum potius quàm deorsum erupturi, sed ex aliis definiri signis oportet.

XXXV



I pingue desuper natans, araneorũ speciem referat: damnandum est. Indicat enim consumptionem.



Vale pinguioribus iusculis refrigescentibus supernatat, vocata à multis vetula: tale in vrina ex consumptione existit: de qua ipse disputans causam adiecit:

XXXVI



Onsiderãda in vrina nubecula est, vtrũ sursum fuerit, an deorsum, & item color quem obtinet. Si enim deorsum feratur cũ colore qui dictus est, bona cõmendandaq; est. Si seorsum cum colore qui dictus est, mala damnandaq; est.



Vod à me libro de iudicatione sæpenumero sublimamentũ est appellatũ, id solere Hippocratem nominare nubeculã, hac quoq; dictione non obscure significauit. Sed aliubi, ipse sublimamentũ geniturę simile dixit, ita vt è duobus alterũ sit, aut vt generalioris rei nomẽ existat sublimamentũ, sectionẽ habẽtis in nubeculam, & id quod genituræ simile est: aut nunquam nubecula ab eo sublimamentũ nominatur. Cæterũ

vt quicquid inuehitur in vrina, vtile sit, & quãto subsidet deorsum, tanto melius habeatur: antea definitũ iam potẽtia est, vbi diximus tali interdum spiritum permisceri flatuosum. Quod igitur exquisite concoctum secretũq; est, æquale ac similare, vtpote nullum habens flatum, in fundum descendit vasis vrinam continentis. Quod vero permixtum est aereo quodam & vaporoso flatu, id subductum ab eo quod proportionale sit quantitati subducẽtis, minus'q; & magis sursum fertur.

XXXVII


NE te fallat, si ipsa vesica ægrotans, aliquam talem reddiderit vrinam. Non enim totius, sed ipsius per se vesicæ indicium est.

OPtime id adscripsit, reuocans in mentẽ quod nos interdum omisimus definire in ægris. Atq; oportet in ventris deiectione reponere in animũ nunc proditam definitionem. etenim promiscuũ est vtriq; secretioni, totius corporis recipere excremẽta, atq; etiã illarũ partiũ per quas excernũtur. At vero per naturã habentibus nobis, excremẽta totius corporis repurgãtur p vrinam: ea vero quę in ventrẽ cõdita sunt, pariter cũ stercore excernũtur. Pręter naturã vero habẽtibus, cũ vrina pariter quædã morborũ in renibus ac vesica indicia excernũtur: cũ stercore vero, corporis totius. Itaq; nõ raro p vrinã purulentã, quęstio extitit vnde'nã veniat pus: itidẽ vbi squamulę excernũtur, ea ipsa quęstio est. & itẽ aspera, fœtida, ac biliosa sępe redditur vrina propter vesicã & renes, non raro vero ppter omne corpus, id est, perfectricẽ humorũ in toto animali facultatẽ, quę (vt indicauim9) veluti focũ ardentẽ & fontẽ obtinet iecur. interdũ ea ipsa haudquaq; affecta, per vesicã & renes omne animal expurgatur: aut partiũ aliquarũ in eo excremẽta quædã incidentia venis, purgato sanguine de renib9 excernũtur, queadmodũ abscessus quoq; cõsistẽtes sępenumero p vrinã excernũtur.


XXXVIII

De vomitione. Cap.VII


Omitio vtilissima est si pituita ac bile permixta quammaxime est, si nõ multa, non crassa est. Syncerior enim deterior est.


Er hanc quoque dictionem indicauit quidnam appellet syncerum, opponens illi permixtum: quauis etiam nomen ipsum nihilominus suam indicet significationem. etenim vinũ dicimus syncerum quo cũ aqua permixta non est, aut perquam exigua permixta est. necnon quodlibet aliud nominatur syncerum quoties ipsum per se tantummodo, impermixtum aliena materia est. Itaque flauam bilem intueri licet interdum crassam ac summe flauam vomitione reiectam, & item deorsum deiectam, quam sane nonnulli nominant vitellinam. sæpe vero humidiorem, ac minus flauam, quæ magis proprie crocea nominatur, permixtum habẽs in se tota pituitosum humorem, tenue aut aquosum quoddam excrementum. Vult igitur Hippocrates neutrum humorem syncerum apparere, sed eos inter se quodammodo permisceri. Biliosus enim syncerus, caloris copiam: pituitosus indicat frigus. Quinetiam syncerus humor crassior redditur, pituitosus quidẽ propter frigiditatem quasi concretus: biliosus vero, propter exuperantiam caloris euaporatus, & tanquam assatus. Hæ enim duæ causæ contrariç crassitudinis sunt, calidum admodum, ac frigidum. Calidum enim euaporat: frigidum adstringit.

XXXIX


I vero vomitio fuerit porracea, aut humida, aut nigra: quicunque ex his fuerit color, malum esse censendum est.


E liuido ac nigro colore supra definitum iam est. Porracei vero nunc primum habuit mentionem,

non habētis quidem proprium nomen,sed virentis porri appellatione:nisi aliquis velit ecōtrario à colore porraceo dictum esse porrum,non à porro porraceum. In quibusdam enim clara est deductio vocabulorum,vt cognoscatur id quod à grāmaticis prototypum noīatur, & quod ab eo deductum est, quemadmodum de lacteo colore.in alīs vero haudquaquam clara est.Dicas enim licebit non à phœnice (talis est fructus palmæ arboris) phœniceum: sed esse à phœniceo phœnica dictum:quēadmodum cyanon (talis est aqua maris) non à ceruleo magis quàm ceruleū ab illo. Itidem ochra & ochron,id est croceus color in eandem seriem reponuntur. Ochram vero dixi,non vltima acuta, quo pacto aliquis dicet ochron, id est croceū adolescētem:& ochram,id est croceam seu pallidam mulierem:sed penultima acuta.Ochra enim gen9 quoddam terræ est,cuius potissimum Attica probatissima est. Hæc igitur nūc semel sint à me perscripta. Assidue enim in animo habeas oportet, studendum esse nominibus tantum, quantum ad illustriorem significationem eorum quæ dicimus,ex illis iuuari possis:reliquum vero tēpus superuacuum existimabis,ad studium rerū meliorum reponens. At vero gignitur in corpore quemadmodum crocea bilis per naturam habentibus, ita porracea altera præter naturam.constat'que vt hæc sæpenumero in ventriculo gignatur propter quorundam cruditatem esculentorum aut olerum,qualia beta,cepa,brassica sunt: atque etiā interdum talib9 nequaquam ingestis, ratione ægrotationis in venis gignitur,ac decūbit aut in vētrem superiorem,aut in inferiorem,calorē in corpore indicans prçter naturam,atque excrementi proprietatem talis temperamēto qualis prædictorum olerum succus est.


XL

SI idem homo omnes vomit colores, exitiale admodum est.

SIue de prædictis coloribus,porraceo,liuido, nigro sit proditum verbum omnes,siue etiā de alīs cum

ipsis quicunque præter naturam habētur colores, vtroui modo exitiosissimum est, indicantibus in corpore multas haberi difficiles affectiones.

XLI



Omitio liuida si grauē olet, ocyssimā indicat abolitionem.



Alis enim vomitio putredinem indicat cum extinctione, si quę supra diximꝰ, in animum reuocētur.

XLII



Mnis subputris ac fœtidus odor, in omni vomitione malus est.



Onstat em̄ vt quauis affectione permisceatur putredo, ea ipsa deterior euadat.

XLIII

De screatione. Cap. VIII



Creatio, in omni dolore qui affligat circa pulmonem & costas, cito prompte'que screetur, necesse est.



Erbum cito, significat inter initia ægrotationis: prompte vero, pro eo quod est facile ac propense, dictū est: id vero significat cito ac sine dolore vacuari screationem. Fieri em̄ cito aliquid intelligimus bifariam, tum vt omnis principium morbi, tum etiam vt tempus adiunctum functioni, significetur. Prompta enim screationis vacuatio, id est propensa ac facilis, est quoties nec vehemens in thorace dolor infestet (hic enim interpellat sistit'que in medio prius quàm absoluatur, nascentem adhuc thoracis functionem) nec vires desint. hæ enim accumbunt in media functione, ita vt inchoatum inabsolutum'que officium restet. Quinetiam ipsa screatio si vehementer fuerit glutinosa, oblita tenacius membris, excurrens'que, sępenumero subsistit fistulis agglutinata pulmonis: quomodo si fuerit admodum crassa, difficulter excurrit, ac lōgiore temporis tractu male affici cogit, atque

etiã stipatur in quibusdam itinerib9 angustis: & ob eam rem nonnullis strangulari contingit. Cæterum eaipsa materia si admodũ tenuis & aquosa est, vix screatur: vt quæ circiter in pulmone circunfluat. hæc enim prima causa vacuationis est, quam etiam continuam nominant. Duplex enim prima causa est, (quemadmodum dictum est dum ageretur de causis) tum materię vitium, tum etiã id quod initium habeat motionis. Itaque motionis initium ex facultate mouẽte thoracem in tussientibus est. Id enim libro de causis accidentium definitum iam est. Violenta verò contractio eius facit vt spiritus feratur foras vehementer: huius vero vehemẽtia refert secum materiam conditam in fistulis pulmonis, quæ quidẽ asperæ arteriæ sunt. Quoties ergo thorax valide suo fũgatur officio, & humor in fistulis pulmonis conditus, modice crassus fit: facile screatur. Si vero neutrum existat, difficile, ægre'que. Quòd si ex prædictis causis altera fit, altera desit: vacuatio inter optimam ac deterrimam media accidet. & vt in totũ dicatur, prout magis ac minus causæ intenduntur aut exoluuntur, eorũ quidam facilius, quidam difficilius expuũt. Quid igitur sit prõpte excreare, perspicue pariter ac vere perpensum iam est. Si igitur id verum est, quemadmodum est, verum quoque erit vt cito excreetur. Non enim adiunctum ipsi tussedini tempus, sed primum morbi tẽpus significat, de quo per sentẽtias dixit: In morbo costali si screatio statim inter intia existit, breuem ægritudinẽ fore ostendit. vt si quis de tempore functionis intelligat esse cito dictum: (quod quidẽ docui in verbo prompte cõtineri) peccabit bifariam: pricipio vt tempus ab eo sit bis inconsiderate proditum, tum autem vt quod est libro sententiarum perscriptum, omittatur, vim alioqui obtinens maximam. Cæterum vt nõ ob hæc solum, sed etiam propter ea quę sunt proxime dicenda, ita intelligi conueniat, dum eam ipsam enarrabimus dictionem, ostendetur.

XLIIII


Ermixta appareat flaua bilis admodum screatione, oportet.

VErbum admodum, non de permixta, sed flaua bile afferendum est, velut si in hunc modum dictum sit, Appareat flaua bilis permixta admodum screatione, oportet. Verbum admodū, id potest, qđ nimium & maxime valet. Itaque pauloante dixit: Vomitio vtilissima est, si pituita ac bile permixta maxime est. Nūc vero in screatione voculam admodum, adiecit. Cęterum quàm recte enarrauerimus, sequentem inaudiens dictionem discas licebit.

XLV

SI enim multo post ab initio doloris screatur flaua, aut candida, aut ruffa, aut multam inferens tussim, aut non admodum permixta: deterior est.

IN hac pollicitus sum dictione ostendere vtrasque enarratiões antea proditas, veras esse: tum verbi cito, tū etiā verbi admodū, intellectū. Hippocrates em̄ se ad cōtraria cōferēs, queádmodū cōsueuit, cito opposuit illud: Si em̄ multo post ab initio doloris screatur. Ei vero quod est admodum permixta, opposuit, nō admodum permixta: & item ei quod est prōpte excreatur, illud, multam inferens tussim. Quoties enim materia sine dolore cito'q; vacuatur, tussi incertiore opus est. Antea enim dictum iam est, salubrius esse permisceri materias vacuatas quodammodo inter se, nec quicquam excerni exquisite syncerum. & item dictum est vt oporteat cito existere in costali screationem, in commentarijs de iudicationibus, atque etiam libro sententiarum.

XLVI

SCreatio flaua si syncera est, cum periculo est. candida vero, glutinosa, ac rotunda, inutilis est.

NOn aliud nunc dicit quàm quod antea dictum iam est. Si enim screatio nequaquam permixta est, syncera est, aç redditur flaua propter flauā

ſcilicet bilem: candida vero, glutinoſa, ac rotũda propter aſſatam pituitam. Sępe enim definitum iam eſt vt decũbentes membris quibuſdam fluxiones, inflammationem, ſacrum ignem, tumorem, duritiam, cancrum committẽtes, pro diſcrimine exuperantium humorum indulgẽtiores ac maleficẽtiores euadant. Sanguineę enim ac pituitoſę modeſtiores habentur. Quę vero flaua aut atra bile cõſiſtunt ęgrotationes, difficiliores cẽſentur. Alterutra enim derodit corpus, id'que commune illis eſt. Proprium vero vtriuſque, flauę quidem bilis, vt acutas accendat febres: atrę vero, vt ſolutu difficilem cõmittat affectionem. Humor em̃, vtpote craſſus terrenus'que, adeò infarcit mẽbra quibus conditus eſt, vt difficilius excernatur.


XLVII

SI viridis & ſpumans admodum eſt, mala eſt.

SAepenumero dictũ iam eſt vt chlorem (id em̃ vertimus viridis) de croceo dicere ſolitus ſit, & item de eo quod à nonnullis vocatur rubiginoſus. Cæterum vt vtrauis harum, ſi ſumme fuerit talis, difficilis ſit, non inſuper neceſſe habeo docere, cum antea de quouis ſyncero humore tradiderim. Pręter em̃ ſanguinẽ quiuis alius humor ſi ſyncerus fuerit, prauam indicat affectionem, flammido calore obtinens generationem. Flau9 inquam, vbi ſeroſus humor ipſe aſſatur: quo permixto croceus apparet. Rubiginoſus vero, vbi is vehementer aſſatur. Niger vero, aut quoties is ipſe vehementer aſſatur: (quæ ſanè deterrima & quàm maxime derodens atra bilis exiſtit) aut vbi craſſus ſanguis ſimiliter exſiccetur: aut ratione extinctionis & refrigerationis. Sed hęc ſemper in animo ſeruanda ſunt, atque exiſtimãdum ſubinde ea ipſa pręcepta de eiſdem rebus intelligi oportere. Cęterum ſpumans ſcreatio (id enim in calce dictionis eſt proditum) ex aeria ac pituitoſa ſubſtãtia pariter permixta eſt. Ex his enim quęlibet ſpuma conſiſtit, in mari quidem ex violẽto ventorum afflatu in multas & exiguas partes attrita aqua, in polentis vero prę copia caliditatis. At vero pro-

miſcuum in vtriſque cēſetur gigni bullulas multas & exiguas ſolutu difficiles, potiſſimum quoties ambo concurrant, tum aer turbulentus ac nebuloſus, tum etiam humor quodammodo craſſus ac glutinoſus. nam tenuis humor, qualis exquiſita aqua habetur, quoties aerem comprehendit mūdum, non diutius continet, ſed ſtatim reſciſſis bullulis, in propriam remeare ſedē permittit: & ob eā rem ſpuma in mari celeriter ſoluitur. Craſſus vero glutinoſus'que humor quoties (vt dixi) turbulentam ac nebuloſam ſubſtātiam intra ſe clauſerit, plurimum detinet tēporis, eo quòd nec illa ſurſum verſus feſtinet, quemadmodum mundus aer, & quia ipſe difficulter reſcinditur. Vt enim gignuntur bullulæ ex humida ſubſtantia includente intra ſe aerem: pari modo ſoluuntur, propterea quòd humida ſubſtantia reſcindatur. Facile ergo reſcindūtur quoties ſpirit9 tenuis ſurſum verſus feratur. non reſcinditur vero quoties neque tenuis fuerit, neq; ſurſum verſus feratur. Talis eſt aer nebuloſus, vt qui nec cōuolet ī ſublime, neq; tenuis, ſed perquam humidus ſit, ita vt ferre queat humorem ſibi circumextētum. Ita fit vt quoties elixatur aqua, non difficile ſoluatur bullula: ſed quoties aut craſſus aut opimus humor eſt, ex quo genitus ſpirit9 flatuoſus vaporoſus'que eſt, atque etiam ſummo'tenus in lebete humor oleaceus, pinguis ac glutinoſus eſt. Ita igitur in corporib9 animalium ſpuma gignatur oportet. non enim vehementiores flatuum, quemadmodum in mari procellas, exiſtimari conuenit, ſed ignis calorem conſumentem pariter ac ſpiritum efficiētem flatuoſum tātum quòd oculis ipſis in multis licet infirmis intueri. Sed hæc abunde ſint nobis prodita. ipſe vero ſeruabis in animo quonā modo gignatur ſpumans ſiue ſcreatio, ſiue deiectio, ſiue vrina. In his eñ interdum fluitat vocata lampe argumento ſplēdoris, ne prꝫterea deſideres rurſus de his ipſis aliquid inaudire.

XLVIII



Iita ſyncera fuerit vt nigra appareat, hæc difficilior quam illa eſt.

ANtea dictum est de omni vacuatione syncera vniuersim, ac de nigra seorsum. quòd si nequaquam hærent in memoria quæ supra definita sunt: rursus ea ipsa reuolue. Rectius enim est ita efficere, quàm vt ea ipsa præcepta de eisdem rebus sæpenumero pandam.

XLIX

De grauedine & sternutamento Cap. IX.

GRauedines & sternutamenta per oẽs morbos qui in pulmone fatigẽt, pręire & subsequi, malo est. Sed de aliis morbis exitiosis sternutamenta vtilia sunt.

HVmorem de naribus secretum tenuem & incoctum nominare assolent omnes veteres medici grauedinem, quemadmodum defluxionem talem ex palato secretũ. Ac miror quonam modo Hippocrates non defluxionẽ adiecit grauedini, sed sternutamentum. Itaq; grauedines vna ratione nocuæ sunt, vbi per tales existũt morbos: defluxiones duab9. Dictum'que à nobis antea sępenumero est aliqua praua malis adnumerari signis ex accidẽti, alia simpliciter: id ipsum tantummodo haberi indicia praua, nullum ipsa committentia malum, indicantia vero difficilem quandam affectionem à qua constiterunt. Porro alia ab his esse indicia vtroque modo praua, tum quia signa, tum etiam quia causę sunt. Signa quidem, quoties ex difficilioribus fiant affectionib9. Causæ vero, quoties ipsa rursus alias committant prauas affectiones. Itaque eueniunt defluxiones & item grauedines in morbis qui affligant in pulmone, quia calidos recipiat cerebrum vapores. Sed pulmo non ab vtrisque, sed à destillatione tãtummodo afficitur. Materia enim per grauedines secreta, per nasum foras excernitur: & ob eam rem defluxiones deteriores quàm grauedines habentur. Ergo non satis noui quam ob rem eas Hippocrates per hunc omiserit sermonem, nisi aliquis velit vt per grauedines eas

quoque intelligi dederit. ac fortasse ab eo qui inter initia librum trãscripsit, omissę sunt. innumera enim talia etiã nunc fieri cernimus. Sternutamentum sequitur grauedines magna ex parte. sanè cõcutiens thoracem, vitiat quoque pulmonem. Itaque grauedines ac destillationes assiduę, non esse bona indicia censendum est, præuenientes quidem, eo quòd malis repleant humoribus pulmonem: procedente vero morbo si existunt, quia magnam pulmonis affectionem, & ab ipsa caput esse affectũ significent. At vero sternutamentum per alios morbos nunquam simul pręhendit, nec aliquod aliud accidens. procedente vero morbo si existat, ostendit salutem, quanquam exitiosus quantum in alia agitur indicia, morbus habeatur. Indicat enim concoctionem ac robur secretorię in cerebro facultatis, de qua in nasum flatuoso spiritu secreto pariter cum alio quoque humore, nonnũquam sensibili & conspicuo, quandoque tenuiore & spectatu difficili, sternutamentum consistit.

L

Screatio flaua non multo permixta sanguine in pulmonis morbo, si inter initia excernit, salutaris admodũ est: si septimo die, pigrius've, minus secura est.

Promiscuus hic sermo per omnem inflãmationem est, iam à nobis sæpenumero proditus, vt decumbentis ad sedes inflammatione laborantes humoris pars tenuior resudet, quoties continens inflãmationem supficies haudquaquam densa ex natura quêadmodum exterior cutis existat: & ob eam rem siue in meatibus nasi vel oculorum vel oris inflãmatio fatiget, humores tenues sublimes cruentis vlcerum humoribus effluunt. Itidem pulmo laborãs inflammatione, excernit humorem quendam ad intimas sedes inanes: quæ inquam asperæ arteriæ sunt: qui de tussedine vacuatus excreatur, indicium afferens committentis pulmoniam fluxionis. illius eñ ceu serum quoddam habetur. Itaque erit si biliosa admodum est, flauus tãtummodo: si sanguinea, rubidus:

ſi ex vtroque permixta, rubidus pariter ac flauus. Hi igi tur humores boni ſunt, paulo vero abſiſtunt ab ῆs ꝑ quos ſanguinem integrum deſpuunt. forte q̀ue indicium tenta bit quempiam, queadmodum quoties conſiſtente in pul mone vlcere, fatiſcit cōceptaculum. etenim tantiſper ſan guinem deſpuūt. Sed ſanguis in pulmonia eueniens pror ſus exiguus ſcreationi per exilitionem à medicis nomina tæ ſimilis eſt. Id accidens fit propterea quòd ſanguis con ditione tenuis decumbit ad os cum gingiuæ rariores exi ſtāt, ita vt ip̄m nequaquam contineant. In faucib⁹ quoq; ob eandem cauſam talis ſanguis ſeroſus quādoque excer nitur. Non igitur malū eſt quoties aliquid tale in pulmo ne conſiſtit: id vero ex conditione ſanguinis atque eius co pia facile cognoſces. Nam qui ita ſcreatur, nequaquam craſſus, neque multus eſt. Cęterum non expectare acci dens ad ſeptimum vſque diem oportet, ſed potiſſimum ante primum quartum vt concoctus alteratus ſit. ſi ſecus, ſed omnino ante ſeptimum expectandum eſt. Si verò ta lis perſiſtat qualis ab initio erat, perſpicuum eſt vt pluri mum tēporis proceſſuram ſignificet ægrotationem. nam vbi nōdum ſeptimo die concoqui cœpit, longiſſimam fo re demonſtrat integram concoctionem. At longiore tem poris ſerie multa mala incidere aſſolent, tum ęgroti culpa & adminiſtratoris, tum etiā vitio aliorum, quæ inopina ta forinſecus accidunt, necnon medici commiſſo. quòd ſi nihil ex his accidat: periculū antequam concoquatur mor bus, exolutionis virium imminet. & ob eā rem minus ſe curū videri dixit plurib⁹ dieb⁹ talē ꝑmanere ſcreationem.

LI



Mnis ſcreatio mala eſt quæ non ſedat dolorem. Quæ vero ſedat dolorem omnis, melior eſt.



Ommunis hic quoque ſermo eſt in omni mate ria ex corpore ſecreta: de qua alῆs libris, atque etiā volumine ſententiarum dixit vt facilitatem potiſſimum ſpectari conueniat. Sępe enim valuit natura

prauam vincẽs affectionem, expurgare corpus. & in hoc terrẽtur multi aspicientes secretæ vitiũ materię, nequaq̃ cognoscentes vtrũ id accidentis fiat ratione, an quia natura prauam materiam foras expellat. Itaq; per sententias tantũmodo facilitatis scripsit appellationem, hoc loco doloris indicauit sedationẽ, ob quam cõmendat screationẽ quæ dolorẽ sedat. Paulo post omnia deinceps indicia docebit in melius proficientiũ ægrotationum: quę inquã nomine facilitatis complexus est. quinetiam postea pręcipit dictarum indictionũ exquisite perpendi vires, vt ea inter se conferendo, possis ex magnitudine in deterius aut melius totius corporis scrutari mométum, quemadmodum pręsenti ipse oratione effecit. Si enim à screatione nequaquam desinit dolor, indicium bonum non est, non tamen sufficiet tibi id vnũ cognoscere ad exquisitam futuræ sortis pręsensionem, sed cõsiderari conueniet & alia accidentia. id enim demõstrauit, nigræ mẽtionem habẽs screationis. Igitur cum indicium cõmune sit nõ desinere dolorẽ: si crocea fuerit screatio aut rubra, minori cum periculo est. si nigra, exitiosissima est. Quocirca cuncta considerans, non solũ prædictam summã vnam exquisitę colliges prædictionis: ac ipse Hippocrates omnia indicia tum bona, tum etiã mala percensuit, prędictis in animũ reuocatis.

LII

De purulentis. Caput. X.

QVicunq; dolor in his affligit sedib⁹, nõ desinẽs neq; screationis purgatione, neq; vẽtris subductione, neq; venæ incisione, ac medicamẽto & victus ratione: in suppurationem verti sciendum est.


QVicunque dolor circa thoracis ac pulmonis sedes nõ desinit adhibitis subsidijs, id'q; malum tantũmodo habet, nec vllum aliud exitiosum indicium adest: eum suppuraturum expectabis. hic nanque quodãmodo medius est inter eum qui soluatur celeri-

ter, & eum qui inſanabilis exiſtat.

LIII




Vęcūq; ſuppurātur, dū ſcreatio billioſa eſt, exitioſa admodū ſunt, ſiue viciſſim bilis ac pus, ſiue ſimul excernantur.



Væcunq; in partibus corporis perſpicuis ſuppurātur, ſi talia in parte pus habeant, parte reliquam materiā, nequaquā curatu facilis affectus eſt. Si vero adeò nōdum habeant pus, vt maleficum quoddam illis adfuerit indiciū: multo magis prauus eſt. Sed ex his multo magis prauum eſſe cenſendū eſt eū qui præcipua ſede fatiget. indicatur enim humor quidā ferociſſimus, quandoquidē demōſtrante natura quonā modo pręparata ſit ad concoquendū, nihil prorſus illi cōceſſit.

LIIII



Otiſſimū vero quoties ſuppuratio excerni ab eiuſmodi ſcreatione ſeptima die ægrotationis incepit.



D quoq; cōmune eſt cuiuſuis per diem decretorium ſecretionis. Decretorius enim ad iudicationis firmitatem cōducit. Vtrum vero bonum, an malum ſit, aliȷs cognoſcitur ſignis. Si enim ſudor fiat ſeptimo die, ſiue deiectio alui, ſiue ſanguinis fluor, meliorē ſi reddiderit ægrum, indicium bonum: ſi deteriorē, malum eſt. & alterutrū firmum eſſe oſtēditur, nō quemadmodū ſi alio die exiſtat. Sed de his libro de diebus decretoriȷs, atq; etiam volumine de iudicatione fuſius definitum iam eſt: in quibus oportet antea exerceri eum cui libeat dicta Hippocratis exquiſita conſequi ratione.

LV



Creantem vero talia, mori quartodecimo die ſperari poteſt, niſi bonum aliquod illi acciderit.


TAlium veritatẽ re ipſa didiciſtis me prædicentẽ experti. quocirca animaduertere vos oportet, ea quæ Hippocrates dicit, non talia existimare poteſtate haberi, qualia à multis medicis ſcripta iã ſunt: quippe quę cõmẽtationibus tenus & rationibus veriſimilia ſint, ſed ęgrotationum operibus exploſa. Etenim intentionem ab eo proditam, mediam aliorũ omniũ bonorum malorũq; conſiderãdo, poteris prædicere diẽ quo moriturus aliquis eſt. Subĳciamus enim ægrum ſcreare purulenta ſeptima die, nõ tamen per totum diem, ſed aut cum eo biliofum aliquid, aut illud tantũmodo ſine materia purulenta, atq; in eo eſſe alia omnia media ab ætate, natura, tempore, terra, ac propria facultate, ita vt nec facultas vehementiſſima, neque debiliſſima habeatur. itidem & temperamentum ægri, nec optime conſtans, neque deterrime. pari modo tempus, terram, conditionem, ætatem ægri inter optimam ac deterrimam eſſe ſubĳciamus. ſimili ratione in vnoquoq; ſignorũ genere quæ media ſunt, ęgro ineſſe ſubĳciantur. hunc ſperabis quartodecimo die moriturũ, ita vt hic medius mortis impetus cenſeatur. Accedentibus vero bonis indicĳs, plus tẽporis preceſſurum mortis aduentũ: malis vero, citius quàm quartodecimo die moriturum. At vero quænam ſint bona aut mala indicia perſecutus ipſe deinceps, quædã nominatim expoſuit, quędam breui ſumma perſtrinxit. Cæterũ ipſe nequaquã hæc accipies perinde vt ſi cuncta æqualia habeantur, ſed in animo retinẽs ea quę Hippocrates ſcripſit, quęq; ipſi adiecimus, numerũ ipſum cõſiderabis ac poteſtatem, dum ipſe ait: Salutaris admodum eſt, & exitioſus admodũ eſt: primariæ id poteſtatis alterũ in bonis, alterũ in malis inſtituens. Itidẽ dum ait proximã fore mortẽ: aut vbi exitioſiſſimũ dixit, non ſimpliciter exitioſum. Quin etiam de ſignis ſalutaribus quoties dicit: Magnã vim obtinet ad ſalutem. & rurſus, Securitatẽ enim indicat, ac morbum fore breuem. vel aliquid tale adiecit. Alĳ vero ſimpliciter exitioſi: aut rurſus ſimpliciter ſalutares medĳ ordinis ambo pro natura propria ſunt. porro præter hos ambos

quoſcunq; dixit cōparte, aut exitioſiores, aut ſalubriores? aut adiecit magis ac minus. Si quod enim primi ordinis malū acceſſit indicium quinto aut ſeptimo die prædictæ exitioſę ſcreationi, æger ad vndecimū diem nequaquam deueniet, magisq; ſi plura talia, nō vnum tantūmodo exiſtat. Pari ratione ſi quod admodū ſalutare exiſtat, ad tertiā vſq; ſeptimanā extēdetur morbus. Permixtis vero inter ſe exitioſis ac ſalutarib9 ſignis, aut his magis in vtroq; genere, minus illis, aut quouis alio modo: ex pluribus inquā ac fortiſſimis bonis ſignis ſperari poteſt ægrū plus tēporis duraturū, ex contrarijs vero minus: nec ſecus ſi quis ſenex, aut debilis viribus, aut in tempore, terra, cōditione praua ac male temperata ægrotet, acceleraturum mortis aduētum expectari oportet: maximā rurſus vim habere exiſtimans ductam à viribus intentionem.

LVI



Ona vero talia ſunt.



Oc loco receſere tum bona, tum etiam mala indicia incipit, de quibus antea definitū iam eſt. & ob eam rem omittens ea, quæ ſunt deinceps prodita aggrediar. Si cui enim conualeſcendū eſt, omnia bona indicia adſint neceſſe eſt. ſi moriendum, vel vnum adſit malum ſufficiet. tantūmodo enim indicatur citiusq; & ſerius moriturum ægrum propterea quòd plura paucioraúe bona aut mala indicia exiſtant.

LVII



Lię ſuppurationes fere rūpūtur viceſimo die & trigeſimo & quadrageſimo, & ad ſexageſimū diem deueniunt.



Bſcurum eſt, quas alias dicat ſuppuratiōes. Fieri enim poteſt vt de ſuppurationib9 quę in alijs fatigent partibus, ſermonem faciat: omittendo thoracem ac pulmonē de quibus hactenus perpēſum eſt. Fieri enim poteſt vt de ijs agat, quę in ipſis affligant opificijs: ſed nō ſimilib9 prędictis. Porro cōuenit vt de vtriſq;

etiam agat. Sed quia nõ similibus prædictis dixi, id enarrare oportet. Dico enim nõ de omnibus suppurationibus eum, sed de ĳs (vt ipse dixit) quæ habeant permixtam bilẽ, hactenus fecisse orationem. nec de his orationibus, sed quæcunque septimo die rumpuntur. id vero rarum est. Plerunque enim vigesimo rumpuntur: quædã diutius immorantur: de quibus nunc agit. Cæteru differentiæ omnium cõmunes habẽtur, ob quas spatio temporis euariant inter se ex affecta sede, & item nocuo humore. Sedes enim calidior ac siccior, citius suppuratur: frigidior vero ac glutinosior, tardius. Itidem ex humoribus, calidior citius, frigidior tardius. Hæc igitur rei ipsius differẽtiæ sunt. Porro accedunt extrinsecus eæ quæ ab ætate ducũtur, natura, tempore, terra, conditione, ac viribus ęgri. In omnibus his calidus humor citius, frigidus tardius suppuratur. Hæc igitur vniuersim scire de omnibus suppurationibus bene est. Sed mihi videtur nunc quoque docere de ĳs quæ in thorace ac pulmone fatigent.

LVIII

Considerari oportet suppurationis fore colligentes initium a die quo primum homo febricitauit, aut quo rigor eum prẹhẽdit: & si dixerit pro dolore sibi inesse pondus in loco quo dolore afficiebatur. Hæc enim accidunt inter initia suppurationis. ex hoc igitur tempore expectare puris fore eruptionem prædictis temporibus oportet.

Confessum id vnum est omnibus ferẽ medicinæ professis: cũ etiam perspicue constet: vt quoties inflãmatio affligẽs in parte pręcipua haudquaq̃ discutiatur adhibitis subsidĳs, sed suppuratur rigor tantisper, ac febres cõsistant. Etenim libro de rigore, perpensum iã est vt puris acror nascẽtis mordẽs ac derodens adiuncta corpora, rigorẽ cõmittat perinde quasi medicamẽ

ta acriora, quibus ingestis interdū malignis vlceribus, aut quadā affectione putri rigere & febricitare contingit. At vero febris talem comitatur rigorē. Sanè & Hippocrates alterutrum cōmemorauit, ac febrem dixit priorem à die quo primū homo febricitauit, non illum definiens diem qui totius ægrotationis extitit primus; sed quo rigor vnà cum febre vehementiore scilicet admodū quàm prælata, incepit. Quinetiā ponderis euenit sensus tātisper ægrotis, in multas & exiguas partes dispersi in partibus inflāmatiōe laborātibus humoris post mutationē in pus collecti ad aliquā sedē inanem cōtinuam omni parti quę inflāmatione laboret. Igitur ex hoc tēpore quo primū hæc extiterūt, expectare oportet & vigesimo die, & trigesimo, & quadragesimo rumpi suppurationē. Quę vero dixit, indicia tria numero sūt, pōdus, rigor, febris, quę multo quàm antea vehemētius affligat.

LIX

SI suppuratio in altero latere tantūmodo fuerit, vertere atque ediscere conuenit in his vtrum in altero habeat latere dolorem, & vtrum calidius quam alterū sit: atque eo in alterū cubante latus, requirere oportet num aliquod desuper onus illi pendere videatur. Si enim id fuerit, suppuratio in altero latere fatigat, vtrouis onus existat.

COnstat ex dissectionibus, vt mēbranulę thoracē intersepiant à pectore peruadentes ad spinam, ita vt duo caua cōficiant. Quocirca nullā ineūt societatē, quę affligāt in altera parte suppurationes, cū ijs quę in altera fatigent, quēadmodū in illis quę intra abdomen cōsistant. In illo enim circiter omnib9 intestinis circūfluit pus. in hac vero neque materia dextrę partis trāsmeare in sinistrā: neque ecōtrario quę in sinistra est, transmeare in dextrā potest. & ob eā rē censet ediscendū esse num ęger in vtraque parte habeat pus, an in altera dūtaxat. In pulmo

nia eñ quoties in suppurationẽ vertatur, in vtraq; potius quàm in altera colligitur pus: per costalem vero in altera potius quàm in vtraque. Cęterum pars affecta cognosci, tur ex differentia caloris. Calidior enim affecta pars est, & quia cubans æger in latus oppositum, onus sublimiori insidens parti persentiscit. Constat enim vt pus hoc collectum loco, oneris sensum importet.


Quibus signis cognoscantur purulenti. Caput. XI.

LX



Mnes agnosci purulentos his indiciis conuenit: Principio si febris non dimittit, sed interdiu tenuior, noctu vehemẽtior est. Si copia sudoris elicitur, ac tussiẽdi cupiditas est, nec quicquam tamen dignum commentatione expuunt. Si oculi caui reddũtur, maxillæ vero ruborem trahunt, & vngues manuum curuantur, digiti vero potissimum summi calescunt, atque in pedibus tumores consistunt, neque cibum appetunt, ac pustulæ circa corpus erumpuut.

Empiri.



Vicunque pus obtinent intus in corpore vniuersum, siue conditum ante in parte affecta inflammatione, siue etiam post eruptionem, nomines tales purulentos licebit. Sed medici adsolent solos, aut potissimum eos qui in thorace ac pulmone talem habeant affectionem, purulentos nominare. Tale vero pus post eruptionem inter thoracem pulmonem'que continetur. id nisi cito excreetur, tabidi intereunt febricitantes tenuiter, calore noctu crescente. id accidit omnibus febricitantibus ectica febre: non ratione affectionis nocte augente in illis febrem: sed ex quodam accidẽti, quod inquã tale existit per febres ecticas nomine, partes ipsę corporis

solidiores ignitiores euadunt. Ob id igitur assiduæ febris subsimilis manet, calorẽ obtinẽs perinde vt calx debilem contingentibus. Itaque quoties esitent ac bibant, simile quiddam accidit quod in calce euenit aqua perfusa: quo fit vt contingẽtes exterius ęgrum, multo calidiorem persentiant. Ego vero vobis eam rem persępe ostẽdi in ęgris aliâs alio tempore alendo ita febricitãtes, vt crederetis id illis propter alimentum euenire, non ratione affectionis. Perspicue enim apparet incidere calorem febriculosum vnà cum tempore alimenti: statim'que adhibito augeri cibo, & quammaxime vehementem perdiductionem illi9 apparere. Sudores vero continui eliciuntur propter viriũ debilitatẽ, eo quòd diductum alimentũ deiciatur. Quietiam tussiendi cupiditas, id est, voluntas est: nec quicquã dignum cõmentatione expuunt. Si enim aliquid excreassent, nequaquam purulenti euasissent. Cæterum causa ob quam nihil expuũt, triplex est, tum puris ipsius lentor & crassitudo, atque etiam continentis pulmonem membranulæ condensitas, tum etiam debilitas in ęgro facultatis. Porro oculi (dixit) caui reddũtur. Id commune est omniũ lõgarum febrium: sed potissimum earum quę perspicue exsiccẽt. Genę rubent propter calorem in pulmone, & itẽ tussedinem. Hæc enim ambo calefaciũt vultum & omne caput, quia ex defluxione in pulmonem decumbente vapores in ipsum redundãt. At vero vngues curuãtur, quia firmãs eos vtrinque caro consumitur. Itaque digiti quanquam refrigescentes magna ex parte in morbis diutinis, tamen per omnes ecticas febres calidi permanent. Siquidem hę solidiores affecerũt potissimum corporis partes. sanè in summis perspicue calidiores apparent, non in partibus exterioribus, sed interioribus vbi carnulentiores existunt. Causa vero perspicua est, si in memoria hęrent quę sunt de cibo ingesto paulo ante perscripta. Vbi enim humor largior inest, dilucidior in his sedib9 calor euadit. Procedente vero tempore pedes eorum intumescunt totius corporis extinctione inde incipiente. Quippe quòd partes ab origine longissime absunt, tantisper iam cibum fa-

stidiunt, scilicet appetendi facultate pariter cum alijs extincta. Pustulę quædam erumpunt derodente sanie in corpore collecta. talem enim Hippocrates illarum haberi docuit generationem secundo libro de morbis vulgarijs, dū ait: Sanies in cute existit, ibi'que compręhensa calefit. Talis enim sanies in reliquam cutem quæcūque laxior est, se insinuans, in exteriori eius superficie vtpote densiori subsistit. Porrò hanc dirimit, & ab intima absistit sede, atque in ea collecta pustulas gignit.

LXI

QVæcunque ergo suppuratio diutius immoratur, talia habet signa, quibus admodum credere conuenit. Quęcunque vero breuior est, his indicatur signis, qualia inter initia existunt, & item si æger difficilius spiret.

REcte dicit credendum esse diuturnioris indicijs suppurationis. Adeo eñ valida sunt potestate, vt nullam de se relinquant ambiguitatem. Breuiorem vero cognoscendam esse ex indicijs antea prædictis. ea vero sunt, rigor, febris, pōdus, & si quod ex dictis à suppuratione existat diutina, & si æger difficilius quàm antea spiret. id vero accidat necesse est propter angustiam pulmonis, quoties pus inanes thoracis præhendat sedes.

LXII

QVæ vero citius ac tardius rumpitur, talibus cognoscatur signis oportet: Si dolor inter initia extitit, & item difficultas spirandi, necnon tussedo, atque etiam screatio perseueret: vigesimo die expectari, aut etiam antea ruptionem oportet. Si vero continentior fuerit dolor, & alia omnia in his sue

rint ex ratione, postea expectari oportet eruptionem: sed præire necesse est & dolorem, & spirandi difficultatem, & screationem, antequam pus excernatur.

EX quib9 vt ruptionis periculum immineat suppurationis, ex his ipsis indicijs, vt celeri9 id accidat, cognoscas licebit. Ea sunt dolor, difficultas spirandi, tussedo, & screatio. Si igitur continenter & vehementer infestent, celerem fore significãt eruptionem. Si vero non cõtinenter affligant nec vehemẽter, diuturniorem. Cęterũ necesse est deroso obuoluẽte pus corpore, ab acrore eius dolorem fieri. ob id ipm porro tussedinem & screationem: quia sanies quædam tenuior obductum penetret corpus: spirent vero difficulter etiam propter vniuersam corporis conditionem, sed præcipue propter accedentem dolorem.

LXIII

HI vero potissimum supersunt, quos febris eodẽ dimisent die post eruptionem, ac cibum citius appetunt.

HIc sermo omnis ab hac incipiens dictione, totus perspicuus est, si in animo existunt ea quæ sunt antea perscripta. Omittens igitur eum, ad proxima venio.

LXIIII

QVibus abscessus fiunt ex pulmonia, aut circa aures, ac suppurantur, aut ad inferas sedes ac fistulas trahunt, ii supersunt.

VErbum fistulas trahunt, tantummodo in hac dictione obscurum est, dictum per translationem. Quæ enim proprie fistulę nominantur, vtpote musicorum instrumenta, oblonga obtinẽt caua. Quotiẽs

igitur in animalium corporib9 similes prçter naturam gignuntur, ex eadem appellatione significatur. Constat igitur vt Hippocrates verbo fistulæ vsus sit propter longitudinem excursionis. Sed vniuersa summa de abscessib9 est qui ex pulmonia infestent, interdum ad adenas sub articulis, interdum ad inferas thoracis sedes.

LXV

COnsiderandum est in hunc modum. Si febris detinet, & dolor non desinit, & screatio non excernitur ex ratione, neque biliosæ fuerint alui deiectiones, neque solutiores ac synceriores, nec vrina admodum crassa, ac plenius obtinens sedimentum: promittitur vero ab omnibus aliis signis salutaris: his tales fore abscessus sperandum est.

ABscessus prędictos quonam modo aliquis prçsentiat erupturos, docet, in gemina diuidēs orationem, ita vt prima pars eius indicet fore abscessum, secūda vero vtrum supra thoracem ad adenas sub auriculis, an infra prçcordia sit futur9. Itaque exordiemur à prima parte in qua summa est morbum esse concoctu difficilem, non tamen exitiosum. Non enim si concoctu facilis sit: per abscessum, sed aut per excretionem, aut sensim soluetur concoctus: neque si exitiosus existat, aliquod sedimentum bonum apparebit. Quocirca medius inter indulgentiores sit atque exitiosos, oportet. Igitur Hippocrates merito ex his indicijs quędam mala, quędam bona adscripsit, quç particulatim iam persequor, incipiēs à primo, de quo statim inter initia dixit ita: Si febris detinet, id est præhendit hominem, ita vt nunquam intermittat, & dolor non desinit. nam vbi desinat, non opus est abscessu quodam ad solutionē, eo quòd morbus placidior habeatur. Et screatio (dixit) non excernatur ex ratione. prorsus enim morbus non requiret abscessum quoties screatione purgetur. Tum autem deinceps dicit: Neque biliosç fue-

sint alui deiectiones. Antea enim dictum iam est ut per morbos biliosos abscessus nequaquam consistant. Oportet enim crassam haberi ac crudam humorum materiam ut morbus plus temporis eduret: nec per excretionem, sed aut per abscessum, aut solam cōcoctionem curetur. Quidam ita scribunt: neque solutiores ac synceriores, quemadmodum dixi, neque biliosæ alui deiectiones, ita nec solutiores ac synceriores existāt. Synceriores ad alios humores referuntur impermixtos, propterea quòd non habeāt biliosę materię qualitatem: nec solutiores vero ad copiam excretionum, ut siue biliosæ quoque fuerint ac solutiores, per excretionem potius quàm per abscessum iudicatio futura sit. Alij econtrario scribunt dictionem, ita: Neque biliosę fuerint alui deiectiones, sed solutiores ac synceriores. solutiores haberi volentes eas, quæ modice excernantur. synceriores vero, aquosas & impermixtas. Superius em̄ dictum iam est ut syncerum de qualitate impermixta dicatur. Itaque pronuncians Hippocrates dicit biliosas deiectiones de synceris, quod est impermixtis, ac veluti summis per unam qualitatem. Constat ut aquosas dixerit quę incoctæ sunt, & ob eam rem spatio temporis egēt ad cōcoctionem, quo etiam abscessus consistunt. Acuti enim morbi per excretionem potius iudicari; diutini per abscessum adsolent. Sed de differentia in prædictis scripturis, rursus in maiori ocio consideres licebit. Hoc loco totius compendium sermonis perstringam, ut ex ipso pateat utilitas in operibus artis. Itaque instituit Hippocrates scrutari de morbis eūtibus ad abscessum. Hi vero sint ex crudis crassisque humoribus oportet, non tamen exitiosis. Tales em̄ ubi diutius immorantur, cōmittunt abscessus, nisi per concoctionem finiātur. Ita enim nominare adsolet Hippocrates, quoties eorum solutio præueniat. At vero indicia concoctionis erūt, si urinæ copia excernatur, quæ plenius obtineat sedimentum. Ubi vero sedimētum plenius est, urina ipsa prorsus crassior est quàm soleat per naturam. Itaque merito duplex scriptio per dictionem habetur: quibusdam scribentibus ita: Nec urina multa & crassa, pleniusque

obtinens sedimentum. Alijs vero, Nec vrina admodum multa, pleniusque obtinens sedimentum.

LXVI

ABscessus consistunt, hi in locis infernis, quibus circa ilia inflammatio fatiget: illi in supernis, in quib9 ilia molliora & sine dolore persistunt. Si vero aliquandiu spiret difficulter, sine aliqua alia causa desinet.

EVidétem intelligit causam Hippocrates. Id em̄ verbum prophasis, id est causa euidens, significat. Quoties igitur spirationis eueniens difficultas, per prædictas affectiones rursus derepente desistat & euenire & desinere, sine euidenti causa: significat tendere humores ad caput, quemadmodum ad infernas sedes calor quidam euidēs circa ilia. Non enim pituitosum humorem existimari conuenit intelligi ab eo per dictionem in qua ait, In quibus circa ilia inflammatio fatiget. Nam multo meli9 intelligi potest de calore præter naturam flāmido, proditam esse inflāmationem. Is euenit ob ignem factum, aut inflammationem proprie nominatam. quòd si fuerint ilia econtrario molliora ac sine dolore, humores vero tendāt sursum versus, quod indicauit spirationis difficultas, abscessum erupturum supernis sedib9 expectato.

LXVII

De abscessibus. Caput. XII.

ABscessus, si in cruribus erūpit in pulmonia vehementi ac periculosa, oīs vtilis est. optimus vero est si per screationis mutationem iam existat. Si enim tumor ac dolor iam infestet, & screatio pro flaua, purulēta existat, ac foras excernatur: ita securissime homo supererit, & item abscessus ocyssime citra do-

lorem desistet. At si screatio nõ recte excernatur, nec vrina videatur bonum habere sedimentum, periculum clauditatis in articulo, vel multi nego cii imminet.

IN pulmonia vehementi, abscessum erumpere in cruribus, prorsus bonum censetur. Siquidem maxime vera sententia Hippocratis est secundo libro de morbis vulgarĳs perscripta, de bonis abscessibus, vt optimi sint, si deorsum & quã longissime ab ęgrotatione absistant: sed potissimum, si concoctione pariter erũpant. Id enim cõmendauit primo libro de morbis vulgarĳs, dicens: Concoctio celerem iudicationem, ac securam sanitatem promittit. At vero concoctionem indicat screationis mutatio, & item vacuatio innocua atque abũdans. Hoc enim indicauit dicẽs, Ac foras excernatur. At si citra morbi concoctionem, abscessus consistat in cruribus: vindicabitur quidem & hunc in modum homo à periculo in pulmonia imminente: sed articulus ipse in quem decumbet, difficilius sanitati restituetur, ac forsitan quãdoque æger claudicabit. Rursus hoc loco perscriptum est non vnum cruditatis indicium, quemadmodum concoctionis: sed adiecit ductam quoque ab vrina dinotationẽ. In ipsis sanè maleficis screationibus non insuper adiecit incoctionem. atqui id oppositum concoctioni est. sed abũde fuit duntaxat non excerni screationem, idoneum habeti signum maleficæ ægrotationis, existimans vt screari tãtummodo, aut concoqui tantummodo, neutrum idoneũ existat: eo quòd sæpenumero satis screatur quanquam morbus incoctus sit: & itẽ quandoque concoquitur morbus, screatio vero non satis excernitur, interdum præ debilitate mouentis thoracem facultatis, interdũ propter crassitudinem & lentitiã screationis, quandoque propter amborum concursum, tum virium debilitatis, tum etiã qualitatis puris. Itaq; necesse est & cõcoqui morbum, & excerni recte screationem, per affectionem quæ in sanitatẽ itura sit. per affectionem vero contrariam, idoneum si-

gnum non screari tantummodo est. ex superabũdanti vero in ea ipsa indicium erit malefici morbi, si adeò non recte excreatur, nec vacuatur materia in thorace condita ac pulmone, vt etiam adsint indicia quædã cruditatis humoris. Constat enim vt difficilior sit affectio, in qua neq; excreãt, & item cruditas permanet: modestior vero, per quã concoquitur quidem, sed non abunde excreant, nec integre perpurgãtur. Cæterum vt abscessus maxime circa articulos erũpat, id quod libro de morbis vulgarijs scripsit, hoc etiã loco indicauit, ferè extra propositum dicens: Periculum clauditatis in articulo imminet. At vero causa taliũ abscessuum, amplitudo articulorum habetur, imbibẽs decumbentes fluxiones. Ad id quoque conducit motio eorum. Omnes enim humores, ad sedem commotam & calefactam facilius permeant.

LXVIII

SI abscessus deletur, ac rursus repetit, nequaquam secreta screatione, ac febre detinente, difficilis morbus est. Periculum enim delyrii mortis'que imminet.

DEleri dicere quendam tumorem prẹter naturã, non id quod desistere indicat. Verbum eñ desistere, aliquid generalius: deleri vero, cito desistere ac velut derepente significat. Id igitur accidit interdum propter humoris tenuitatem, & partis laxitatem, & item circũuenientis aeris caliditatem, atque adhibiti medicamenti potestatem, ac virium ægri firmitatem. Si eñ omnia prædicta concurrant, moles præter naturam cito discutietur. sed magna ex parte tales deleantur, transmeantibus committentibus eos humoribus, aut in eandem sedem vnde commoti sunt, (quod inquã proprie nominat Hippocrates repetere) aut ad aliquam aliã sedem in profundo corporis positam. Tanquam igitur ex causis maxime contrarijs moles deleatur præter naturam, finem ha-

bet maxime contrarium, aut citissimam indicans nocuæ materię solutionem, aut deterrimam affectionem in partes pręcipuas remeantibus. Hęc igitur omnium abscessuum communia censentur. Definitio vero communis quoque deleti tumoris est. Considerari vero oportet & alia indicia, potissimum quæ propria affectarum partiũ sint. Hoc loco spiritalium opificiorum propria definitio ab Hippocrate, proxima scilicet communibus, perscripta est. Itaque dixit ita, Si abscessus deletur, nequaquam secreta screatione, ac febre detinente, difficilis morbus est. Cõstat eñ vt secesserint in profundum ad sedem perspicuã. Si enim discussi essent: non insuper febricitarent, ac facile screarent. Itaque verisimile est in pulmonem, omnem secessisse fluxionem: & ob eam rem delyrare eos ratio est. Siquidẽ id vnum ex ĳs habetur, quæ per tales in pulmone affectiones eueniãt. At vero vt spirãtes difficulter, morituri sint, dicere supersedit, sciens nos eã rem esse ex prędictis intellecturos.

LXIX



Vi purulenti ex pulmonia sunt, si maiores natu fuerint, potius intereunt. per alias vero suppurationes, minores natu potius moriuntur.



Aiores natu non simpliciter, sed comparate aduersus minores natu intelligi debent. Nam qui per ætatem nimium iam processerint, ex nullo morbo magis quàm natu minores conualescunt. Sed qui inter hos & consistentes suo vigore interiacent, vtpote semicani, crudi'que senes nomĩe, cõualescere videri licet interdum magis quàm qui consistant per ætatis vigorem; quemadmodum Hippocrates ipse docuit de inflãmationibus que in auribus fatigent, & nunc de purulentis ex pulmonia. In his enim, quia propter excreationem sanatio est viribus egens validioribus: ob id potiꝰ minores natu quàm maiores seruãtur. In cæteris, minores natu antea

moriuntur ex doloribus ac febribus: id quod ipse dixit de auribus. Febres enim ac delyria minus illis accidunt, proinde'que aures antea suppurãtur. Porro minores natu (dicit) antequam aures suppurentur, multi intereunt: quoniam si effluxit pus ex auribus, conualiturũ esse ægrũ sperari potest. Itaq; per alias suppurationes, sub ipso suppurationis tempore minores natu ex magnitudine febrium ac doloris moriuntur.

LXX

De dolore qui circa lumbos fatiget. Cap. XIII.



Olores qui cum febre affligant circa lũbos & inferas sedes, si præcordia attigerint, inferas relinquentes sedes; exitiales admodum sunt. Itaque consideranda alia signa sunt. Nam si quod horum prauum extiterit, desperandus æger est. Si vero remeante in precordia morbo, alia signa non praua extiterint, talem fore purulentum admodum expectabis.

SI præcordia attigerint, quidam de delyrio intellexerunt, velut si in hunc modum dixisset: Dolores qui cum febre affligant circa lumbos & inferas sedes, si ascendentes committant delyrium, difficiles sunt. Alij melius quàm hi partem corporis dictam volunt, quod septum quoque transuersum nominatur. Suffragatur veritati orationis, illud quód est in calce sermonis perscriptum, vbi dixit, Hunc fore purulẽtum sperari admodũ potest. Vult enim, recurrente in thoracem morbo, è duobus alterum, aut derepente aboleri ægrum: aut si secum optime agatur, prorsus fore purulentum. Porro hæc interstinguũtur alijs indicijs. Si enim non praua sint, purulentus euadet. Si prauum aliquod fuerit, prorsus moriturus est.

LXXI

De inflāmatiōe quę in vesica fatiget. Ca. XIIII

SI vesica dura est, ac dolore vexatur, difficilis omnis & exitialis est. Exitiosissima vero est quæcunque cum febre continua affligit. Qui enim ex ipsa vesica fatigat dolor, interimere hominem sufficit: & aluus in talibus nihil nisi durum ac pro necessitate excernit.

SAepenumero dictum iam est vt inflāmationis vocabulum, Hippocrates de inflāmatione afferat, sermone indicans quam Erasistratus & alij posteri nominant singulari appellatione inflāmationem: quēadmodum sane nunc dixit: Vesica dura ac dolens. At vero, quam ob rem talem dixit haberi difficilem affectionem, maximeq́ue quoties febris infestet acuta, perspicue ipse indicauit, magnitudinem causando doloris, & item deiectionis suppressionem. Supprimitur vero propter angustiam subrecti intestini, atque etiam vesicę dolorem. Porro desinunt ægri tali fungi officio, quoties statim si cœperunt, dolor infestet. Id'que cōmune vniuscuiusque doloris est. At vero dolor affligit interdum quia fungētia officio opificia, inflāmatione laborant: interdum quia proxima talibus opificijs mēbra afficiūtur. Ita spirātes, dolore infestātur ex inflāmatione lienis, aut vētriculi, aut iecoris, aut in ilijs musculorū: & ob eam rē spirare difficulter cogūtur illo genere spiratiōis difficultatis quo spiratio parua ac crebra est. Sed huius spirationis difficultatis atque etiam aliarum omniū causa, libro de spirationis difficultate primo, perpensa iam est.

LXXII

SI vrina mingitur purulēta, candidum ac leue obtinens sedimentum: solutio accidit ægrotationis.

QVoties vesicæ inflammatio concocta sit, decũbunt in sedem eius interiorem concocti humores scilicet, ac pariter cũ vrina excernũtur, indicium habentes bonę in sedimento concoctionis.

LXXIII

SI vero neq; concedat vrina, neq; vesica mollescat, ac febris cõtinua sit: primis circuitionibus morbi aboleri eum qui dolore afficitur, expectandum est.

NEq; mollescere vesicam, ac febrem continuam esse, perspicuum est. Vrinam vero nequaquã concedere, obscurũ inexplanatũ'q; est. Etenim nomen de affectibus & item accidentibus ferre assolet: queadmodum omnes alĳ posterioris æui, concedere inflãmationem, molem, duritiem, tendorẽ, dolorem dixerũt: non tamen aliquis, concedere vrinam dixit. Itaq; forsitan de prædictis Hippocrates appellationẽ transtulit ad vrinam, vt mutationẽ eius in melius, ita intelligamus. quod quidem si cõcedatur: vacuationem ex suppressione proditam ab eo, inaudiamus licebit: vt intelligamus per inflãmationem vesicæ, supprimi vrinam. id enim interdũ accidere solet, quoties perquam exitiosus morbus est: ac raro enter ex eo conualescit. Igitur ad hũc modum legitur in alĳs quibusdã, & itẽ in codicibus Artemidori & Dioscoridis. in alĳs vero dictio ita habet: Si vero nec vlla fuerit vrina, neque dolor concedat. ac talis lectio nullam habet quęstionem aut ambiguitatem.

LXXIIII

HEc formula potissimum attingit pueros a septimo ad quartumdecimum annum.

PRopter inopportunũ atq; exuperãtem cibum, copia colligitur humoris crudi vocati, in corporibus puerorum. Is igitur per renes expurgatus

cotidie, atq; etiam per vrinarios meatus in vesicam collectus, interdum calculos in ea gignit, sæpe etiam inflammationẽ, quoties vesica ab humoribus his subinde trãjcientibus, vehementer afficiatur.

HIPPOCRAtis Coi prędictionum Liber tertius Laurentio Laurentiano Florentino interprete.

I

De febribus. Caput. I.



EBRIVM iudicationes fiunt iisdem numero diebus, & ex quibus supsunt homines, & ex quibus intereunt.

CLAVDII GALENI IN prędictiones Hippocratis Liber tertius eodem Laurentiano interprete.

DVo habetis volumina (vobis enim id dico sodalibus, quicunq; coegistis me ita institutem scribere enarratiões cõmentariorũ Hippocratis) in quibus omnia præcepta de diebus decretorijs, ac iudicationibus perpẽsa iam sunt. Porro scitis vt eas nõ tanquã edendas in vulgus, sed tanquã vobis tantũmodo legẽdas scripserim. Accidit autẽ vt excide rint, & in manibus multorum sint, quẽadmodum & alia multa à nobis perscripta: & ob eã rem nullũ in cõmentarijs mihi libuit enarrare volumẽ Hippocratis. Quęcunq; enim arti vtilia ab eo didicisse oportuit, ea sunt in multis

à me voluminibus pariter cũ proprijs enarrationibus cõprehensa. Sed quoniã quędam dictiones prauã nactę sunt enarrationẽ, ita vt nullus vobis placeat ex ijs qui cõmentationes scripserunt: melius vero quàm hi scrutari sententiam Hippocratis visus ego sum vobis: idcirco me scripta relinquere voluistis vobis, quęcunq; sermocinãdo coram audiuistis. At vero id ipsum ego quoq; vobis prędixi, vt necesse sit enarrationes fore inæquales, nõ omnibus ęqualiter dictionibus enarratis, sed integrius illis quarũ nusquã in cõmentarijs meis habui mentionem: summatim vero ijs de quibus in eis cumulatissime docui: ne sępenumero ea ipsa pręcepta scribere cogamur. Ergo quia omnem de dieb9 decretorijs sermonẽ, pariter ac de iudicationib9, in quibusdã persecutus sum libris: hoc loco summas rerum duntaxat earum quæ ibi proditę sunt, in animũ reuocabo, petito inde initio. Iudicatio enim p morbos, de foro trãslatitia appellatione dicta est, significans pręcipitem in morbo mutationẽ: quæ quadrifariam existit. aut enim statim vindicãtur à morbis, aut magnã obtinent in melius mutationẽ, aut statim moriuntur, aut multo deteriores euadũt. Itaq; duas primas iudicationes, simpliciter nominãt iudicationes, proximas duas magna ex parte cum adiectiõe malam iudicationẽ, aut prauam iudicationẽ, aut aliquid tale verbo iudicationis adijcientes, & item quandoq; sine adiectione simpliciter. Didicistis præterea vt omnis iudicatio cum quadam euidẽti fiat vacuatione, aut abscessu. Raro enim pueruli tantũmodo per somnũ altiorem ac lõgiorem, celeres in melius fecerunt mutationes: quas nonnulli volunt etiam nominari iudicationes, alij nequaquã comprobant. At vero dies nominant decretorios, in quibus tales firmę pariter ac plurimę fiunt mutationes: per alios dies neq; firmas cernimus neq; multas fieri iudicationes. Cęterum cognouit non primus solum, sed etiã maxime diuinus Hippocrates decretoriorũ dierum naturã: atq; etiam indicauit causam generationis eorum: quam nos quoq; libro de diebus decretorijs docuim9, validiorẽ indicãtes haberi circuitionem decretorium dierum septe-

natium. Secũdam vero poteſtate quaternarium, eo quòd ſeptenarius bipartito ſecetur. Porro denũciari futuram iudicationem ſeptenarij circuitiõe à quaternario. Quartus enim dies ſeptimi, vndecimus vero quartidecimi index eſt: quos Hippocrates cõſiderandos dixit, & indices nominat. Duo præterea primi ſeptenarij à ſe inuicem diducuntur, ſequens vero copulatur. Itaq; diducuntur quoties ſequenti die deſinente primo ſeptenario mox ſequens ab altero indicetur. Copulatur vero, quoties vnus dies vtriſq; ſeptenarijs cõmunis eſt, deſinẽte in eo primo ſeptenario, proximo vero ab eo ipſo incipiente. & ob eã rẽ vigeſimũ diem, tertij ſeptenarij nouiſſimum eſſe perhibuit. quòd ſi hic quoq; ex diductione numeratus eſſet, primus & vigeſimus, nõ vigeſimus validior haberetur. Sed conſtat vt non ita eueniat. Vigeſimus enim validã efficit ac ſæpenumero iudicationẽ. Igitur cum tres ſeptenarij viginti impleãt dies, tum autem quartus ſeptenarius primo & vigeſimo inchoetur, ex ſeptenarijs deinceps viginti implentibus dies, merito Hippocrates quadrageſimũ diem, non quadrageſimumſecundum, decretorium haberi dixit. Itidem & ſexageſimum & octogeſimũ, non ſexageſimumtertium, neq; octogeſimumquartum. Hæc igitur circuitionum per ſeptenarios digeſtio eſt, numeratio vero per quaternarios huic ſubſequens eſt. Diducto enim quouis ſeptenario in duos in eo quaternarios, quart9 ab initio morbi dies, finis erit primi quaternarij, initium vero ſecundi. Tum autem quaternarius deinceps tertius, ab octauo inchoabitur die, quia ſecundus ſeptenarius ab eo ipſo incipit. Ita fit vt vndecimus dies, finis tertij quaternarij, initium vero quarti habeatur. Porro quintus quaternarius, à quartodecimo inchoabitur die, eo quòd tertius ſeptenarius copuletur. Igitur die ſeptimodecimo finis eſt: qui rurſus duobus quaternarijs, quinto ac ſexto communis eſt, in quos tertius ſeptenarius diductus eſt. Nec ſecus vigeſimus dies ægrotationis finis trium ſeptenariorum, & quaternariorum ſex habetur. Hi igitur per circuitionem decretorij ſunt. Alij vero intercidunt per morbos acu-

tos: qui quamobrem intercidant, libro de diebus decretorijs perpensum iam est. Tales sunt tertius quintus ac nonus. Intercidit quandoque sextus, qui male iudicat, propterea quòd cum accidẽtibus difficilioribus interdum faciat excidere iudicationem ad hypercrisin nominatam, quia iudicatio vltra debitum prorogetur tẽpus. Non em̃ integre discutit morbum, sed imperfecte: & siquando integre discutit, prorsus efficit recidiuam. Hæc & alia multa sunt à nobis libro de diebus decretorijs prodita: quę oĩa fere Hippocrates scripsit alia alijs voluminibus, sed à me sunt vno libro comprænhensa, cui titulus De diebus decretorijs est, simul definitis ijs quæ minus definita erant, atq; etiam integre explanatis ijs quæ ab Hippocrate videbantur negligẽtius prodita. Cui vero libeat exquisita ratione præsentire futura, reuoluendæ sunt commentationes illæ è quibus altera de diebus decretorijs, altera de iudicationibus est. Nũc vero instituimus dũtaxat enarrare dictionem Hippocratis, Ex quib9 supersunt homĩes, & ex quibus intereunt. Verbum ex quibus, aut iudicationibus, aut diebus dicit. Sed rectius est nõ diebus intelligere, sed iudicationibus. Si enim & quammaxime cõuenit vt verbum ex quibus, de dieb9 dicatur: tamen primaria ratione in iudicationibus, & ob illas etiam in diebus existit. Cęterum ex his superesse hominem aut aboleri, indicat appellari ab eo iudicationem in quauis celeri conuersione, non solum ea quæ ad salutem existit.

II III

SImplicissimæ enim febres, ac signis firmatæ securissimis, quarto die, aut citi9 desinunt. Deterrimę vero, ac signis affligẽtes difficillimis, quarto die aut citi9 interimũt.

SImplices dicuntur homines, & item malefici in quadam simulatione, quemadmodum Simia callias. Porro dicuntur etiã ij qui sint bonis pręditi moribus. Sed enim primi frequẽs vsus apud authores, secundi vero rarior est. Itaque dicunt interdum & ita, non

solum simplicem, sed etiã simplicitatem de affectione benefica. Dinardius igitur in Daonem ita dixit: Gubernans rem suam Cephalion, adolescẽtior, & natura probus erat ac simplex. Demosthenes aduersus Aeschinem cum iudicibus disputans ait: Nunc vero ob vestram simplicitatem & indulgentiam pœnas dat. & hæc quoties libet Plato, libro de republica tertio: Igitur rectus sermo, conueniẽtia, honestas, concinnitas, ac simplicitas comitatur. non insciciam intelligẽs vocatam simplicitatem, sed rectum ac bonis moribus paratum intellectum. Itidem in Euthydemo simplicem dixit eũ qui simplices habeat mores & honestos: & vt demiratus est, hic est adolescẽs, ac simplex. Sed hæc abũde sint exempli gratia prodita ad cognoscẽdam authorum consuetudinem in verbo simplicitatis ac simplicis, secũdum duas significationes. Nunc Hippocrates in altera earum febres dixit simplicissimas, tanquam dixerit placidissimas ac mitissimas, haudquaquam maleficas. & quoties securitatis indicia extiterunt, vltra primũ quaternarium nequaquam procedet, sed aut quarto die aut citius desinet. Pari modo maleficę quoque febres & cũ indicijs exitiosis, quarto die aut citius interimunt. Itaq; constat vt tertium diem adnumeret decretorijs, dum ait, Quarto die aut citi9 desinũt. Itidẽ libro de vulgarijs morbis primo voluit, primum inter dies decretorios scribens tertium. At vero securissima dicit indicia ea quæ particulatim ab eo magnopere cõmendantur, quorum nominatim paulopost habet gratia exempli mentionem.

IIII



Taque primus impetus hunc in modum finitur.



Aepenumero offendes ab authorib9 proditum impetum hostiũ aut latronum: ex quo nũc Hippocrates transtulit appellationem ad circuitionem decretoriorum dierum. Cęterum quæ sunt deinceps scripta, per se patent, potissimum quibus in animo hęrent ea quæ paulo ante docuimus.

Rf ī aph: ad pnient 24

De circuitionibus morborum, & quo pacto non integris numerentur diebus. Ca.IIII.

V

Fieri vero non potest vt hęc integris diebus eximie numerentur. Non enim annus ac menses integris numerari dieb9 solent.

Cum tres in diem vigesimum septenarios adduxisset, ob id ait, non possunt talia diebus integris numerari: neque enim annum neque menses integris numerari dieb9. & vere talia dixit. Annus enim non trecentorum & sexagintaquinque dierum tantummodo est, sed etiam quartæ partis diei, & item ad hæc partis cuiusdam prope quodamodo centesimæ. Vnusquisque vero mensis minor est triginta dieb9, maior vero noue & viginti. Nominatus que est ab antiquis mensis, vt etiã nunc in multis ciuitatib9, tempus inter duas Lunæ ac Solis coitiones intercidens. Et cui libeat tempus exquisite edifcere simul cum idoneis demonstrationibus quantum sit, integrum habet volumen ab Hipparcho factum, queadmodum de tempore annuo commẽtarium nostrum. Ita etiã Hippocrates septenarium dicit. Cõstat que vt quaternarius non sit integrorum dierum, sed partem quãdam deesse, tantam, vt tres septenarij viginti circũscribantur diebus. Sed quænam sit causa horum, ipsi tentauimus docere libro de diebus decretorijs tertio, cum tamen nemo antea dicere aggressus sit.

VI

Postea vero eodem modo & ea ipsa adiectione, prima circuitio quatuor & triginta dierum, altera quadraginta dierum, tertia sexaginta dierum est.

Non id nunc dicit Hippocrates quia post diem vigesimum, ad quartum & trigesimum vsque nullus intercidat decretorius. Sibi enim ita pu-

gnaret, medios quosdã dies decretorios libro de morbis vulgarijs commemorans. & quę apparent in ægris per morbos, talem coarguunt sermonem. Sed quia trium septenariorum ad vigesimũ vsque diem inter se deinceps numeratorum non eadem fuit compositio: (secundus enĩ à primo seiunctꝰ est: proindeq; quartodecimo die finitur: tertius vero huic copulatus est: & ob eam rem vigesimũ habet limitem) idcirco sequẽtem septenariũ pariter procedere volens: vt ex duobus seiunctis, tertio vero copulato viginti impleantur dies: quadragesimum nouissimum statuit terminum sequentium trium septenariorum: in ipsis vero duobus circunscripsit tricesimum quartum: & ob eam rem fecit huius ante quadragesimum mentionẽ. Pari ratione mox ab his tres septenarij in sexagesimũ deducuntur: & octogesimum decretorium perhibuit, non octogesimumquartum, libro qui est de morbis vulgarijs. Ita tres septenarij viginti dierum numerum absoluunt. id euenit propterea quòd duo primi seorsum numerantur, ita vt quartodecimo desinant die, tertius vero iunctim cũ secundo, ita vt hic quoque vigesimo die contineatur.

VII

INter initia horum difficilius est præsentire ea quæ parte maxima temporis iudicanda sunt, simillima enim eorum initia sunt: sed a primo die numerãdum est, considerãdum'que singulis additis quaternariis: nec latebit quonam vertetur.

RVfus hoc etiam loco verbum iudicanda, translatitium est, tum in bonam, tum etiam in malam mutationem. ac dicit inter initia morborũ qui breui iudicãdi sunt, facillime cognosci quonam desituri sint: quemadmodũ paulo ante dixit de ijs qui primò quaternario iudicandi sint. Etenim febris ipsa si curanda est, placidissima: si interemptura est ægrum, maleficentissima est. At vero quæcunque in vtraque indicia sunt, in

priore quidem omnia saluberrima: in sequẽti vero deterrima sunt. Ita fit vt neutra quartum transmeet diem. Constat eñ vt semper fiat iudicatio, vel natura superante morbum, aut victa ab eo. Itaq; placidissimarum natura ægrotationum ocyssime superat, à difficillimis vero celerrime vincitur. Ita efficitur vt maxime cõtrarĳ sint inter se morbi qui celeriter iudicantur, subsimiles vero qui plus temporis in solutionem requirãt. Vt enim per morbos breues magn9 excessus quandoque naturæ est, quãdoque ægrotationis: ita quoties neutrum magnopere exuperet, sed ceu pares quidam hostes pugnent, plus temporis ad alterius victoriam desideratur. Itidem luctantes quicunque palestrices peritiores habentur, internoscunt vbi magnũ viderint excessum, statim alterum peruicturum. Si vero neuter magnopere exuperet: profecto plus temporis pugnaturos pronunciabũt: nondum cognoscentes vter eorũ victurus sit: sed processu temporis, id'que priusquam cæteri cognoscent, quippe qui excessum exiguum exquisitius animaduertant. Artifex enim maxime dissidet ab eo qui artis expers est: vt vel exigua rerum discrimina præsentiscat. Sed quia aliqua nullo pacto sentiri queunt, vtpote incertiora: talia neque etiam artifex cognoscit. Itaque quam primum sentiri possunt, tantisper cognoscuntur: & ob eam rem præcepit Hippocrates per singulos quaternarios considerari mutationem oportere. Non eñ latebit quonam vertetur, id est vtrum in sanitatem salutem'que, ægri exuperãte natura: an exuperata, ad abolitionem. atque hęc rerũ summa est. Sed quonam modo eam rem potissimũ agas, libro de iudicatiõib9 à me perscripto maxime discas licebit.

VIII

Quartanæ cõditio, ex 'eodem ordine est.

ID quoque plerisque incognitum est: & ob eam rem mirabundi sæpenumero vatitium quoddã nostrum præsagium haberi credunt, vt nequaquam febre detentus quartana, vindicabitur post diem (si ita fors tulerit) quintumdecimum. Atqui per tertianam

non demirantur præsagium. Sed in vtrisque ratio cōmunis est. Vt enim per febres continuas numeramus omnes deinceps dies in prædictionem futuræ iudicationis: ita per intermittentes, accessiones: vt quod per continuas septimus dies valet, id per intermittētes septima circuitio possit. Ob id igitur exquisita tertiana septem circuitionibus, non diebus septem iudicari solet. Quinetiam quod quartus dies à principio numeranti aduersus septimum est, id quarta circuitio aduersus septimā circuitionem. Quarta em̄ dies, septimi index est: & item quarta circuitio, septimæ index est. Sed de his omnibus libro de iudicationib9 perpensum iam est. Quocirca nunc id vnum intellexisse sufficiet, vt quartanę febris circuitiones ex numero circuitionum accidant, non dierum: ex eodem cosmo, id est ordine est. Cosmon, id est ordinem appellauit decretorium ordinem dierum. Vt enim ascomias, id est inordinationis proprium est ataxia, id est inordinatio: ita cosmu, id est ordinationis, taxis est ordinatio. Et ob eam rem appellarunt mortales vniuersum, cosmon, argumento ordinationis, quandoquidem in eo cūcta recte disposita sunt. In medio em̄ eorum terra posita est, extra mare circumit, id ambit aer, illum æther, demum his omnibus cœlū obtenditur. Quinetiam conuersiones inenarrabilium, quid opus est dicere quàm ordine eant, vt quę assidue similiter habeant: errorum vero anfractus, quanquam non singulis diebus pares existant, attamen ordinem paribus tēporis circuitionibus seruant, ipsis assidue easdem signiferi partes perreptantibus.

IX X

SI quis minima temporis parte iudicandus est, præsentiri propensius potest: maxime enim ab initio dissidet. Qui enim conualiturus est: facilius spirat, sine dolore agit, noctu dormit, & alia signa securissima habet. Qui vero moriturus est: spirat dif-

ficulter, conflictatur, vigilat, & alia signa deterrima habet.

VErbum propensius, vt antea est proditum, prõptius faciliusque significat. Propésiora enim appellitat faciliora, & ad cognoscendum promptiora. Itaque paulo ante dixit, Simplicissimæ enim febres, ac signis firmatæ securissimis, quarto die aut citius desinunt. Sed nũc recensuit id, vt per exempla planius iudicetur quænam signa saluberrima censeantur. Igitur ipse inferens dicit: Qui enim conualiturus est: facilius spirat, sine dolore agit, noctu dormit. Qui vero moriturus est: spirat difficulter, conflictatur, vigilat. Deinde vtrique sermoni adiecit, priori quidem, Et alia signa securissima habet. secundo vero, Et alia signa deterrima habet. clare indicans vt exemplorum causa fecerit mentionem in vtroque genere signorum. Porro id etiam merito adiecit sermoni: Maxime enim ab initio diffidet: vt antea quoque dictum iam est: cum insigne sit diuortium inter se morborum, qui minimo temporis tractu discessuri sint aut in sanitatem, aut in mortem: quomodo eorũ qui plus temporis extendantur, subsimiles notæ existunt. Cæterum verbum ἀλλοφάσειν, dictum quoque id nomen est ex dictione non admodum consueta græcis, aut delyrare, aut inquietos agere: quod verbum ἀσωμένους, id est conflictari significat. Sed rectius, quantũ ex ipsa dictione conijcio, prima significatio est, vt nomen sit factum propterea quòd alias loquatur aliud. nonnulli, quia mutet alias in aliam figuram τὰ φάη, id est oculos, extitisse dicunt appellationem.

XI

HIs igitur ita euenientibus, considerari conueniet per temporis spatia & adiectiones singulas meantibus morbis in iudicationem.

VT antea quæcunque dixit de primo quaternario, inter initia recensuit, adijciendo exempla: pari modo rursus per hanc dictionem persequitur ea quæ sunt per illam tradita, in qua ait: Sed à primo numerandum est, considerandum'que singulis additis quaternarijs, nec latebit quonam vertetur.

Quo pacto in mulierib⁹ a die quo pepererint, iudicationes existant. Cap. VI.

XII

PAri modo in mulieribus iudicatiões fiunt a partu, quouis die pepererint.

PRincipium numerationis erit non quo die cœperint febricitare, sed quo pepererint. In quibusdam igitur circa secũdum aut tertium incipiũt diem à partu: ex quo multi numerant futuram iudicationem. Sed res nõ ita se habet: sed ex quo pepererint, numerationem fieri oportet dierum. Cæterum cum hæc omnia summatim de diebus decretorijs docuerit Hippocrates, libet vt in animum reuocetur id quod à me sæpenumero perpensum iam est, id est quasdam conquisitiones haud quicquam conducere ad artis ministeria, logicam habentes considerationem. Vsus enim prædictionis est agnoscere diem quo morbus iudicandus est. Sed vtrum sit acutus appellandus, an peracutus, an lõgus, an acutus, an acutus ex conuersione, de noĩbus quærere est potius quàm de rebus. Quòd si cui placeat talem quæstionem esse de reb⁹: sed non de ijs rebus est ex quibus orsus quispiam aut præsentiat futura, aut recte medeatur. Itaque subijciatur vere præcognitum esse vigesimo die fore morbi solutionem: tum autem re ita eueniente quemadmodum expectabatur, quẽdam dicere acutum morbum extitisse, quendam non acutum permittere nominari ipsum, (finem eñ esse morborum acutorum quartũdecimum diẽ) deinde eos inter se dissidere: & alter appellet perspicue longum, propterea quòd exciderit acutorum limitem morborum, nec esse existimandum per morbos aliam tertiam differen-

Vtilitas præsagiorũ

tiam de quantitate temporis haberi. alter vocet acutum ex conuerſione talem morbum, alius acutum nominet, alius non ſimpliciter ita dicat, ſed appellet acutum paulo adauctiorem. Si quis igitur audiat ea ex quib9 ſinguli diſcrepantes veriſimilibus communiunt opinionem, deinde decernat quiſnam eorum melius peiuſ've ſentiat: multũ conteret temporis, nec aliquid in arte iuuabitur. Pari modo ſi quis nouit præſentire ſeptimo & vigeſimo ſolutum iri morbum, nec poſſit definire vtrum acutus, an acutus ex conuerſione ſit, nequaquam in artis officio offendetur. Optimum enim eſt per differentias in morbis abs tempore ductas, tãtum eorum exiſtimare eſſe numerum, quanta decretoriorum circuitio habetur: vt breuiſſim9 quidem primo circunſcribatur quaternario, poſtea ſecundo, tum autem tertio, deinde quarto, mox quinto, ac demũ ſexto, qui in diem vigeſimum deuenit: poſtea vero aboleri quaternarios, fieri que per ſeptenarios iudicationes: deinde etiam hos aboleri procedente tempore: ita vt per vicenos dies morborum efficiatur ſolutiones: poſtea ad menſium numerum deuenire. Duo enim ſunt temporum acceſſus in morbis: vt aut acuti', aut diutini nominẽtur. Sed gratia illuſtrioris diſciplinæ ſæpenumero ita nominamus: mox ab ipſis ducti reb9, inter eos rurſus ponimus acutos ex cõuerſione: & oẽs differẽtias tres haberi dicimus: ẽ quibus rurſus ſingulas partimur: velut in acutis, hic ſimpliciter acutus, ille peracutus ab ipſo Hippocrate nominatur. Peracutus ſi ſeptimum nõ tranſmeet diem, ſed aut in eo, aut etiam maturius iudicetur, tum autem hunc quoque paulo adijcere cementes ambigimus propriam non habentes deferre appellationem morbo qui ſeptimodecimo iudicetur: quomodo nec ei qui vigeſimo finiatur: ita vt appareat hac in re ambiguitas aceruus nominata', videaturque interdum veriſimile non eſſe quartumdecimum limitem acutorum morborum, ſed vigeſimum diem. At vero rurſus & alia ambiguitas ſuper eaipa re eſt. Etenim morbus acutus cum magnitudine quadam ac febre continua intelligitur. Si enim non ita ſit, quãquam circa quar-

tumdecimum soluatur diem, aut etiam citius, eiusdem appellationis nequaquam censemus. Igitur hæ sunt & tot acutorum differētię accessiōis morborum: alię vero eorū qui ad ampliorem latitudinem post diem vigesimum extendantur. & item consonum rationi videtur, vt si ad quadragesimum prorogetur diem, quadam propria differentia collocentur: necnon si ab his ad septimum mensem extenduntur, alia differentia: quomodo si annui sint, rursus alia comprǽhenduntur: & ad hæc si habeant non mensium, sed annorum numerationem. Quod igitur assidue monui, talia prætermittenda sunt, existimādum'que satis esse præsentire quonam tempore conualiturus æger est. Itaque constat vt Hippocrates in nullo morbi genere quā solet nominare suppurationem, interdum vigesimū diem statuat terminum eruptionis, interdū trigesimum, aut quadragesimum, aut sexagesimum. Quocirca permittens deferre appellationes ijs qui circa talia peritiores existunt, ipse stude præsentire in quem de relatis terminum morbi impetus perrepturus sit. Id comperies duobus velut instrumētis, experimēto, ac ratione. Experimēto quidem, vnam & item alteram docente suppurationem eruptam, alterutram proprio seorsum tēporis spatio. Ratione vero, indicante materię suppurationis substantiam, & item causam efficientem eius, & eas quæ cum illis cooperantur. Simul enim aliquis vidit primam suppurationē quadragesimo erūpere die, quam talis commisit humor, verbi gratia modice frigidus, ac tempore similiter modice frigido, & ætate & regione, & natura totius morbi, atque etiam affectæ partis: & rursus simul vidit alterā erūpere sexagesimo die omnibꝰ prælatis frigidioribus, tū autem vigesimo calidioribus: ex his orsus, poterit alias scrutari suppurationes, intētionibus vtēs empirice perspectis, conferens cum illis ea quę nunc accidunt per caliditatem & frigiditatem ipsorum humorum euariantium, & itē alteratis eos causæ efficientis, quę (inquam) calor natiuus est: & quęcunque alia huic cooperantur ex terra, tempore, conditione. Porro causæ ipsius efficientis magnitudi-

nem ab ętate conijciens, & item propria ipsius natura, atque etiam parte in qua accidit fieri suppuratione, & alijs indicijs quęcunq; robur atq; imbecillitate indicat in arteria ac venis facultatis: (qui em nihil ex his agnouit, sed expectat ex obseruatione cūctas discere suppuratiões, mille tēpus annorū ad eam rem nequaquā sufficeret: quēadmodū rursus qui natiuū scrutetur calorē quàm vehemens sit, cum'q; eo cōfert cōcoquēdę naturā materię, viā habet inueniēdę eius rei quā vestigat) hic vn9 potest ex ijs quę nouit, ea etiā quę nō nouit, artificij ratiōe peruestigare. Hic vnus dicet vt circa vigesimū diē talis suppuratus sit, circa trigesimū talis, & in alijs similiter, nihil insup necesse habēs addere vtrū oporteat nominari acutū, an longū, an acutū ex cōuersiōe morbū. Hęc igitur interstinguere, officiū est nō medicorū mediusfidius ministerijs artis studentiū, sed sophistarū sermonibus vacantiū: & ob eam rē de his quęstionibus in excelso insidentes solio, scite admodū plerịq; sermonibus phauriūt auditores: quid vero sit ęgris euenturū, magis latuit eos, quàm maris congros. Alij ecōtrario idonei sunt ad cognoscendū morbos, ac pręsentiendū futura, sed nihil habēt quo logicas diluant quęstiones: & ob hāc causam alij existimātur medici ab hominibus: alij sophistę ac medici loquentes. eos enim ita appellant: & si quos viderint librum aliquē legentes, & ratione vtētes, tales medicos loquentes esse existimant.

XIII

De affectibus qui in capite & ore & faucibus affligant, Caput. VII.



Apitis dolor vehemens & continuus cum febre, siquod ex indiciis extiterit exitiosis, lethalis admodum est. Si vero sine talibus indiciis fatigās dolor vigesimum transeat diem, & febris detineat: expectari oportet sanguinis e naribus eruptionē, aut alium abscessum ad inferas sedes. Sed quoad do-

pulsuum utilitas ad prognosticum suppurationis.

lor fuerit recens, expectari oportet sanguinis eruptionem e naribus: aut suppurationem, si dolor alioqui circa tempora ac frontem affligat.

INcondite loquitur rem quæ ad prædicendũ maxime conducit: sed recto ordine texitur hunc in modum: Capitis dolor vehemens & continuus cum febre, si quod ex indicijs extiterit exitiosis, integre lethalis est. Si vero ex ijs quę didicisti: de ægro tanquã conualituro speres: à principio quidẽ ad septimũ diem sanguinis è naribus fluorem expectato. procedẽte vero tempore id etiam eueniet. pus vero erumpet è naribus aut auribus, in salutem ægri. Si vero ad vigesimum extendatur diem doloris accidẽs in capite, tunc etiam sanguinis fluorem expectabis maiorem: magis vero suppurationẽ: magis vero abscessum ad inferas sedes expectato. Sed per illud tempus quo sanguinis fluorem expectabis, augebit tibi expectationem, si in temporibus ac fronte dolor vehemens infestet.

XIIII

MAgis expectari sanguinis oportet eruptionem in minoribus natu quintum & trigesimũ annum agentibus: in maioribus vero natu suppurationem.

EInitio ducta ab ætate est, quo magis expectes sanguinis è narib9 fluorẽ. Causa vero perspicua est, ac sępenumero prodita, vt ætas ad quintum & trigesimũ annum plurimũ gignat sanguinis. Accedit ad hoc, vt sanguis per hanc ætatẽ calidior ac biliosior habeat. At (vt antea definitum iam est) id quoq; ad sanguinis fluorem à natura factum, idoneum est.

XV

AVrium dolor acutus cum febre continua ac vehementi, difficilis est. Periculum enim delyrii abolitionisq; imminet. Quia igitur fallax hic locus est, ci-

to etiam animaduertere omnia alia indicia a primo die necesse est.

NVnquam vehemẽs dolor in his euidentibus auriculis infestat:neq̃ si infestet,periculum comitabitur,propterea quòd neque pars ipsa præcipua est,neq̃ parti præcipuę continuetur. sed consueuerũt nominare dolorem aurium,quoties in profundo ex auditorio meatu doloris sensus affligat. tãtisper enim ipse afficitur auditorius nominatus neruus,nõ ex longo interuallo cerebro copulatus. Itaq̃ merito multi interimũtur per dolores aurium vehemẽtes, in consensum perducto cerebro. Quocirca nonnulli ægri delyrant, necnon aliqui de repente moriuntur,quem in modum attoniti, quoties in cerebrum decumbat vniuersim aurium dolorem cõmittens fluxio.

XVI

NAtu minores septimo die, aut citius ab hoc morbo interimũtur. Natu vero maiores, multo tardius. Febris enim ac delyrium minus in eis infestant: & aures in eis antea suppurantur. Sed per has ætates recidiuę euenĩetes morborum, plurimos interimunt. minores vero natu prius quam suppurentur aures, interimuntur. Si enim ex auribus pus effluat cãdidũ, expectari potest natu minorẽ cõualiturũ, si quod aliud bonũ in eo indiciũ extitit.

IN minoribus natu febris & item delyriũ potius accidunt ob calidum ac biliosum temperamentum. Itaq̃ merito interimuntur antequam aures supperẽtur. Maiores natu,quantum in hæc agitur,minus periclitantur:sed recidiuæ eueniunt affectionum,quia nõ integre concoquitur dolorem committẽs humor, ob temperamenti frigiditatem. Cæterum residuum dictionis satis perspicuum est.

XVII

FAuces exulceratæ cum febre difficiles sunt. Sed si aliud signum ex prædictis fuerit prauum, prędicendū vt cum periculo morbus sit.

FAuces exulceratæ labem indicant derodētis humoris. Causa vero difficultatis non paruæ est, quia cum dolore infestant. itaq; considerari conueniet & alia indicia, vt exequi citius futura cognoscātur. Cōmune vero in cunctis erit tibi pręceptū potissimū, qui nec exquisite optimi affectus, neq; deterrimi habeantur: in quibus ipse Hippocrates censere assolet alia quoq; indicia esse consideranda.

XVIII

De angina. Caput. VIII.

ANgina grauissima est, ac celerrime interimit, quæcunq; nec in ceruice, nec in faucibus conspicuū aliquid efficit. Plurimum vero doloris infert, ac spirationis difficultatem. Hæc enim eodem die & secundo & tertio & quarto strangulat.

VT fauces prębacentem gulæ & gutturi sedem appellet, perspicuum est etiam ex ĳs quę hoc loco scripsit, illam anginam dicēs esse grauissimā, quæcunq; nec in ceruice nec in faucibus dispositionē quādam indicet præter naturam, ex colore, calore, mole. Porro ceruicem intelligit collum: fauces vero aperiendo os, ac linguam cōprimendo deorsum, euidentem amplitudinem, in qua gemina ostiola visuntur, tum gulę, tum etiam gutturis. Quoties igitur in neutro horum appareat aliquid præter naturam, existimandum est intra gutturis corpora lacessere inflammationē, ex qua strangulatur. At cū animę iter angustum sit, strangulētur necesse est eo in-

tegre cluso ob circũuenientium corporum inflammationem. Itaq; coguntur dirigendo collum spirare, quo dispescant sensim meatum. Supinus enim iacẽtis habitus eum extreme cludit, priore corpore magis concidente in ceruicis vertebras. Igitur ob ea rem, & quia inflãmatione vexantur musculi in gutture, merito dolore afficiuntur.

XIX

QVæcunq; vero dolorem alteri sublimi lem infert, attollitur vero, ac ruborẽ in faucibus efficit: admodum exitiosa, sed paulo longior quam superior est.

SEcundam nominat anginæ differẽtiam, in qua attollitur quidem ceruix, & fauces rubent: dolore vero æque quàm prædicti afficiuntur: nõ tamen subrecti spirant, id est nõ spirant admodum difficulter: quia musculi in gutture nõ admodum vexantur inflãmatione. Merito igitur eam exitialem haberi dixit: nõ tamen perinde vt prædictam celerrime interimere.

XX

SI quibus fauces rubent & ceruix, hæc diuturnior est. maxime vero ex ea seruantur, si ceruix ac pectus traxit ruborem, nec sacer ignis intro recurrat.

TErtiam hãc cõmemorat anginã, quã aliĩ per ſ literã nominant synanchen, nõ per c literã cynanchen. Vbi enim vehemẽter strãgulãtur, ac dolore vexãtur, nec inflammatio aut sacer ignis apparet aut in ceruice, aut in faucibus: cynanchen p c literã talẽ nominãt affectionẽ. Sed qđ assidue moneo, videtur Hippocrates facere: nec ita vocabulis parce vtitur, sed vt libuerit appellat. Sanẽ in quibusdam codicib9 antiquis legitur initium dictionis per ſ literam: Si quibus synanche, id est angina. Ita constat vt nihil iuuet de c & ſ literis dissentire, quemadmodum medici recentiores agunt. Vbi enim

confeſſa res eſt, cœnum eſt de nominibus litigare. at confeſſa res eſt ĳs qui miniſteria artis agnoſcunt. Si enim vehementer ſtrangulantur vt cogantur reſurgere, deterrime exigunt, dolore vehemẽter affecti, nullum vero aut in ceruice habentes aut in faucibus accidens. Ab his vero deinceps exiſtunt ĳ qui non ſpirent difficulter, ſed dolore admodum vexentur, ac pariter tumeſcat ceruix, & fauces rubicũdiores euadant. Tertio loco diſponuntur ĳ de quibus Hippocrates præſenti ſermone pſequitur: qui nec vehemẽter affligãtur dolore, nec ſpirent difficulter, & guttur nequaquã perpetiatur: ſed aut in fauces fluxio, aut in ceruicem, aut in hæc vtraq; decumbit. At vero fluxio talis magna ex parte bilioſior eſt, ita vt perſpicue ſacrum ignem, aut inflãmationem ſacro igni ſimiliorem cõmittat: vnde & ipſe dixit, Nec ſacer ignis ĩtro recurrat. Quòd ſi pituitoſus interdum tumor infeſtet, celerrime diſcutitur: nec vllo pacto acutus hic morbus eſt. Cæterũ ſequens dictio perſpicua eſt.

XXI

SI vero nec diebus decretoriis deletur rubor, neque tuberculo inanito in ſede exteriori, pus non facile excreet, ac videatur ſine dolore agere: mortem indicat, aut recidiuam ægrotationis.

SIne tuberculo, aut excreatione facile euacuata deleri aut ſacrũ ignem, autruborẽ, (vtroq; modo legitur) prauũ fore perſpicuũ eſt. Sed vtrũ ita inaudiendũ ſit, vt ſi diebus deleatur decretorĳs, nullum malum futurum ſit, an ſecus, (ita enim nonnulli expoſuerunt) an copulare oportet id cũ ĳs quę deinceps ſunt prodita, vt etiã velit Hippocrates illa diebus decretorĳs euenire gratia fidei firmioris? quod inquã verius eſt. Si enim materia dieb9 trãſmeat decretorĳs ĩ pulmonẽ, recurrat'q; introrſus ſacer ignis, nequaq̃ diſiectus p̱ exteriorẽ ſuperficiem: nõ ſolum nõ bonum id eſt, ſed malũ maximũ: pro-

pterea quòd ex diei fide firmiorem assumat prauitatem. At si pariter tuberculo foras tendente, ac facile excreante, deletur sacer ignis, aut rubor, tantisper non abolitum iri ęgrum expectare oportet.

XXII

SEcurissimum vero est, si rubor quam maxime foras vertatur.

HAec & item alia quæ deinceps perscripta sunt, clara sunt quibus prędicta in animo hærent.

De gurgulione Cap.IX.


XXIII

GVrgulio cum periculo secatur, & scarificatur quoad rubid⁹ magnus'que fuerit. Inflammatio enim fatigat, & sanguinis fluor: sed hunc oportet aliis medicamentis extenuare eniti per illud tēpus. Vbi vero secretum fuerit omne id quod vuam appellant, sit'que pars gurgulionis summa maior ac liuida, superior vero tenuior: per illud tempus moliri manus, tutum est. Sed pręstat, simul aluum subduxeris, vti chirurgia, si liceat per tempus, nec æger stranguletur.

PRognostico theoremate permixtū est exiguum quoddam curationis præceptum: quo sine nequaquam fieri potest vt integre pręsagium cognoscatur. Gurgulionem si inflammatione laborantem pręcidas aut scarifices: sanguinis fluor & inflammatio comitabitur. Sed quoties secretum fuerit quod vuam appellant, sit'que pars summa gurgulionis maior & orbiculata, superior vero tenuior: tantisper moliri manus tutum est, potissimū aluo antea abunde subducta, siue spōte, siue etiam prouidentia medicorum.

Signa & accidētia affecto loco nequaquam desinito. Cap.X.


XXIIII



SI quibus febris desinit, non cum indiciis solutionis, neque dieb9 decretoriis: recidiuam expectare oportet.

QVoties neutrum existat ex ĳs quę dixit, tantisper expectare oportet recidiuam, non vbi alterum adsit, alterum desit. Quæ enim non ex ratione leuant, faciunt recidiuam: quãquam id diebus accidat decretorĳs. At vero constat vt hęc non ex ratione leuent, quęcũque neque cum indicĳs solutionis, neque diebus desinant decretorĳs.

XXV



SI qua febris prorogatur, salue affecto homine, nec dolore detinente, aut ob inflammationem, aut ob aliquam causam euidẽtem: expectari oportet abcessum cum tumore ac dolore, qui in articulos, maximéque inferiores decumbat.

OVę antea dixit particulatim, primũ de abscessibus circa ilia, deinde circa thoracẽ ac pulmonem: ea nunc repetens pronunciauit in vniuersum. Cum enim triplex sit causa prorogationis febrium, aut propter aliquam partem affectam curatu difficilem, aut propter humores crudos & crassos incoctósque, aût ꝑpter aliqđ cõmissum: si nec affecta fuerit pars, aut nulla alia causa, aut ægri committentis, aut curantium eum, aut propter exteriorem causam, verbi gratia tempus, terram, conditionem, domicilium prauum, conflictationẽ, solicitudinem, angorem: restat vt humoribus crudis ac concoctu difficilioribus prorogetur. Hos igitur assolet natura in partem quandam ignobiliorem expellere, quoties per excretionem pellere extra corpus nõ queat. Sępe cũ

definitũ iam est vt humores calidiores tenuiores'que paratissimi sint ad excretionẽ: crudis vero & crassis, aut per abscessum, aut per cõcoctionem natura medeatur. Porro idipm vt per cõcoctionem medeatur, excretio quędã est, quę ex vrina magna ex parte, raro per aluum efficiatur.

XXVI

TAlis abscessus magis ac minori tempore euenit natu minoribus trigesimum annum agentibus.

SAepenumero ppensum iam est vt morbi quos humores committunt calidiores, cum ęgri viribus vehementioribus per excretionem iudicentur. His contrariæ sunt affectiones in quibus facultas debilis est, & humor frigid9, quę nec excretione, nec abscessu desistunt, sed aut corrumpunt ęgrum, aut perquam lõgo temporis spatio vix concoquũtur. Porro inter has mediæ intercidunt, quæ per abscessum finiũtur: in quibus ex duabus oppositionibus, alterum ex altera, alterum ex reliqua est. Duæ enim oppositiones existunt, ẽ quibus altera secundum naturam humorum, altera secundum vires habetur: atque in alterutra earum duo inter se opponuntur; ex humoribus quidem calidi frigidis: ex viribus vero fortes debilioribus. Si igitur humores calidi sint, non oportet facultatem validam haberi si abscessus futur9 est. Si vero frigidi, facultate opus est valida ad abscessum. Cæterum quo pacto singulas agnosci conueniat vires, proprijs indicijs ductis ex officijs, antea definitũ iam est. Ab ætate vero ducuntur indicia, vtpote iuuentute ac senectute, de qua nunc Hippocrates agit: dicit'que magis accidere ac citius talem abscessum minoribus natu trigesimum agentibus annum: maioribus vero natu, nondum tamen senibus, minus veniunt, ac tẽpore longiori: senibus vero minime accidunt: in animum reiecto omni eo sermone quem Hippocrates inter initia habuit: Siqua febris prorogetur, salue affecto homine, nec dolore detinẽte, aut propter inflammationem, aut propter aliquam aliam causam euidentem.

Hæc itaque reuocans in mentem, ait talem potius fore in minoribus natu abscessum.

XXVII




Onsiderãdus statim abscessus est, vtrũ vigesimum diem detinens febris transscendat.



Vm antea de morbis diutinis dissereret, mentionem habuit vigesimi diei, ꝓpterea quòd ad hunc vsque diem extent⁹ morbus nondum diutinus habeatur. Porro antea quoque est proditum quamobrem non cõueniat vnum poni limitem firmum acutorum morborum. Quocirca nequaquam mirũ videri debet quartodecimo die eum dicere iudicari morbos acutos, & rursus vigesimum commemorare. In sentẽtijs enĩ vbi quartumdecimum diem finem fecit summum iudicationis acutorum morborum: commemorauit etiam septimumdecimum. Est autem initiũ illius sententiæ: Acuti morbi quartodecimo die iudicantur. Finis vero est: Itẽ decimusseptimus considerandus est. Quart⁹ enim à quartodecimo, & septimus ab vndecimo est.

XXVIII



Atu vero maioribus per febres longiores minus accidunt.



Erito: quia in morbis iudicãdis per abscessum, facultatem habere firmitatem quandam, nec prorsus ad extremam concidisse infirmitatem oportet: & ob eam rem inquantum processerint per ætatem, abscessus minus fieri accidit. Senibus vero nõ min⁹, sed minime accidunt. Nunc vero non senes dixit simplicĩ ratione, sed cum ĳs qui trigesimum agant annum, conferẽs. Natu maiores nominauit eos qui prouectiores quàm hi per ætatem existant. Cæterum vt ita vtatur maioris natu appellatiõe, antea definitum iam est, & item deinceps nihilominus indicabitur.

XXIX



Portet talē expectari abſceſſum per febrem continuam, in quartanam vero diſceſſuram, quoties intermittat præhendat'que errabilem modum, atque ita agendo autumno propinquet.

Dictum eſt libro de differentia febrium, vt quartana atribilario humore conſiſtat. & item eſt proditum de generatione talis humoris, quæ duplex eſt, tum ex ſanguine craſſiore qui reſpondeat proportione in venis ſubſidenti in dolio vini fęculæ, tum etiā flaua bile vehemēter aſſata. Hęc igitur atra bilis alioqui malefica eſt, ac derodit ptes in quib9 abūde collecta eſt. altera vero atra mitior quàm hæc eſt: ſed potiſſimū quoties nōdum traxit in animali moram cū aliquo calore abundāti præter naturam. His igitur ita habentibus, quoties febris continua fuerit, quod eſt non deſinens ad integritatē, ad eiuſmodi abſceſſus vertitur, diutius immanens. At ſi intermittit, atque idipm potiſſimum euenit per ęſtatis finem, verti morbum ad circuitionem quartanā ratio eſt. Humor enim feruēs æſtiuo tempore per febres cōtinuas, ſi deſinit in atram bilem, quodāmodo reſtinctus eſt: proinde'que calore febrifico ęger vindicatur, maxime'que quoties ſudores eliciuntur. Sed ſi non antea natura quodammodo excernat veluti cinerem vehementer aſſatorū humorum: hic rurſus permanens in corpore & calefactus putrem quandam recipit affectionem: & hic quoties ferueat, excitat febrem: à quo rurſus eueniente ſudore pariter cum eo feruor atra bilis euanuit: tum autem rurſus alię reliquię feruētes rurſus alterā excitant febrē, quippe quòd nondum vnam habeat omne corpus affectionem. Sed cū atra bilis in quibuſdā partib9 inſuper moueat, in quibuſdā immota maneat, in alijs putreat, aut feruere incipiat: inordinatas fieri febres neceſſe eſt. At vero quoties in cunctis venis eadem fiat affectio: ex ſuperante atra bile quartana

consistit febris, maxime'que quoties æstatis conuersio in autũnum, extrorsum delationis ac spirationis adstringat humores, introrsum'que auocet in profundum, quã hyẽs affectionem excipiens, vtpote intẽdens prę frigore delationem introrsum humorum, rursus ad alteram vsque mutationem in habitum calidiorem, in quo morbus cœpit, adseruat corpus.

XXX



Qvemadmodũ in minoribus natu trigesimum agentibus annum, abscessus consistunt: ita quartanæ potius annum agentibus quadragesimum, aut etiam senioribus accidunt.



DE mutatione per ætatem, alio loco fusius definitum iam est. Nunc vero summatim decurrere tractatum sufficiet. Pueruli plurimum sanguinis habẽt: eum'que tantũmodo haberent, quãtum in ipm agitur ætatis temperamentum: at quia cibi copiam ingerunt, atque inordinatã, succus crudus nomine subit. Porro quoties ad ætatem deueniũt adolescentium, quidam iam recte viuunt, meliorem vitę nacti tenorem: & ita sanguis in illis exuperat dũtaxat. Quidam vero adolescẽtes multo deteri9 quàm parui pueruli. Itaq; tales ęgrotãt subinde pariter copiam crudæ materię admodum colligẽtes: tum autem deinceps ab hac ætate, potissimum si praue viuãt, amarulenta subit bilis: ita vt in his exuperet nõ sanguis solum, sed etiã illa quæ crocea ac flaua bilis appellatur. id'q; accidit nõnullis ad trigesimum annum, alijs ad trigesimũ quintum. Primus enim terminus cõuersionis ad habitum frigidiorẽ, trigesim9 est: nouissimus vero, trigesimus quintus. Multis vero propter naturam quã traxerunt ab initio, & quæcũque secũdum causas, aut consuetudinis & arbitrij differentias permutãtur: in medio vigoris ætatem circũscripsit. Ob id igitur & Hippocrates quãdoque trigesimum cõmemorat, queãdmodum pauloante: sæpe etiã tri

gesimūquintum. Quia em̄ alię aliis accidāt mutationes, fieri non potest vt vna mensura firma ac cūctis promiscua finiatur. Sed id assidue in aīo seruabis antea libro de diebus decretoriis tertio pscriptum. Nam si id in animo seruabis, prędictis'que adiicies: non difficile puestigabis causam eorum quæ Hippocrates per hāc dictionem scripsit. Vt enim per tempora calefactos ætate admodum humores, & vt ita dicatur, rebulliētes, necesse est gignere atribilarium humorem: quem excipiens collectum in corpore autumnus, vtpote frigidus, nequaquam patitur similiter extrorsum difflari, neque facile vacuari: ita per ętates ętas inclinans efficit. Porro qui per illam rebulliens humor in atram bilem mutat̄, quem difficulter hęc discutit, febres potius quartanas cōmittit, atque eget tempore longiore per hanc ætatem vt corpus tali repurgetur bile. ita fit vt adusque senectutem in medio atribilarii omnes morbi in his magis exuperent, in illis minus elephantia, cancer, lepra, atra bilis, febris quartana.

XXXI

SCiēdum vt abscessus hyeme potius accidāt, ac tardius desinant, & minus repetant.

TRria de abscessib9 Hippocrates in prętenti oratione prenunciauit: principio vt hyeme potius accidāt: deinde vt tardi9 desināt: demum vt minus repetant. Cęterum abscessus per hyemem potius euenire, exuperans in eo humor ostēdit. Etenim antea definitum iam est, per excretionem calidos, per abscessum frigidos vacuari humores. Porro vt tardius desinant, causanda est humoris natura, atque etiam circūeūtis aeris frigus. discutiatur em̄ omnino oportet decūbēs humor, vt abscessus curetur. at humores crassi frigidi'que tristius discutiuntur potissimum quoties obductus aer frigidus fuerit. Ob eas ipsas causas minus repetunt, quādoquidem repetentibus motionem quandam adesse necesse est. At frigidi moueri difficilius possunt.

De vomitione spontina. Caput XII. XXXII

SI quis per febrem non exitiosam dixerit caput dolere, aut etiã tenebricosum aliquid ob oculos obuersari, si vẽtriculi dolor ĩ eo extiterit, biliosa vomitio aderit. sin algor præhendit, & inferiores in iliis partes frigidæ fuerint, adhuc citius vomitio aderit. Si vero bibat esitet'que sub hoc tempore, perquã cito deuomet.

DE vomitione spontina eueniente ratione iudicationis, hoc loco Hippocrates docet. Prima autẽ finitio ei est vt morbꝰ haudquaquam exitiosus habeatur. Appellauit autẽ hũc morbum sæpenumero salubrem. Secunda vero, vt ęgro dolenti caput, obuersetur ob oculos tenebricosum: quod inquã significat atrum ab exhalatione flauæ bilis syncerę confectum. Hæc enĩ plenius calefacta, & vt ita dicatur, vehementer affata, atrã exhalationem ceu fumum quẽdam ad caput remittit, ob quam capitis dolor infestat. Si vero ad oculos permeet, turbulentiorem reddit in eis humorem splendidum ex natura ac purum, ita vt fiat conditio quædam similis eius quæ circa purissimum ac lucidissimum aerem euenit, recipientem statim in se aut fumidũ quendã aut turbulẽtũ nigrorem. Hãc igitur exhalationem sentiẽs à cerebro permeans ad oculos visorius spiritus, quemadmodum per suffusiones, visa (vt ait) tenebricosa cõmittit. At vero cum talis exhalatio de sedibus quoque subeat pulmonis, eam interstinguimus ab illa quę de ventriculo redundat cordis dolore. Tales enim humores latent pulmonem, vt qui vel omnino non sentiat, aut difficulter sentiat. Vẽtriculi vero ostiolum appellatur id (vt constat etiam) cor, propter magnitudinem neruorum quos habet sentiẽtium, nihil latet quod in eo infestet. ita fit vt mordens biliosus humor, cordis, id

est ventriculi dolorem committat: & ob eam rem biliosa vomitio accidit. Id enim etiam Thucydides indicauit dũ ait: Et cum in cor inhęsit, subuertit id, ac purgationes bilis, quæ à medicis sunt appellatæ, subierũt. Verbum enim subuertit, de impetu dixit in vomitionem, statim etiã nominans cor, ventriculi ostiolum. & ob eam rem morsum eius, cordis dolorem appellitant. Aliubi Hippocrates scripsit vt infernum labrum idipsum iudicet, haudquaquam quiescens, sed quodãmodo intremiscens, propterea quòd si bilis mordeat internam ventriculi tuniculam, ita commouetur. Cõstat enim ex dissectione, vnam esse omnem hanc tuniculam perpetuam per omnia sibi & omnis ventriculi, & gulæ, & linguæ, & palati, & omnis oris. Hic igitur labra concutit, quoties ab acriore bile collecta in ore ventriculi mordetur. Talis enim humor præ leuitate fluitare assolet: & ob eam rem ad gulam redundat, relinquẽs ventriculi fundum, ac facile vomitur. Quòd si algor pręhendat tantisper hominem, magis etiam vomitio non solum citiꝰ, sed etiam bilis erit plenioris: cum soleat algor magna ex parte bilis efficere vomitionem, quemadmodum dum de ea ageretur, est proditum. Quinetiam si quid bibat aut esitet per illud tempus homo, adhuc citiꝰ deuomet: quia pariter cum bile ingesta cibaria in ventriculo vitiantur.

XXXIII

SI quibꝰ horum cœpit dolor primo die, quarto premuntur magis, septimo vindicantur. Plerique eorum incipiunt dolore vexari tertio die, quinto fluctuant magis, deinde vindicantur nono aut vndecimo. Quod si quinto die incipiant dolore vexari, & alia quoque secundum rationẽ ipsis ex prioribus accidant: quartodecimo morbus finietur.

TRes dixit differentias ex tempore ductas doloris capitis: & item tres accessus iudicationis earum. Itaque prima differentia est, si prima die ęgrotationis, capitis incipiat dolor. altera, si tertio die. tertia, si quinto. Sed omnib9 his commune est septimo quodāmodo die à quo incepit, desinere. Si igitur incipiat primo die, septimum habet decretorium. Si tertio: quantum in ipsum agitur septenarij numerum, decimum. Sed quia hic nequaquam decretorius est, ad nonum aut vndecimū deuenit iudicatio: quę citior aut tardior quàm septenarius impetus, vno die est. Cæterum in animum rursus reuocabis vt nonum diem hoc loco commemorauerit tanquam decretorium, quemadmodum (vt antea docui) tertium, non per quaternariam aut septenariam circuitionē habentes indicationem: sed ea ratione quòd intercidant, quemadmodum libro de iudicationibus definitum iam est. Quinetiam tertia differētia doloris capitis, quinto incipit die, & ad quartumdecimum prorogatur. propterea quòd non admodum calidus sit, neque festinet, indicio est quòd incipiat quinto die, & quia adiecto septenario primis quinque diebus omnes fiant duodecim. Duodecimum vero nō esse decretorium, neque etiam fieri posse, vt vnum anticipes diem. Ostensum enim iam est eum esse limitem acutissimorum morborum proprium, itaque merito in quartumdecimum excidit.

XXXIIII

HAec accidūt viris & mulieribus potissimum in tertianis. Minoribus natu accidunt etiam in illis, potissimum in febribus continuis, & in veris tertianis.

IN hominibus perfectis, de quibus assolet ferre virorum ac mulierum appellationem, in omni febre tertiana hęc accidūt, propterea quòd ętas biliosissima existat. In minoribus vero natu, non in omnibus, sed solummodo in veris tertianis, quæ inquam bilio-

ſiſſimæ ſunt. Porro accidūt per morbos acutiſſimos. nam hi quoq; bilioſiſſimi ſunt: cōſtat'q; vt perfectis multo magis eueniant. Id enim prædictis conſequens Hippocrates nequaquā adſcripſit: quia à nobis intelligi facile poſſit.

XXXV

QVibus per talem febrē dolet caput, & pro tenebris ob oculos offuſis hebetudines ſubeunt oculorū, ac ſplendor obuertitur, & pro ventriculi dolore circa ilia aut læua parte aut dextera aliquid contenditur neque cum dolore, neq; cum inflāmatione: ſanguinē de naribus in his fluere, pro vomitione expectandū eſt: magis'q; in adoleſcētibus ſanguinis fluorem expectari oportet. Agentibus vero trigeſimum annū, aut etiam adultioribus, minus: ſed vomitionem in talibus expectari oportet.

TAlem dixit febrem, qualem inter initia ſermonis per hanc indicauit dictionem: Si quis in febre non exitioſa dixerit caput dolere. Id igitur in vtraq; ſeruās febre, promiſcuum fore dicit vt finiantur per excretionem. proprium vero vtriq; adiecit quo genere excretio continuatur: in priore quidem bilioſam vomitionem: in ſequenti vero ſanguinis fluorem. At vero ſigna id indicantia in priore quidem viſa tenebricoſa ac ventriculi dolorem: in ſequēti vero hebetudines oculorū & ſplēdorem: & item intenta ilia circa dolorem & inflāmationem: indicia maxima ſurſum verſus tendentis humoris. Porro ſupra dixerat ſanguinis fluorem comitari decretorie inflāmationibus quę in ilijs fatigent: magis'q; in minoribus natu, in quibus ſanguis exuperat: & rurſus idipſum nunc adſcripſit: & item vt bilioſæ accidant vomitiones in cōſiſtentibus per ætatis vigorem. Cæterum libro de morbis vulgarijs etiam lugere ſpōte dixit eos quibus ſanguis

ẽ naribus erupturus est. Hęc igitur cuncta cõponens, atq; adijciens eis quæcunq; alibi docui, nunquã non præsenties futurum sanguinis fluorem, potissimũ si clare ex pulsu cognoscas indicium excretionis: quod vsquequaq; anteuertit decretorium sanguinis fluorem.

XXXVI

De conuulsione. Caput. VIII.


Veris conuulsio accidit, si febris acuta fuerit, nec aluus deiiciat, ac vigilent, paueant, lugeant, colorem mutent, & croceum, aut liuidum, aut rubidũ trahant. Hæc igitur nuperrime editis pueris promptius accidunt ad septimũ vsq; annum. Adultiores vero pueri viri'q; non in febre pręhẽduntur conuulsione, nisi aliquod indicium extitit validissimum ac deterrimum, qualia per delyrium accidunt.

DE cõuulsione hoc loco disputat, quæ nõ in parte vna corporis, sed in omnĩ eo infestet: quæ in pueris promptissime euenit, potissimũ lactentibus: non minime vero propter vsum lactis, magis'que quoties fuerit crassum: & quia plurimo alimẽto & inopportuno vtuntur, nihil aliud agnoscẽtes viuẽdo præter cibitandi cõmoditatem. omne enim neruosum genus in illis debile est. Cum enim tres vires genere existãt, ex quibus gubernatur corpus: duabus quidẽ pueri quàm cæteri fortiores habentur: vna vero debiliores, quę in neruis innexa est: & ob eam rem promptissime conuelluntur: & rursus ad habitum naturæ facillime remeant. Perfectis vero nec facile consistit neq; desistit conuulsionis affectus, propter valentiam in neruis facultatis. Itaq; conuulsio accidit etiã sine febre in forti admodũ frigore, & copia humoris crudi crassi'q;, & item inflãmatione in neruis ac tendonibus, quoties originẽ ad cõsensum agant. Sed hoc loco de conuulsione docet quæ per febrem consistat, quẽadmodum

inter initia subiecit persequi prædictiones in morbis acutis, & in aliꝭs quicũq; ex illis consistũt. Itaq; conuulsiones per tales morbos in auctioribus illa significabunt indicia quæ maxime per delyria difficiliora existunt: sed potissimũ si partes in vultu peruertũtur, aut dentes strident, aut oculi crebro mouẽtur, aut peruertũtur. In pueris vero sufficiet si vigilẽt tantũmodo, interdum si metuãt admodũ: quod inquã pauere nominauit. Si lugeant intẽte, & aluus haudquaq̃ deꝭciat. Hęc igitur ceu causę sũt: indicia vero cõuulsionis ad has causas, colores præter naturã habẽtur indicantes humorũ prauitatem, ex quibus conuelli assolent. Pallidus enim aut liuidus prauũ qualitate significat humorem: rubidus vero, sanguinis copiam indicat.

XXXVII



Conualituros morituros'que pueros & alios scrutari cõuenit omnibus signis, prout in singulis singula relata sunt.

Id etiam antea dixit: & nũc quoq; cõmemorat: & rursus post paulũ dicet: propterea quòd vtilissimũ sit: attamẽ non id intelligũt pleriq; medicorum: sed interdũ aliquod prauũ videntes indiciũ, ex quibus cõtingit viuere hominẽ, criminãtur ceu mẽdacẽ: quẽadmodũ rursus bonis apparẽtibus interempto ęgro, falsissimũ esse Hippocratẽ dicunt: nondũ cernentes vt interdũ à multis bonis indicꝭs vnũ malũ vehemens peruincat: & rursus ecõtrario à multis malis vnũ bonũ, si vehemẽs sit.

XXXVIII



Hęc intelligo de morbis acutis & aliis quicumq; ex his consistunt.

Id scripsit Hippocrates, quomodo ante dictum etiam pręceptũ, vaticinatus negligẽtiam pariter & audaciam eorum qui sint ei9 volumina lecturi, & itẽ quæsituri quo pacto cõmemoret quadragesimũ diem atq; etiam sexagesimũ, suppurationem'q;, & aquã intercutem, necnon febrem quartanam. Cũ enim eo clare

scribente vt non solum agat de acutis, sed etiam de transabeuntibus, atque in longam temporis seriem extētis, attamen talia quęrant, quidnam agerent, nisi id effecisset?

XXXIX

OPortet eum qui sit recte prædicturus sanitatē ac mortem, in quibus morbus pluribus diebus fatigaturus est, & in quibus paucioribus: indicia edíscendo omnia interstinguere, ęstimādo vires eorū inter se: queadmodum de aliis scriptū est: & vrinæ & screationis, vbi pariter pus bilemque excreet.

OMnia assidue oportere spectari indicia, nec vni credere, etiā antea definitū iam est. Sed nūc adiecit sermoni rem vtilissimā: id vero esse dico vires ęstimari indiciorū oportere, nō simpliciter has, sed conferendo eas inter se. Sunt enim quędā indicia ipsa per se praua, magisque & minus: quorū vires mensurari oportet vocabulis: vt antea quoque explanatū iam est: aut exitiosum dicendo, aut exitiosius, aut admodū exitiosum: & itē adiiciendo verbū iam. Nec secus in bonis indiciis rursus similiter, aut salutare, aut salubre simpliciter, aut magnā obtinet vim, aut etiā cū verbo admodū. Plus est enim si dicatur, admodū magnā vim obtinet: quàm si nudū ac solū, magnā vim obtinet. Sed nūc conferri oportere dicit vires indiciorū inter se, non modo similiū, verbi gratia bonorū cum bonis, ac malorū cū malis, sed etiam bonorū cū malis. nanque ob hanc comparationē, ea quoque quę fiunt præter rationē, innuit. In primis enim agnosces quidnā pręter rationē eueniat, tum autē haudquaquā terreberis, & demū cōsiderabis quāobrem existat, aut quidnā soleat indicare. Sed hęc omnia in nostris cōmētariis definita iā sunt, maximeque libro de iudicationibus: nec ab re erit nunc quoque gratia exempli reuocare in animū quædā, à cōmuni initio incipientes omnis pręsentiendi facultatis. Cōsideres enim cōueniet in primis, vtrum præcipue pars vna in

corpore affecta sit, an morbus sit humoris in cōceptaculis conditi: deinde per quā potissimū facultatē periculū ęgro immineat (etenim perpęsum iam est triplicē esse facultatem) tū deinceps facultatis illius mala ac bona indicia. Fingamus enim facultatē de cerebro manantē, imperpessam haberi, atq; etiam corporis partes, imperpessas, ac omnē morbum ex putri materia fieri duntaxat, quę inquam febris est: deinde his ita habētibus, ab initio cuncta existere in vrina bona indicia: hūc hominem mori impossibile est. Quocirca quāquā aliquod existat indicium terrificū, non solum non terreberis (quemadmodum plerique medicorū) sed etiam id iudicationē pręmōstrare existimabis. etenim dolēt caput, ac delyrāt, & intuētur tenebricosa quędam ac flaua, & hebetudines subeunt oculorū, atque etiā ventriculi dolor: & item spirant difficulter: & ilia contenduntur ratione iudicationis: & rursus detestationes malignę, & screationes, atq; etiā vomitiones quędā: & itē partes nigrescētes putrescentes'q; & intermortuę hominē exhibent per omnia meliorē. Sæpe enim ex talibus secretionibus ægri facilius spirant, melius appetunt, melius dormiūt, dolore leuātur, ac resurgēdo leuiores, & in totū faciliores euadūt: perspicue indicantibus ijs quæ euacuantur, expurgari corpus, natura præter spem superiorem conflictum repellēte. Sed hæc omnia potestate sunt ꝑdita, atq; hoc volumine definita: præcepta de pulsibus tantūmodo addēda sunt: quæ omnia in cōmentarijs de pulsibus clare ꝑscripsimus, prorsus silētio dissimulātes sphingis ęnigmata, qualia innumera scripserunt Archigenis sectatores. Itaque hæc omnia prompto animo obseruādo inspice, conferēdo ea inter se. ex his enim poteris prędicere ea quę ab infirmis omittuntur: interdū etiam necessarijs ipsis haudquaquā exquisite perspecta: quēadmodū sępenumero me vidistis in ijs qui strideāt dētibus ex natura, in illis haberi accidens pronūciare, ita vt existimarēt familiares audientes nō ex medēdi facultate, sed ex arte vaticinandi talem extitisse prędictionē: interdū etiā in dormiētibus incōniuentibus oculis: vt id quoq; in eis ex natura existat. Porro

mulieris cuiusdā visus est adeuntibus nobis dexter oculus alterū insigniter superare: de qua dixi talē antea morbum extitisse excessum. & item in alio caua admodū tēpora. quo perspecto tantisper dixi per naturā haberi affectionē. Itidē aliorū cruentos oculos esse per naturā: cōuulsam vero in alio supercilij partē, aut oculorū, aut labrorū: & itē nōnulla ante morbum ex quadam causa fuisse exteriore. Quinetiā intermittentē pulsum, atq; etiā pulsus varietatem, & alia generis eiusdem ex natura in quibusdā haberi dixi, vel ipsis ægris haudquaquam perspecta. Quandoq; etiam simul atq; conualuerūt, restare visa sunt voces aspe ras, raucas, clangoris æmulas, in hoc ex natura, in illo ab ęgrotatione cōmitti. de quib9 cū libro de pręsagijs latius docuerim, nihil insup necesse habeo hoc loco recēsere: sed sufficiet summam in hac heresi dicēdo sistere orationem. Quoties eñ ex omnibus alijs sine periculo videatur morbus, tale accidēs terrificū ex natura adesse sciendū est: aut prorsus ante ęgrotationē fuisse propter aliquā causam euidentē. Quocirca mihi & Hippocrati credentes, cōsiderabitis (quēadmodū dictū est) vires indiciorū æstimantes, quēadmodū ipse prædixit. Exempli enim habuit mētionem, quoties pariter pus bilem'q; exercet: id'q; ab eo dictum est per dictionem illam quæ ita incipit: Quæcunq; suppurātur dū screatio biliosa est, exitiosa admodū sunt, siue vicissim bilis ac pus, siue pariter excemātur. Per hanc vero dictionem censuit consideranda esse exquisita ratiōe omnia quę in ęgris existūt. A bonis itaq; exorsus: Bona talia sunt, facile ferre morbū, facile spirare, dolorē sedari, sputū facile excreari. Tū autē deiceps hæc oīa simul recēsuit, à malis rursus exorsus: Mala vero his aduersa habētur, difficulter ferre morbū, spirationē magnā & crebrā esse, dolorē non sedari, sputū vix excreari, sitire admodū, corpus ab igne inęqualiter detineri. Sed hoc tibi & prauorum signorū initiū doctrinæ est ab eo antea ꝓditę ex prędicta materia quā de excreatione scripsit. Vt igitur in his dixi, ita in cūctis agas, nihil omittēdo, sed seorsum ęstimādo singulorū vires indiciorū, deinde ea inter se cōferēdo.

XL

OPortet impetum exsuperantium morborum cito considerare: necnon tenere temporis conditionem.

AD prenoscenda futura in egris accidentia, maxime cõducit exsuperantium quoque morborum cognitio, qui iam præsentes, & item futuri sint: quos perstrinxit breui summa per sentẽtias singulis exsuperãtes tẽporibus, atque etiam præsentẽ & anteactam sequẽtes cõditionẽ. Vere enim (ait) atre biles, furores, & alÿ deinde quos enumerauit: qui inquam veris & aliorũ temporum proprÿ sunt, quoties scilicet propria seruent temperamẽtã. Si min9seruent, exsuperaturos alios ait morbos anteacte conditioni cõgruentes: atque ex his alios docuit postea futuros: alios statim in prima cõditione. De ÿs igitur qui postea futuri sint, ita docuit: Si hyems squallida & aquilonia fuerit, ver vero pluuiũ, australe'que: & alia quecunque deinceps dicit. De ÿs vero que in presentibus accidant cõditionib9, dum ait: Conditionũ anni squallores salubriores (quod in totũ dixerim) quã imbres, & alia quecunque deinceps existũt. Itaque per sentẽtias summatim morbos vulgarios seu exsuperantes perstrinxit: libro vero de morbis vulgarÿs hec particulatim excoluit. Quãta vero horum vtilitas habeatur, quãquã videantur cõpræhendi sermonibus vniuersalibus, explicabitur in commentarÿs de morbis vulgarÿs ab his ordine perscribendis. Nũc vero summam totius dicam presensionis de qua sermonem in presenti dictione Hippocrates fecit. Indicÿs enim proditis hoc volumine predictionum, morborum ipsorũ proprÿs censet adÿcienda esse ea quæ ex aeris conditione ducuntur. Finge enim aliqua visa esse indicia ex ratione morbi sanguinis fluoris, esse vero tempus vernum: adhuc magis sperabis fore sanguinis fluorem. quòd si presens cõditio calida & humida fuerit, multo magis. & item præteritorum duorum vel trium temporum conditio si sanguinem gignat, adhuc etiam magis sperabis fore sangui-

nis fluorem. Vt igitur sermo de sanguinis fluore, ita de omnibus aliis est. Sed abunde erit dicere singulare exemplum futuri sudoris: Per æstus squallentes febres prope dixerim sine sudore eueniūt: per imbres cum sudore magis infestant. Itaque constat vt pręter alia signa quęcunque ęgrotationis propria habentur futurum demonstrātia sudorem, circuncurrentis præterea aeris conditio accedens spem futuri sudoris firmiorem subscribat.

De signis & indiciis quonam modo differant inter se: & item aliqua de temperie regionum. Caput. XIIII XLI



Onsiderādum est de indiciis ac signis, sciēdum'que vt quouis anno & quouis tempore mala malum, bona bonum denunciant.



On apud medicos solum, sed etiam apud rhetores quæri agitari'que solet quonam discrepet à signo indicium: vt quæstio non in verbis solum habeat locum, quemadmodum aliubi, sed etiā res ipsas attingat. Oportet enim duplicem inueniri naturam rerū ex quibus medici præsentiunt: rhetores demonstrant, aut suadent. In iis igitur quę sumuntur in demonstrationes, siue scientiarias, siue verisimiles, differentia vna est necessaria, & assidue habens alterum altero subsequēs, ex quibus propositio conficitur. alia vero non necessario, nec assidue, sed magna ex parte duntaxat. Quinetiam ex alia differentia, hæc ex obseruatione empirica, illa ex rationali sequela est: quod inquam demonstratio intelligitur. Hæc igitur rerum differentia habetur: nominibus vero in eis non omnes æqualiter vtuntur: sed elegantiores (prætereo enim sponte alios) in prima sectione de eo quod perpetuū est, vnum quodlibet indicās, censent vtendum indicij appellatione: signum vero nominant alterum. in secūda vero sectione, quod ex obseruatione est, signum: quod vero

ex demonstratione est,indicium dicunt. Cæterum vt au-thores ita nominibus vtantur,non medicis solum scire vti-le est:sed etiam illis quibus arte cõgruit græcizare. At ve-ro vt ad demonstrationes ac præsensiones prædictam re-rum differentiam cognosci, vtilissimum sit, perspicuum cuiuis esse existimo. Sed vtrum ambo suam assidue seruẽt vim,quæcũque bonum denunciãt,& quęcũque malum: dignum consideratione est. Igitur in sentẽtijs ita dixit:Per morbos minus ꝗ periclitãtur quorum naturæ morbus cõ uenit,aut ætati,aut habitui,aut tempori,quàm quibꝰ non cõuenit aliqua ex his ratione.Hoc igitur non discrepat ab eo quod nũc est proditum. Malum enim significare dixit assidue mala indicia:non tamen vt similiter, aut vt non si militer insuper adscripsit:prędicta sentẽtia neutrum trans-fert in contrariam naturam : sed ex maioris minorisque existere dicit pro natura,ętate,& alijs quęcunque enume rabit.quocirca ex hoc nequaquam ab Hippocrate cõtra-ria dicetur.Illud magis pugnare videtur,dum ait:Iis quæ non ex ratione leuant, confidẽdum non est:nec prę metu omittendum soluere ea quę pręter rationem incidũt ma-la. Hæc enim magna ex parte infirma sunt,nec perseue-rare aut immorari diutius solent. An idipsum est propter quod etiã adscripsit nunc à nobis propositam dictionem. Accidentia enim de prauis in bona,atque etiam de bonis in praua mutantur:signa vero nequaquam verti in cõtra-rium solent : sed magis ac minus aut malum significare, aut bonum:non tamen nũc bonum , rursus vero malum: aut malum nunc, rursus vero bonum . Igitur quæcunque in vrina docuit esse mala signa, hæc haud vnquam bona euadent : quemadmodum neque bonum vllum malum. Itidem quæcunque de screationibus vel deiectionibus tã-quam bonis aut malis dixit,nullum in contrariũ vertitur. Pari modo nec quæcũque circa vultum fieri docuit signa aut ex colore,aut mole,aut figura, atque etiam de cubitu deque liuidis aut nigris partibus, aut alia quauis tali affe-ctione.Omnia enim vim retinent propriam,non secundũ scilicet magnitudinem (antea enim dictum iam est vt re-

cipiant maioris minoris'que discrimen) sed secundum genus, propterea quòd nullum bonum ad genus euariat malorum, nec vllum ex illis ad genus bonorum, quoties scilicet cum proprijs finitionibus consideratur. Non tamen in accidentibus ita res habet. Quidam enim spirant difficulter, atque etiam delyrant, & ilia conuelluntur, ac splendorem intueri credunt, & obuersari tenebricosa quædam ratione iudicationis. Quinetiam cor dolore afficitur, & infernum labrum intremiscit: & abscessus secundum auriculas, aut aliquo alio loco erumpit. Constat enim vt hęc omnia quandoque eueniant (vt diximus) ratione iudicationis: quãdoque vero grandescentibus morbis comitentur. Ita fit vt illud sit ab eo merito proditum, Decretoria haudquaquam decernentia partim inferent abolitionem, partim difficilem iudicationem. Sed de his omnib9 tum alio loco, tum etiam libro de iudicationibus perpensum iam est: ita vt nihil insuper ad præsensionem desideretur. & ob eam rem quod assidue moneo, nunc quoque persequi non dubitabo. In primis enim maxime'que studendum pręcipio, discere quęcunque medicinalis artis officia sunt: alia vero quęcunque partim in voce ac significatione quęstionem habent, partim rationalem comitãtur contemplationẽ: post, & in maiori ocio aggredi: quẽadmodum nunc de significationibus verbi indicium, ac signum. Cum enim quod ad artis officia vtile est, dictum iam sit, adijciam aliquid huic consequens enarrationi, aliud ab ijs quæ dixi: id vero tale est: De accidentibus decretorijs afferri verbum signum conuenit, indicium vero nequaquã cõuenit. Sola enĩ illa signa & indicia nominãtur, ex quib9 licet scrutari aliquid de salute & abolitiõe ægri. quæ compręhendens vno capite dicet aliquis haberi significationes virium gubernãtium corpus, quo pacto desint, aut supersint: in quibus scilicet cruditatis etiam aut concoctionis signa continentur: ex accidentib9 vero decretorijs nullum talem habet naturam, sed indicant fore iudicationem, quomodo etiã per excretionem, aut abscessum: & ad hæc, per quam excretionem, aut abscessum, verbi gra-

tia, sanguinis fluorem, aut vomitionem, aut abscessum qui propter auriculas erumpat. Sed vtrum bona iudicatio futura sit, an mala: per hæc signa nequaquam scrutari licet. Constat enim vt omnes tales iudicationes nihilominus in sanitatem quàm ad abolitionem finiãtur: docuit'q; finitionem earum firmissimam, non ex quibusdam accidentibus ductam, sed ex quibusdam signis indicijs'que. Concoctio enim (dicit) celerem iudicationem, securam sanitatem significat. cruditas vero aut incoctio, aut malum abscessum, aut non fore iudicationem, aut temporis lõgitudinem, aut dolorem, aut mortem, aut horum ipsorum recidiuas ostẽdit. Quocirca fore iudicationem, ex accidẽtibus decretorijs (quę etiam signa decretoria nominari cõuenit) prętentire possibile est. Sed vtrũ in bonũ an in malum iudicatio sit abitura, per concoctionem cognitio est: quæ rursus haudquaquã fore iudicationem prędmonstrat, sed cõualiturum hominem aut moriturum. Cæterum hęc erit ad eas quæ proditę sunt, appellationũ alia enarratio vnà cum rebus vtilioribus ad artem prodita. Itaque sciendum vt signa decretoria accidentia genere existant indicantia futuras excretiões aut collectiones: hæ vero causæ sunt vt morbus soluatur, aut vt exoluatur facultas, primaria ratione: sed ex accidenti signa quoque existunt.

XLII



Onstat vt in Libya, in Delo, in Scythia hæc prædicta signa vera sint.


On secundum solitam sibi breuitatem de terris habuit mẽtionem, etenim prælatæ dictioni duabus adiectis syllabis, nihil insuper hac dictione opus fuit. Igitur adijciẽs ego eas, ostẽdam qualisnam sermo fuisset: Considerandum est de indicijs ac signis, sciendum'que vt quouis anno & quouis tẽpore & terra, mala malum, bona bonum denunciẽt. In hac dictione verbum terra adijciẽs, indicaui tibi superuacuam esse nunc proditam dictionem. Nihil em̃ aliud per eam ostẽditur, quàm vt signa tum bona tum etiã mala sibiipsis idem alterutra

denunciēt quouis tempore, si calidum, si frigidum, si modificatum sit. Libyam enim tãquam calidam, Scythiam tanquam frigidam, Delum tanquam modificatam mediam'que inter vtranque, gratia exempli cõmemorauit.

Quo pacto prædictiones medicorum in morbis ratæ sint. Caput. XV.


XLIII



Sciendum est vt in his ipsis terris multiplicia cõsequi nequaquam difficile sit, si quis ediscendo ea iudicare & colligere sciat.

QVod nos antea diximus ex vsu orationis, id hoc loco Hippocrates scripsit: vt si recte ediscas vires indiciorum, quanquam non assidue exquisita ratione præsentias futura: sed ratæ prædictiones multiplices erunt aduersus irritas ac recidentes prædictiones. Qua in re alter altero peritior est in cuiuslibet rei præsensione. Nũquam enim hallucinari, supra captum hominis est: sed quamminime oberrare, solius artificis est. Sed cum magna ea in re diuersitas habeatur: qui vicies oberrat semel, multo melior est quàm qui decies prædicendo, oberrat semel: quemadmodum rursus melior quàm is ipse est qui centies prædicendo oberrat semel: queadmodum rursus quàm is ipse melior est quàm qui ducenties prædicendo, oberrat semel. Igitur non recte nos interrogant Empirici, vtrum theoremata quę magna ex parte eueniant, adiectione rationis intransducibilia ac perpetua faciamus. Deinde non valentes indicare, demonstrare existimãt coarguisse tanquam ex superabundanti rationem adijcientes. Nam si non perpetuo, sed sępius quàm illi finem artis consequimur, quemadmodum præsentiendo futura in ægris, ita etiam illis medendo.

XLIIII



EXpetere oportet nullius nomen morbi: si non hoc loco perscriptum sit. Oẽs

enim qui tēporibus prælatis iudicentur, his ipsis agnoscas signis licebit.

ID mihi videtur adiecisse in calce orationis quia de morbis acutis & item aliĳs quicunque ex his fiunt, hoc loco disputari cōmonuit. Itaque cōmemorās vt multa signa à se prodita, tum bona, tum etiam mala, simpliciter dicta de cūctis in cōmune morbis sunt, pauca vero de quibusdam definitis: hoc in animum reuocauit, adĳciēs nihil esse per sermonem omissum: quod forsitan nos falsum existimemus. Quia enim quorūdam habuit mentionem nominatim, aliorum non nominatim: id enim hoc indicat nō temere à se factum, nec sine causa. Sed quoniam præter alios quidam morbi præceptis egebant proprĳs, ob eam rem eorum mētionem habuit seorsum: omnes aliĳ omissi, sub communibus signis collocantur. In primis ab eo perscriptum quem appellant vultum exitiosum in omni morbo acuto, exitiosum vere dictum est. Pari ratione quæcunque de accubitu scripsit, aut spiratione, aut somno, aut insomnio, aut aliĳs quæcunque communia sunt omnium qui prælatis temporibus iudicētur. Non enim de diutinis cōmētarium est, sed (vt ipse dixit) acutis & aliĳs qui ex illis cōsistūt: quorum tēpus ipse etiā indicauit, in quibusdam vigesimum diem, in quibusdā quadragesimum aut sexagesimum terminum ponens.

¶Finis.
1526. Mense
Ianuario.



23 Kal
In Montepessulano
Mēss Ianuar
1528
* A: S. L: *
P: G:


C·CHEVALLON